**Pathologiæ cerebri, et nervosi generis specimen : in quo agitur de morbis convulsivis, et de scorbuto / Studio Thomæ Willis.**

**Contributors**

Willis, Thomas, 1621-1675

**Publication/Creation**

Londini : Typis S. Roycroft, impensis J. Martyn, 1678.

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/bj869gvx

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Vil

1678



F. x. k
17
53355/A

21 E 63.D.37 29739

# PATHOLOGIÆ CEREBRI, ET NERVOSI GENERIS SPECIMEN.

*In quo agitur de*

MORBIS CONVULSIVIS,

ET DE

SCORBUTO.

---

STUDIO

THOMÆ WILLIS, ex *Æde Chriſti* OXON.
M. D. & in iſta celeberrima Academia Naturalis Philoſophiæ Profeſſoris *Sidleiani*.

---

Editio Quarta,

Ab AUTHORE recognita, atque ab eodem multiplici Auctario locupletata.

---

*LONDINI*,

Typis *S. Roycroft*; Impenſis *Jo. Martyn*, ad Inſigne Campanæ, in Cœmeterio D. *Pauli*, MDCLXXVIII.

# *Reverendiſſimo in Chriſto Patri, & Domino,*

## D. GILBERTO,

Providentia Divina, Archipiſcopo Cantuarienſi, totius Angliæ Primati & Metropolitano ; & Auguſtiſſimo Principi CAROLO II. M. Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ Regi, a ſecretioribus Conciliis.

ITa legibus conſtitutum eſt, (Ampliſſime Præſul) ut quicquid fundi cujuſpiam ſolo ſuperſtrui contigerit, acceſſorii jure id ipſum conſequatur. Cum itaque iſti, quod nuper moliebar operi, de ſenſitivæ

 ani-

animæ natura & muniis, nec non de affectibus cerebri, & nervoſi generis, variiſque qui in iiſdem verſantur morbis, humani capitis anatomen, pro fundamento collocaſſem; ſyntagmate hoc Clementiæ veſtræ dicato, omnino neceſſe erat, ut qualiſcunque poſtmodum baſi iſti inniteretur moles, veſtra protinus audiat, dicique geſtiat; atque ita quidem in vitio proficimus, & olim deliquiſſe, culpæ ſubſequentis non gradus tantum, ſed, quod majus eſt, etiam autoramentum exiſtit, ut tandem amiſſo delicti nomine officio fungi potius quam peccare videamur.

Interea tamen, neque hæc in qua verſor cauſa aut a veſtris rationibus aliena, aut ab Eccleſiæ rebus, quibus feliciſſime præſides, abhorrere dicenda eſt; Nam & qui hic ſubinde occurrunt Epileptici ſeſe in aquam aut ignem præcipitantes, & illi quibus membra ſpaſmis contracta varieque diſtorta, tum etiam quibus integra corpora modo ut ſe erigere nequirent incurvata, modo quaſi dæmonis afflatu ſaltibus ſtupendis aliiſque miris geſticulationibus agitata fuerunt; Hi inquam, & plures alii, quos hic paſſim deſcribo, ægrotantes ab iſtis

non

non multum differre videntur, quos in Evangelio a Chriſto Domino curatos legimus; ipſiſque etiamnum curandis, utpote qui tam contumaces & rebelles ſunt, adſiſtentem ſibi Numinis opem ſupra omnes Pharmaciæ vires Medicus utut peritiſſimus ſemper implorare debet. Itaque & jure optimo νόσου ab antiquis ἱερῆς dictæ theoria, & reliqua etiam pathologia noſtra, quatenus τὸ θεῖον quoddam in ſe continet, morboſque non minus precibus & jejuniis quam medicamentis ſanandos explicat, ſacrorum arbitro nuncupari, & proinde ſanctitatis veſtræ auſpiciis muniri præoptaverint.

Porro novum non eſt ut per noſocomium ad Eccleſiam ſit aditus, ſiquidem iſta fere methodo Salvatorem noſtrum fuiſſe uſum conſtat, qui a corporis reſtituti valetudine animæ ſalutem initium ſumere plerumque voluit. Et profecto cum ſtupida melancholicorum deliria, caninæ rabies, aliaque a cerebro non ſatis ſano orta, quoſdam & a ſanctorum communione, & ab hominum ſocietate pepulerint; ſi hæc artis noſtræ ope profligata eſſent, non deſperandum foret, quin morbis una & erroribus valedicentes

 rectius

rectius non tantum valerent, ſed & ſaperent homines.

Quod ſupereſt ἀρχίατρον opt. maxim. ſupplex veneror, ut quam pacem Reipublicæ feliciter reſtituit, Eccleſiæ ſuæ reddat, miſerorum oculis caliginem ſubmoveat, animis furorem tollat, & in tanti beneficii pignus, ſimul & cumulum, Clementiam veſtram, ingens reformatæ pietatis decus & columen, ſalvam & ſoſpitem diutiſſime conſervet, quod animitus precatur

*Clementiæ veſtræ humillimus cultor,*
*Cliens addictiſſimus*

THO. WILLIS.

# Amico Lectori Præfatio.

*QVod cerebri, & nervoſi generis Pathologiam integram pollicitus, demum unius, aut alterius tantum morbi rationes exhibuerim; Te monendum imprimis (Candide lector) velim, non me vafra illa fraude, qua rerum venalium inſtitores merces ſuas extrudere conantur, prodromas haſce theorias oculis tuis ſubjeciſſe: cum enim iſtis ſolenne habetur, ſi forte aliquid melioris notæ poſſideant, id illico oſtendere, pergulis præfigere, in lucem dare, & obviis quibuſcunque ingerere, ut ita tandem offuciis fidem, & vilioribus poſtmodum diſtrahendis decus præſtruant. Contrariam ego penitus inſiſto viam, nimirum ut quæ magis dubiæ videbantur indolis, in ſpecimina præponerem, & ubi cenſuram, & judicia imprimis formidanda duxeram, illa utique depoſcerem & provocarem. neque enim tam docere alios quam ab iiſdem diſcere, nec tam famæ velificare quam veritati, quæque ipſi in proximo conſiſtit, Philoſophiæ famulari, & facem prætendere, in votis habeo.*

*Quemadmodum autem, inter univerſas corporis humani ægritudines, illæ quæ cerebrum, ejuſque appendicem tentant, cognitionis ſem-*

*per*

*per arduæ, & impendio intricatæ, jure merito haberi ſolent; ita in toto bujuſmodi morborum turba, nibil abſtruſius, quodque nodis, vindice dignis, magis implicaretur, quam de veris convulſionum cauſis, & earundem rationibus (ſi ita loqui liceat) formalibus diſceptatio. Quapropter* Averrhoes *non dubitabat pronunciare, quod* verba medicorum, in hoc accidente, univerſaliter ſint propinquiora, ut ſint verba muſicorum, quam ut ſint demonſtrativa. *Item* Galenus, *qui raro admodum in aſſignandis rerum utut abditarum cauſis hæſitavit, ingenue fatebatur* ἥτις δ' ἀκριβῶς ἐστιν ἡ αἰτία τοῦ νοσήματος ἐφ' οὗ σπᾶται τὰ μόρια χαλεπὸν εἰπεῖν. *Nec tantum antiquiores Medici veritatem hanc ſublatam ex oculis, aut alta caligine involutam invidi quærebant, verum & recentiores plerique in eundem lapidem graviſſime offenderunt. Quidam nuperioris ſæculi vir doctiſſimus,* Johannes Crato *exclamat, optatque* utinam ante vitræ noſtræ exitum, veram dignotionem mali Epileptici, verumque remedium aliquis oſtenderet. *Cæterum licet affectionum ſpaſmodωn cauſæ, a nullis ſerio reddantur, tamen earundem Ætiologia quædam apud Authores paſſim traditur. Hi vero potius quod vulgo fertur, quam quod ipſi ſenſerint, aut quod animo veritatis avido ſatisfaciat, ſcrip-*

*tiis*

*tis mandarunt: Non abſimili quippe ritu hanc rem peregerunt, ac imperitiores chorographi, qui loca tantum plana, & facile acceſſibilia exacte dimetiuntur, interim ſylvis obtecta, montibus inequalia, aut præcipitiis abrupta ſine radio adhibito, juxta populi æſtimationem ſupputaſſe ſatis ducunt. Ita cum medici plures, convulſionum cauſas repletionem, ac inanitionem, & quidam alii partium nervoſarum ſolummodoirritationem eſſe dixerunt, nihil hinc plane declaratur, aut quod inſtinctus modum enarraverit, quo præter vel contra naturæ, aut appetitus normam, ſpaſmi peraguntur, aut quod ullatenus explicarit, unde in affectu iſto, facultati motrici impetus, robur, ac celeritas pene infinita, & ſupra omnes naturalis potentiæ vires, acceſſerint. Quapropter facilem mihi ſpero veniam ſi, quandoquidem in ejuſmodi phænomenis huc uſque fruſtra deſudatum eſt, ego Harioli, & conjectoris partes ſuſcipiens, novas & non prius auditas rationum ſyllogas in medium produxerim. Profecto (quicquid alii ſenſerint) ſpiritus animales revera exiſtere, ipſiuſque animæ corporeæ hypoſtaſin conſtituere; eoſdem motus, & ſenſus proxima & immediata inſtrumenta eſſe; quin & nixus motivos ab eorum exploſionibus excitari, prout ubique in ſequenti tractatu ſupponimus, ita in phyſiologia noſtra aliquando*

quando

*quando forſan in lucem proditura, rationibus non contemnendis ſperamus nos eviciſſe. Super hac igitur hypotheſi, (ut opinor ſatis firma, ac ad rem noſtram maxime accommoda) ſc. ſpirituum animalium virtute elaſtica, ſive exploſiva, doctrinam ſpaſmoden extruendam curavimus. At quia fœtus hic noſter faciem adhuc inſolitam, & præ notionum raritate, quaſi monſtroſum quiddam & τερατῶδες oſtentat, idcirco (quemadmodum infelices partus tractari ſolent) in mediam viam, & tantum non in profluentem, ceu expoſititium abjicimus. Porro ejuſdem fortunæ vices ſubit diſquiſitio quædam alia, de ſcorbuto inſtituta, in quantum ſc. doctrinæ ſpaſmodicæ hæc plurimum affinis, eidem hypotheſi innititur, ejuſque velut appendix eſt. Quos quidem præpoperos, & quaſi abortivos partus, ſi pro ſua humanitate hoſpites illi, qui in eoſdem forte inciderint, enutriendos, tollendoſque curaverint, juſtior tandem aliquando ſuccedet proles, quæ uterum unde naſcitur felicius ſequatur, & parentis ſuæ, ſc. humanæ animæ memor, ejus imaginem juxta & indolem expreſſus referat; ſaltem (quod huic Pathologiæ accidiſſe vereor) cerebri morbos non ita deſcribat, ut in eorundem ſortem veniat, & numerum auxiſſe videatur.*

TRAC-

# TRACTATUS PRIMUS
# DE
# MORBIS CONVULSIVIS.

## CAPUT. I.

### *De Spaſmis, ſive motibus Convulſivis in genere.*

IN tractandis *Affectibus Convulſivis*, plerique Medici diſtinguunt inter *Spaſmum*, ſive *Convulſionem*, & *motum convulſivum*; per *illum* nempe intelligentes *contractionem conſtantem*, qua membrum rigidum & inflexile evadit; per *hunc* autem *motus celeres*, & *concuſſiones*, quæ interjecta quiete, alternatim ceſſant, redeuntque: verum nec illi qui has diſcriminis notas conſtituunt, nec cæteri Authores eas perpetuo obſervant: quippe per vocabula *Spaſmi* & *Convulſionis* quælibet πάθη σπασμώδεα non raro deſignant: Quare melioris diſcretionis gratia, priorem affectum cum Cardano Τέτανον appellabimus, alterum vero *Spaſmum* ſeu *motum Convulſivum* in genere.

Ut autem *Spaſmi*, ſive *motus Convulſivi*, & *irregularis* natura, & cauſæ rectius innoteſcant, præmittendum eſſet, quo pacto *functio motiva regularis* in corpore animato peragitur: verum hujus plenior conſideratio, quoniam ad Cerebri, & nervoſi generis *Phyſiologiam* ſpectat, in alium differetur ſermonem: In præſenti, quantum ad rei propoſitæ elucidationem facit, verbo annotetur, *ſpiritus animales* eſſe proximum *motus regularis* inſtrumentum, ipſorumque actionem, ſeu vim motricem in eo tantum conſiſtere, quod denſius ag- *Motus regularis ut peragitur.*

glomerati in parte motiva, ibidemque in ſpatium amplius expanſi, eandem inflent, & intumefaciant, quæ proinde, quoad longitudinem contracta illico ad ſe partem ſibi appenſam attrahit. In nervorum deſcriptione noſtra pridem edita, innuimus hujuſmodi motum eſſe duplicem, ſc. *ſpontaneum*, & *mere naturalem*; *hujus* inſtinctum à *cerebello*, ac iſtius à *cerebro*, utrumque autem per *nervorum* ductus veluti *canales* deferri, cum ad *muſculos*, tum ad *fibras*, *membranis*, *parenchymatis*, aliiſque *partibus motivis* intertextas; denique in hiſce omnibus tam expedite varias peragi actiones, quaſcunque aut *neceſſitas naturalis*, aut *voluntatis imperium* exigit, ea ſolum ratione, quod inter ſpiritus animales, qui animæ ſenſitivæ hypoſtaſin conſtituunt, intra prædictas partes, continuata ſerie diſpoſitas, ubique eadem eſt *communicatio officii*, *intima conjunctio*, & *celerrimum commercium*. At vero inter *motum* à *muſculo*, *eumque* ab aliis *partibus* editum, diſcrimen hoc notabile occurrit; quod in *his*, actio ſæpiſſime intra corporis motivi terminos circumſcribitur, ita ut ejuſdem tantum *membranæ*, aut *viſceris* pars una aliam moveat, & deinceps hæc à vicina moveatur: in *genere* autem *muſculoſo*, plerumque *pars movens* in uno membro, & *movenda* in alio proxime conſita eſt (quanquam & inter partes muſculoſas quædam, uti *cor* & *diaphragma*, proprie ſeipſas fere tantum movent): Hinc *membrana* & *viſcera motum* quaſi *inteſtinum*, & *vermicularem* habere dicuntur; qualis ubicunque incipitur, ſpiritus ibidem denſius agglomerati, & expanſi, primo partem iſtam, dein ultra pergentes, aliam, & mox ulteriorem intumefaciunt, proindeque partem illam quæ à tergo eſt trahunt, adeoque intumefactionem, & propterea motum à loco in locum transferunt; ſimili fere ritu ac lumbrici, aliaque reptilia progreſſus ſuos faciunt. Huic autem *membranarum*, ac *viſcerum functioni motiva*, ſi frequens, aut indiſcontinua fuerit, ſpiritus copioſi requiruntur, qui tamen ſine tumultu, aut magno impetu, penſa ſua ſatis tranquille exequuntur:

*Ejus duplex principium.*

*Duplex item ſubjectum.*

tur: Et quidem obſervare eſt, *ſpiritus animales* in *viſcera membranacea* haud multo parcius, quam in *muſculos* influere; prout arguere licet ab iſtarum partium ſenſu exquiſitiori, & in iiſdem multiplici nervorum inſertione, & diverſimoda per plexus & fibras divaricatione; licet interea *muſculi* uberiori ſanguinis influxu irrigantur: Quoad *motum* vero in genere *muſculoſo* peractum, *ſpirituum agglomeratio* & *rarefactio* per totam partis motivæ compagem ſubito ac ſimul explicatæ, tanto cum impetu, ac robore peraguntur, ut *attractio muſculi* in nixu motivo, vim *trochleæ*, aut *vectis* excedat; cumque vis iſta tantum à ſpirituum partis motivæ inſitorum expanſione, ſive rarefactione dependeat, nihil minus concipere poſſumus, quam ſpiritus ita expanſos, *pulveris pyrii ritu*, veluti *ignitos explodi*. Enimvero ſupponere licet, ſpirituum, fibras muſculo intertextas incolentium, *particulis ſpirituoſalinis*, alias diverſi generis *particulas*, à *ſanguine arterioſo* inter eaſdem fibras ubique interfluo, *nitroſulphureas* accedere, illiſque intime accreſcere: dein quoties particulæ utriuſque generis, velut *nitrum* & *ſulphur* combinata, propter motus inſtinctum per nervos advectum, tanquam à fomite ignatio, commoventur, protenus ab invicem *eliſa*, & velut *exploſa*, muſculum ſubito inflant, proindeque tractionem validiſſimam efficiunt: enimvero in hunc finem ita conſtitui videtur, ut *muſculi* multo uberius quam *viſcera membranacea* ſanguine arterioſo perfundantur: nimirum ut ſpirituum *copulæ elaſticæ*, per motus valde crebros, ac interdum continuos abſumptæ, ac perpetim deciduæ, ſubinde ſtatim nova à *latice ſanguineo* ſubſtituatur: interim ut ipſi *ſpiritus* in minori copia per nervos exiles ſuppeditati, uſque in eadem ſtatione, tanquam *milites veterani*, diutius perſiſtant, & ſæpe *copulam* multiplicem impendant. Secus enim, unde jumentis, dum per plures horas, imo per integrum aliquando diem, curſu citatiori muſculos fere omnes exercent, ſpirituum penus pro tanto labore ſufficiens derivatur? aut quis credat paucos ſpirituum manipulos,

*Muſculi motus ſpirituum exploſio quadam.*

per exiles nervorum *paris vagi* & *intercoſtalis* propagines *cordi* adductos, proprio marte adeo robuſtum, & indiſcontinuum ejus motum efficere poſſe? *Illis*, equidem neceſſe videtur, *copias ſubſidiarias* perpetim à ſanguine accedere, eaſdemque ſemper protinus *explodi*. Certe ob hanc rationem & *cordis*, & cæterorum *muſculorum* virtus motiva robuſtior, & ſupra *organum* quodvis *mechanicum*, *elaſtica* evadit: nempe in quantum ſpiritus animales, ubique in muſculoſo genere agentes, ſibimet *copulam exploſivam* adſciſcant.

Quod ſi *Exploſionis* vocabulum, in *Philoſophia* ac *medicina* adhuc inſolitum, cuipiam minus arrideat: proinde ut *Pathologia σπασμώδης* huic baſi innitens, tantum *ignoti per ignotius explicatio* videatur: facile erit iſtiuſmodi effectus, circa res tum naturales, tum artificiales, inſtantias, & exempla quamplurima proferre; ex quorum analogia motuum in corpore animato, tum regulariter, tum ἀνωμάλως peractorum, rationes aptiſſimæ deſumuntur. Nam præter *Nitri* cum *Sulphure*, cum *Tartaro*, & cum *Antimonio* mixturas, quæ omnes cum detonatione igniuntur; atque *Aurum fulminans*, & compoſitionem ex *ſale Tartari*, *Nitro*, & *Sulphure*, quæ abſque ignitione actuali, tantum penitius excalefacta, cum fragore vehementi exploduntur; etiam huc referri poſſint multi liquores, qui ſimul commiſſi, aut quibuſdam corporibus affuſi, motus violentos, & plane exploſivos ineunt, concitantve: *Spiritus nitri*, & *liquor Antimonii glacialis* invicem confuſi; quin & alteruter *limaturæ ferri* immiſſus, ebullitionem maximam, cum calore & fumo atrato concipiunt. Vulgo notum eſt quanta effervefcentia, & impetus plane exploſivi à *ſalibus fixis deliquatis*, ac *acetoſis* cujuſque generis ſimul permiſtis oriuntur: Nec minus exploſionis effectus cernitur, quando *liquor ſale volatili imbutus*, uti *Spiritus C. Cervi* aut *ſanguinis*, *ſtagmati ſalino* vel *fixo*, vel *acetoſo*, vel *nitroſulphureo* admovetur; ſc. particulæ aliæ ab aliis vehementer eliſæ, cum impetu diſſiliunt, &

quaqua-

quaquaverſus longe proferuntur; quæ proculdubio, ſi intra corporis cujuſdam ſpatia, uti muſculi fibras coercerentur, ipſum ſubito intumefacerent, adeoque motus localis inſtrumentum conſtituerent. Super his paulo apertius in νευρολογία noſtra olim diſſeruimus, atque rem adhuc fuſius, & accuratius explicatam forſan aliquando publici juris faciemus.

Interea tamen ne videar ſententiam hanc, revera novam, tanquam mei unius Cerebri fœtum, omni patrono inopem expoſuiſſe; Libet hic *Clariſſimi Gaſſendi* aſſertionem proferre; quæ ut hypotheſi huic noſtræ apertiſſime favet, & quodammodo ejus anſam præbuit, ita fortaſſe poterit & autoritatem aliquam conciliare. Itaque αἰτιολογώτατος ille vir animo perpendens *quanta ſit vis illa ſive robur, quo non modo brachium, aut crus, ſed tota etiam animalis machina movetur, regitur, attollitur, transfertur*: Subjungit. *Ecquis facile capiat tenue illud, quodcumque eſt, intra Elephanti corpus, quod ſeu animam, ſeu ſpiritum, ſeu aliud quodvis principium motus concipimus, poſſe illam tantum molem agitare, ac ad tripudium etiam velox, concinnumque componere? ac tanto magis, quanto ubi tenue illud intra id corpus non amplius viget, tanta externa vi opus ſit, ut vel minimum loco emoveatur: ſed nempe ad hoc quoque primum facit, eadem natura anima ignea, quæ tametſi ſit flammula pertenuis, ſui tamen mobilitate idem proportione præſtare intra corpus valebat, quod flammula ex pulvere pyrio intra tormentum bellicum: dum ſc. non modo globum tanto propellit impetu, ſed tanta etiam vi depellit totam machinam.* Quod vero ad ſpiritus attinet, qui (inſtar pulveris pyrii exploſi) *agitationem iſtam ſubeunt, dubium eſſe*, inquit, *an ii ſint qui adveniunt ex cerebro, an qui in ipſis tendinibus quaſi connati haberi poſſint: Verum tametſi utrique concurrant, videntur tamen ad hoc munus illi præſentius deſtinati, qui ſunt connati tendinibus.* Non pluribus hic opus eſt, ut declaretur *functionem motivam* à ſpirituum animalium *copula elaſtica*, ejuſ-

Gaſſend. phyſ. ſect. 3. lib. 1. cap. 1.

 que

que *deciſione* pendere. Attamen ex hoc ſuppoſito (quod quidem maxima cum probabilitate ſuppoſimus) facile ſequetur, *motus convulſivos* multo magis à tali cauſa procedere: Quiſquis enim in membris, aut partibus affectis, *ſubitas intumeſcentias, violentas & validiſſimas contractiones*, quinimo interdum totius corporis *concuſſiones, jactationeſque* impetuoſiſſimas conſiderabit, nihil minus concipere poteſt, quam plures ſpirituum animalium *glomeres*, velut fulguris è nube erumpentis, *explodi*. Porro hinc etiam Elencho velut reciproco arguere licèbit, & quia *motus σπασμώδεις* ſunt exploſivi inſuper & *regulares*, à *ſpirituum exploſionibus* produci: quo tamen ritu, quot modis, & quibus de cauſis ſpiritus *animales exploſi* affectiones *σπασμώδεις* pariunt, præſentis inſtituti erit paulo fuſius, & quantum res ita difficilis & abſtruſa patitur, apertius demonſtrare.

*Spaſmorum cauſa conjuncta.*

In recitandis aliorum, circa *ſpaſmi naturam & cauſas*, ſententiis non multis hic moror; quæ apud antiquos diu celebris increbuit opinio, affectionem hanc tantum à *repletione*, aut *inanitione* produci (utcunque huic ſtabiliendæ præter autoritatem Hippocratis proferatur exemplum de *corio*, aut *fidium nervis*, qui aut madido aere *impleti*, aut nimis *ſicco inaniti* contrahi ſolent) facile ex ſe concidit; quia ſupponere videtur (id quod nemini fragilitatem nervi experto credibile eſſe poteſt) nimirum ipſos nervos quoquomodo abbreviatos atque contractos, poſſe vi quadam muſculos ad ſe attrahere. Quod ſi referatur *repletionem*, aut *inanitionem* reſpectu ſolidarum partium quæ convelli ſolent, intelligi debere; è contra obſervare licet, ubi muſculi & nervoſum genus humore aqueo maxime irrigantur, uti in *Anaſarca*, aut eodem plane deſtituuntur, prout in *tabe*, vel *maraſmo*, haud propterea motus convulſivos excitari. *E recentioribus* plerique ſolummodo *irritationem* nervoſarum partium convulſionis eſſe cauſam ſtatuerunt, conjecturam inde opinor petentes, quod αὐτοψίᾳ pateat ab ipſa *vellicatione*, ſoloque

*Non repletio aut inanitio.*

loque

loque tactu nervorum ſpaſmos induci: Et quidem plane obſervavimus, in diſſectione vivi catuli, cultro nudatis nervorum ſpinalium caudicibus impoſito, ſtatim & ipſos, & muſculorum quibus inſerebantur corpora convelli: nec inuſitatum eſt, à nervorum, ac tendinum puncturis, in quibuſvis fere hominibus, ſpaſmos excitari. Memini ab ulcere in cujuſdam brachio excitato muſculi tendinem prorſus nudatum fuiſſe, qui cum ſpecillo chirurgico tangeretur, patientem rigore quodam in toto corpore, & concuſſione illico oborta, aliquandiu inhorruiſſe. Verum enimvero ut concedamus partium *nervoſarum irritationes* non raro *cauſa evidentis* vicem ſubire; inſuper aliquando hac *cauſa ſolitaria ſpaſmos* leviores, & cito tranſeuntes produci: nihilominus ut graviores hujus morbi paroxyſmi, iique crebra vice repetentes debite explicentur, alias, atque altiores cauſas, ſc. tum *conjunctam*, tum *procatarcticam* inveſtigare oportebit.

*Aliquatenus ab irritatione dependet.*

Quandoquidem igitur *ſpaſmi* nequaquam accidunt, niſi in *corpore vivo*, ubi partes nervoſæ inflantur, & turgeſcunt ſpiritu animali, in promptu eſt conjicere ipſos *ſpiritus animales*, ſicut in *motu regulari*, ita in *convulſivo* eſſe proximum actionis inſtrumentum: nimirum illi quandiu *copula exploſiva* idonea, & moderata imbuuntur, ac ad ipſam elidendam tantum *appetitus juſſu*, aut *naturæ inſtinctu* proritantur, *motus* ſolummodo *regulares* pariunt: ſin vero iidem ſpiritus ſibimet copulam *heterogeneam*, ac nimis *elaſticam* aſciverint, vel ſi juſto impetuoſius, & vehementius in actus ſuos rapiantur; utique, tamquam equi effrænes ſtimulis agitati, inordinate exiliunt, & copulam ſuam, genuinam licet ac naturalem, violente explodunt: proindeque partes continentes, velut currus appenſos, motu perverſo, efferoque ſecum una corripiunt.

Cum itaque, ut prædicitur, *motus convulſivi* ob *duas* potiſſimum *cauſas* excitentur, hinc totidem illorum *ſpecies* conſtituantur. Nam 1. interdum accidit *convulſionem* ſine procatarxi, aut copula hetero-

*Spaſmorum duplex cauſa, ac duæ ſunt ſpecies. Irritatio.*

heterogenea prius aſcitis, tantum à *cauſa evidenti ſolitaria* induci: ita namque *paſſio vehemens* cerebro impreſſa, *ſolutio continui* alicubi in nervoſo genere contingens, pathemata ſpaſmodica nonnullis, quibus Cerebrum & nervi debilioris ſunt conſtitutionis, ſubito intulere: quippe ſpiritus animales, objecto improportionato ipſos fugante, partes continentes exagitant, quin & copulam ſuam, licet idoneam, vehementer elidendo, eaſdem inflarit; proindeque alias hiſce annexas convellunt: *Spaſmi* hoc ritu excitati, quoniam in iis ſpirituum copula naturalis vehementius eliditur, quodammodo ſunt exploſivi, qui tamen cito deſinunt, & ſæpiſſime ſine viſcerum, aut membrorum jactationibus, cum *tremore* tantum & horrore aliquo in ſpirituum deliquia tranſeunt. Verum 2. *convulſiones*, quarum paroxyſmi ſunt graviores, atque diutius perſiſtunt, aut crebrius repetunt, omnino à cauſa procatarctica, ſive diſpoſitione prævia pendere, & ab alia, præter irritationem, cauſa conjuncta exoriri videntur. Ideoque in hoc caſu *particulas heterogeneas, & valde exploſivas ſpiritibus in hac aut illa corporis regione agentibus accreſcere ſupponimus; deinde ex iniqua hac combinatione, & irrequieta hujuſmodi materia & ſpirituum colliſione, crebras, vehementeſque exploſiones editas, poroxyſmos σπασμώδεις inducere.*

*Copula exploſiva præternaturalis.*

Enimvero præter *copulam elaſticam*, quæ ſpiritibus à ſanguine arterioſo ubivis accedit, & à cujus exploſione ordinata *impetus motivus*, juxta *appetitus nutum*, aut *naturæ inſtinctum* in partibus quibuſvis nervoſis perficitur (prout alibi declaravimus): etiam aliuſmodi interdum corpuſcula naturæ efferæ, & *pulveris nitrati* magis æmula, ſpiritibus adveniunt, iiſque intime adhærent: cujus materiæ à ſpirituum amplexibus, cum frequentia & ſubita divortia contingant, à mutua particularum eliſione corpora continentia varie inflantur, adeoque in *motus convulſivos* aguntur. Revera quoties *affectio ſpaſmodica* habitualis evadit, ut paroxyſmi convulſivi non raro ſua ſponte, & ſine cauſa evidenti, paſſim vero levi quavis occaſione oriantur,

oriantur, talis morbi procatarxis in hujuſmodi mala ſpirituum animalium diatheſi conſiſtit: Neque enim tantæ ægritudini excitandæ, *colluvies ſeroſa*, aliique minus efferi humores, licet in ipſis cerebri ventriculis, aut circa nervorum origines depoſiti, ſufficiunt: Quippe in defunctorum capitibus non raro cerebri meditullia, ipſaque nervorum principia aquæ limpidæ prorſus immerſa vidi; quibus tamen dum vixerunt, nec *Epilepſia*, nec *motus convulſivi* adfuerunt: Quin potius ad hos motus producendos requiruntur *corpuſcula* maxime *activa*, qualia ſunt *ſalina*, & *ſulphurea*; quæ cum ſpiritibus combinata, & dein ſubito erumpentia, particularum mineralium combinationes, violentaſque exploſiones imitentur. Quandoquidem enim in motu regulari & ordinario (prout modo innuimus) muſculi *impetum motivum*, & *vim elaſticam* concipere nequimus, niſi *ſpirituum animalium exploſio* quædam ſupponatur; certe multo magis pro *inſultibus epilepticis*, aliiſque *convulſionibus admirandis*, quæ paſſim eveniunt, excitandis, eorundem ſpirituum, cum aliis particulis valde efferis *complicationes*, eorumque ab invicem *eliſiones* vehementes requiri, aſſerere licebit. Circa ejuſmodi vero *copulam ſpaſmodicam*, quia differt à *naturali* & *ordinaria*, quam in motu regulari adeſſe, & ubivis à ſanguine ſuppeditari alibi oſtendimus, inquirere oportet *undenam illa provenit*, & *quo ritu, quibuſque in locis* ſpiritibus accreſcere ſolet.

Quoad prius, obſervare licet *exploſiones ſpaſmodicas* non ſolum in *muſculis*, quibus ſolis, quæ *motum regularem* efficiunt limitantur, ſed etiam in *membranis*, ſc. *ventriculo*, *inteſtinis*, *meſenterio*, aliiſque *partibus* fere *exanguibus* paſſim contingere: porro *exploſiones ipſas* in *affectione convulſiva*, licet *contra appetitus nutum*, & *naturæ morem* excitantur, longe *vehementiores* eſſe, & *diutius perſiſtere*, quam in *motu regulari*: Ex quibus conſtare videtur, *copulam exploſivam ſpaſmodicam* aliunde quam *motus regularis effectricem* advenire: Et quidem probabile eſt illam, non uti hanc à *ſanguine*

*Copula exploſiva ſpaſmodica immediate non à ſanguine, verum à Cerebro.*

*arterioſo* inter fibras muſculoſas ubique interfluo, profluere, verum à *cerebro* cum *liquore nervos irrigante* deſcendere, & dein juxta *horum origines, medios proceſſus, plexus, extremitates*, quaſi in morbi convulſivi mineram congeri. Profectò nihil evidentius liquet, quam *affectus ſpaſmodicos*, ob noxam imprimis cerebro affixam, & exinde in varias ſyſtematis nervoſi partes tranſmiſſam, ſæpiſſime oriri: hinc enim accidit, quod *paſſio vehemens*, uti *timoris, iræ*, aut triſtitiæ ſpiritus τȣ̃ ἐγκεφάλȣ hoſpites afficiens, ita crebro *pathemata* dicta *hyſterica*, ac *hypochondriaca* ordiatur: Porro quod in malis *febrium criſibus*, cum ſanguinis recrementa aduſta in *caput* transferuntur, convulſiones paſſim ſuccedant: Porro & hæc ratio eſt, cur *Vertigo, capitis inflatio, mentis torpor, aliaque ſupremæ* regionis accidentia, *ſpaſmorum* in *viſceribus*, & non raro in toto corpore ſubſequentium, prooemium eſſe ſolent. Quapropter minime dubitandum eſt, quin *particulæ heterogeneæ*, & *exploſivæ* è *ſanguine* una cum ſucco nervoſo *cerebro* inſtillantur, quæ poſtea in *nervoſum genus* detruſæ inibi ſpiritibus accreſcunt, iiſque diatheſin convulſivam inferunt. Revera *affectus* σπασμώδεις, qui aut *univerſales* ſunt, aut ſaltem plures ſimul corporis partes occupant, hoc tantum ritu fere oriuntur. Interim tamen haud negamus, quin *Spaſmi particulares*, qui ſe intra quoſdam locos, capite nullatenus affecto, continent, aliis interdum modis inducantur. Nam ſiquidem *nervi* ab utroque fine, ſc. *radice, & extremis ramentis*, humorem ſuum imbibunt (quod & *Doctiſſimus Gliſſonius* veriſimillimum eſſe ſtatuit, & à nobis non ſine ſumma probabilitate in νευρολογία noſtra oſtenditur), profectò hinc quoque inferre licebit, etiam particulas ſpaſmodicas non tantum à nervorum principiis, ſed aliquatenus per illorum extremitates intus admitti: Id quod fortaſſis aperte ſatis & plane conſtat, quod ex *liene* male affecto *Spaſmi* circa ipſius regionem exorti *hypochondria*, & non raro *præcordia* infeſtant. Novi quibus à *tumore*, vel *ulcere* in *meſenterio, utero*, aliiſque viſceribus exiſtente, *Convulſiones* cum

*Interdum à nervorum finibus ſuſcipitur.*

cum in parte affecta, tum circumcirca eam increbreſcere ſolebant: cujus ratio videtur non aliunde petenda quam à particulis heterogeneis in loco affecto uberius congeſtis, quæque ſimul in fibras nerveas per totam viciniam conſitas irrepentes, iis motuum convulſivorum, velut *pulveris pyrii igniendi formitem* ſuppeditant: at vero *Spaſmi* ob tales *προφάσεις* oriundi haud ſeſe ſolent longe lateque diffundere, neque ſemper ad caput aſcendere.

His ita præmiſſis de affectionis Spaſmodicæ *cauſa interna* & *proxima*, quam ſc. potiſſimum, ac ſæpius ipſi *capiti*, quadantenus item *nervorum extremitatibus* ortum debere ſtatuimus; modo reſtat ut varias in utroque genere *cauſas remotiores*, & multiplicem hujus morbi apparatum particularius deſignemus. Ægritudo igitur *Convulſiva* plerunque originem ſuam à capite deſumit: nimirum quoties *particulæ heterogeneæ & exploſivæ* à ſanguine in *cerebrum* aut *appendicem* ejus medullarem ſuffuſæ, illinc poſtea in *nervoſum genus* derivantur, ibidemque ſpiritibus accreſcunt: hoc autem fieri contingit variis de cauſis: *plures enim ſunt rationes, modique* quibus *materies morbifica* in *caput* admittitur; *plures* item quibus in *hanc*, aut illam *ſyſtematis nervoſi regionem* deducitur; & juxta varias ejuſmodi *cauſæ morbificæ tranſlationes*, diverſæ *motuum convulſivorum* ſpecies conſtituuntur.

*Spaſmorum cauſæ remotiores.*

Igitur quod *particulæ heterogeneæ* & *ſpaſmodicæ* intra *ἐγκέφαλον* admittuntur, & *ſanguinis mittentis*, & *cerebri ſuſcipientis* vitio imputandum eſt.

*1. Materies morbifica intra caput aggeritur vitio, tum Sanguinis mittentis.*

1. Cum *ſanguis* materiam morbificam capiti ſuffundit, vel *totâ* ejus maſſa depravatur, uti frequenter accidit in *febribus malignis*, item in *affectione ſcorbutica*, *cacochymica*, ac imprimis *originaliter morbida*; vel *ſanguis* ex ſe *inſons*, & incorruptus corpuſcula maligna aliunde accipit, eaque poſtea cerebro affigit, ita in magnis viſcerum impuritatibus, ac præcipue cum partes aliquæ *abſceſſu* aut *ulcere virulento*, vel *fermento noxio* afficiuntur; è

talibus

talibus enim *μιασμάτων νοσερῶν mineris* particulæ noxiæ in ſanguinem ebulliunt, ejuſque commeatu poſtea in cerebrum deponuntur: ita ob *Lienem, uterum, aliaque viſcera* male affecta *morbi Convulſivi* excitantur; qui tamen immediatius à cerebro, iſtarum partium labes per ſanguinis commercium ſuſcipiente, dependent.

*Tam Cerebri ſuſcipientis.*

2. Attamen 2. *ſanguis*, ut ut vitioſus, & ſeminio morbido imprægnatus fuerit, haud facile inquinamentum ſuum capiti allinit, niſi etiam *cerebri, ejuſque appendicis* conſtitutio aliquatenus in vitio fuerit; quandiu hæ partes bene conformantur, & vigore pollent, ſe, ſuaque tuentur; foribus occluſis, nil præter liquorem ſpirituoſum ſuis uſibus dicatum, purum, putumque admittunt: ſin vero aut *cerebri meatus, & pori* nimis *laxantur*, aut *ſpiritus oſtiarii* ab excubiis ſuis ceſſant, vel avocantur, una cum *ſucco nervoſo*, materies heterogenea & morbifica irrepit, ac in regimine animali malignitatem ſuam explicat.

*Cerebri mala diatheſis, vel hæreditaria.*

Quod ſpectat ad ipſius *Cerebri malam diſpoſitionem*, eadem aliquando *hæreditaria* exiſtit: ita parentibus *epilepticis*, aut *convulſioni* obnoxiis oriundi, in eoſdem affectus plerunque & ipſi proclives ſunt: & quidem conſtitutio cerebri à partu multis modis fieri poteſt vitioſa: nam aut ipſius *intemperies* juſto eſt *humidior*, aut *ſiccior*, vel alterius *qualitatis exceſſu*, aut *defectu* peccat. Interdum *pori* ſunt *laxiores*, vel *conſiſtentia* ejus nimis *dura* aut *mollis* eſt: quin & *partium Cerebri* & appendicis ejus *conformatio* indebito more habere poteſt;

*Vel acquiſita.*

Cæterum aliquando *Cerebri* & *nervorum* indoles originaliter ſana & firma ex *accidente* vitiatur, & diatheſin morbidam acquirit: *longa intemperantia* has partes enervat: quin & *febres malignæ*, & *morbi chronici* eas plurimum debilitant: porro accidentia externa, uti *frigoris* & *caloris exceſſus*, *vulnus*, aut *plaga* earum craſes ſæpe pervertit, & impreſſionum morbidarum magis capaces reddit. Quod vero ſpectat ad *ſpirituum animalium ἀταξίας*, propter quas particulæ heterogeneæ & ſpaſmodicæ *cerebrum* abſque repulſu ſubeunt, illique

facilius

facilius cohærent; obſervare eſt *ſpiritus animales* quibuſdam ab ipſa nativitate *teneriores*, & *cito diſſipabiles* exiſtere, ita quidem ut nihil *ſenſui*, aut *imaginationi* fortius & vehementius oblatum tolerare poſſunt, quin ſtatim in confuſiones adigantur: propter hanc rationem, fæminæ præ *viris* earumque aliæ præ aliis *affectibus* dictis *hyſtericis* obnoxiæ fiunt. Porro interdum *paſſio violenta ſpiritibus* utut mediocriter firmis ejuſmodi proſternationem ac inordinationem imprimit, ut poſtea nihil fortiter ſufferre, nec cuivis injuriæ reſiſtere valeant: ita paſſim accidit *ſubito timore*, aut *ingenti triſtitia* regimini animali impreſſiones morbidas affigi, quæ poſtea vix unquam delentur: hinc enim *mulieres* ſæpe *affectiones* dictas *uterinas*, & *viri hypochondriacas primo* contrahunt, iiſque poſtea fere ſemper aſſueſcunt.

Ex his conſtare videtur, *quibus modis* & *ob quas cauſas materies ſpaſmodica* intra ἐγκέφαλον admitti ſolet: jam proxime videamus *quid de illa fiat poſtea*; ſiquidem iſta materia ad Cerebrum advecta affectus convulſivos aut non ſemper, aut non eodem prorſus modo inducit. *2. Materies morbifica intra caput admiſſa, quomodo diſponitur.*

1. Interdum accidit *particulas heterogeneas* & *exploſivas* in *Cerebrum* admitti, quæ tamen exinde ſine magna noxa, & priuſquam genus nervoſum ſubeunt, rurſus exterminantur: quippe *vena* & *lymphaductus* ſæpe quod ſuperfluum & regimini animali inimicum eſt, reſorbent, & vel foras convehunt, vel in emunctoria deponunt. Dum talis materia parumper in cerebro agitatur, particulæ ejus ſpiritibus nonnullis *affixæ*, ab iiſque demum *eliſæ*, *vertiginem* & *ſcotomiam* cient; at vero quia nervorum ductus haud ſubeant, affectiones ſpaſmodicæ minime ſuccedunt. *Interdum è Cerebro regeritur.*

2. Quando *materies morbifica* intra ἐγκέφαλον admiſſa, non exinde ſtatim relegatur, ſæpenumero noxam ſuam, priuſquam *nervoſo generi* infertur, haud prodit; nam intra *Cerebrum* ſpiritus animales admodum vegeti, & ſpatium liberius nacti, *copulæ* cujuſvis *heterogeneæ* complexus evadunt; quos equidem intra anguſtos nervorum canales evitare *Interdum in genus nervoſum detruditur.*

evitare nequeunt: porro ipſa materies morbifica, ſiquidem è *Cerebro* per vaſa excretoria amandari non poteſt, exinde mox in *ſyſtema nervoſum*, utpote partem ignobiliorem dimittitur: ſin vero invitis facultatum ſuperiorum præſidiis, talis materia intra Cerebrum diutius commoretur, ejuſque ſpiritus incolas valde inficiat, *Epilepſiam* inducit, prout infra ſpeciatim oſtendetur: attamen multo crebrius, labes è *Cerebro* abſque magna noxa ejus, in *nervoſum genus* traducitur; hoc autem non uno ſemper modo fieri contingit.

*In Cerebro manens caducum infert.*

*Materia ſpaſmodica in nervoſum genus delapſa.*

Enimvero *particulæ heterogeneæ liquori nervoſo* immixtæ, ac verſus nervorum principia delapſæ, eadem non ſimul omnia, neque hæc aut illa, prout ſors tulerit, indifferenter ſubeunt, verum in *aliorum* ductus præ *aliis*, idque non ſine aliqua ratione diriguntur. Namque obſervamus *ſymptomata convulſiva* ſedem plerumque aliam in *pueris* ac in *adultis*, aliamque in *tenerioribus* ac in *robuſtis* ſibi eligere.

*In pueris nervos priores afficit.*

*Secus in adultis.*

In *pueris*, qui *affectibus cordis*, & *membrorum exteriorum exercitiis* nondum aſſueverunt (quibus ſc. utriſque cauſa morbifica longinquius à cerebro profertur) *materies ſpaſmodica* in nervos proximos, eos ſc. 3tii. 5ti. & 6ti. *paris* ſæpius incurrit; quare illis *faciei*, ac *oris* partes maxime convelluntur: rarumque eſt & inaſſuetum iis *viſcera*, & *præcordia*, prout in adultis attolli, motuve inordinato affici: E contra in *provectæ ætatis hominibus*, aditu ad nervos *paris vagi*, & *intercoſtales*, uti ad iſtos *ſpinalis medullæ*, magis patente, partes, quas nervi illi reſpiciunt, frequentius convelli ſolent: hoc tamen cum diſcrimine, quod in *tenerioribus*, & iis qui ſunt valde ἐμπαθεῖς, quibus, ob paſſiones animi, *præcordia* & *viſcera* ſæpius perturbantur, *materies ſpaſmodica nervorum interiorum* ductus apertiores promptius ſubit; illique propterea *ſpaſmis*, in *abdomine*, & *thorace* excitatis, magis obnoxii redduntur: Hinc enim eſt quod *mulieres paſſionibus* dictis *hyſtericis*, ac *viri* quidam *hypochondriacis* moleſtantur; ſicut

poſtea,

poſtea, cum de affectibus iſtis particulatim diſſeremus, fuſius declarabitur.

*Quo ritu juxta nervorum principia ſubſiſtens, aut in ductus altius prolapſa ſpiritus afficit.*

Cum materies ſpaſmodica quorumvis nervorum capita adpellit, vel ibidem ſubſiſtens vertiginem tantum, partiumque ad quas nervi iſti pertingunt, leviores ſpaſmos, & ſubſultus creat, vel in nervorum ductus altius prolapſa paroxyſmos convulſivos atrociores parit: eadem vero in proceſſus nerveos delata, per caudicis, ſive trunci unius aut plurium propagines, modo *omnes*, modo *aliquas* tantum, cæteris patentiores diſponitur; atque *ſpiritibus* tum intra ipſos nervos, tum intra *fibras appendices* conſitis paulatim accreſcit: nimirum par ratio eſt, & ſimilis fit apparatus in diſpoſitione ad paroxyſmos convulſivos, ac ſi *pulveris pyrii* ſucceſſive explodendi grana per longas ſeries jacerentur. *Spiritus* ad hunc modum *copula heterogenea* imbuti, tum intra nervorum *truncos*, tum intra *fibras membranis*, & *muſculis* intertextas, potiſſimum vero intra *plexus nerveos* hoſpitantur; cumque illi aut *gravati* ob nimiam *plenitudinem*, aut data aliqua *occaſione* exagitati; copulam ſuam excutere coguntur, particulæ eliſæ & ab invicem proſilientes partes continentes valde inflant, adeoque *impetum motivum* contra *appetitus*, & *naturæ* juſſa, & leges excitant: Porro *ſpiritus* ad *motus convulſivos* obeundos ſemel incitati, à ſyſtematis nervoſi extremitate, una, aut altera, ut plurimum vero in *fine* exploſiones ordiuntur. Illi autem, qui primo exploſi ſunt, proximos quoſque prædiſpoſitos, velut *traduce ignario* corripiunt; adeoque longa, & continuata ſpaſmorum ſerie, à meta una ad alteram affectionem inceptam propagant: nam *convulſio* ab imo *abdomine*, aut *à pede*, aut *manu* exorta, ſenſim ad ſuperiora, & plerumque ad *ipſum ἐγκέφαλον* prorepit: idemque affectus cum à *cerebro* (prout in *Epilepſia*) orditur, illinc pariter deorſum ad viſcera remota, etiam ad membra & artus exteriores derivatur.

*Spiritus exploſiones ineunt ob plenitudinem, aut irritationem.*

*Materies ſpaſmodoca convulſiones, aut continuas aut periodicas infert.*

*Materies morbifica* in capita nervorum influens pro varia ſui copia & diſpenſatione, diverſimoda convulſio-

convulſionum genera producit: nam primo obſervare eſt, abundante, & exuberante materia, interdum *ſyſtematis nervoſi*, aut quorundam ejus partium *totos ductus* occupari, ita ut *ſpiritus animales* tum influi, tum inſiti, *copula heterogenea*, ejuſque ſupplemento perpetuo ſaturati, in *ſpaſmos continuos* urgeantur. Novi quibus muſculi omnes, ac tendines in toto corpore *contracturis* & *ſubſultibus* ſine intermiſſione afficiebantur: Novi *alios*, quibus *brachia*, & *crura*, cæterique artus in varias flexiones, & diſtorſiones perpetuo cogebantur: quin & *alios* vidi, qui ſaltare, huc illuc diſcurrere, pedibus, manibuſque humum contundere neceſſe habuerunt; quod ni facerent in immanes viſcerum, & præcordiorum convulſiones incidebant. 2. *Particula heterogenea* & *exploſiva*, ſi minori copia cum ſpiritibus combinatæ ſint, ipſis ſine tumultu, aut perturbatione adhærent, donec poſt aliquod tempus utræque particulæ iterum diſſilientes, ac ab invicem eliſæ paroxyſmos convulſivos cient; cujuſmodi *paroxyſmi* ſunt vel *periodici*, & *ſtatis horis* exacte repetunt; quod accidit ob *materiam morbificam æquali dimenſo* generi nervoſo quotidie ſuffuſam; proindeque circa idem temporis ſpatium, ad *plenitudinem exploſivam* etiam quotidie aggeſtam; vel *vagi* & *incerti*, in quibus ſc. particulæ heterogeneæ minori adhuc copia ſuffuſæ, non niſi longo tempore ad *ſaturationem exploſivam* aſſurgunt; quarum interim cum *plenior aggeſtio*, tum *exploſio* ob *plures occaſiones*, ſive *cauſas evidentes* modo *crebrius*, modo *rarius* ſolent accidere: hinc fit ut *affectio ſpaſmodica* nonnunquam cauſæ evidenti in totum aſcribatur, cum revera niſi *procatarxis convulſiva* præceſſerat, talis cauſa nullam excitaſſet.

*Spaſmorum cauſæ evidentes.*

Itaque ut de *convulſionum cauſis evidentibus* nonnihil dicamus; ſupra obſervavimus, ſi vehementiores fuerint, & *cerebri*, ac *nervoſi generis* conſtitutioni teneriori, ac imbecillæ acciderint, eas interdum *ſolitarias*, *pathemata convulſiva* inferre: at vero quoties *affectio ſpaſmodica* gravior, & *habitualis* facta, ſæpius redire ſolet, licet *cauſa evidens*

*dens* in propatulo ſit, & effectus culpam ſuſtineat, nihilominus ſuſpicari licet *procatarcticam* intus *latere*, & in efficiendo potiorem exiſtere: niſi enim ſpiritus copula heterogenea imbuerentur, in exploſiones involuntarias, & præternaturales nec tam facile, nec tam crebro adigerentur.

*Cauſarum evidentium duplex ordo*, ſive *claſſis* occurrit; aut enim ejuſmodi ſunt quæ *procatarxin adauget*, eamque citius ad *plenitudinem exploſivam* perducunt, uti ſunt *mala victus ratio*, & *errata in ſex nonnaturalibus*, quæ *ſanguinem* & *ſuccum nervoſum* inquinando, particulas heterogeneas majori copia ſpiritibus ad ſaturationem ſuggerunt, proindeque acceſſiones ſpaſmodicas eo citius accerſunt. *Vel* 2. *cauſa evidens* dicitur quicquid *ſpiritus derepente exagitans & irritans*, ut ſtatim *explodantur*, efficit, & *copulam ſuam*, qualiſcunque fuerit, elidant: atque hujus generis plurima ſunt, quæ ſpiritibus modo intra ἐγκέφαλον, modo intra *ſyſtema nervoſum* conſitis, accidentia, motus convulſivos inſtinctu diverſimodo (prout in regularibus aſſolet) aut directos, aut reflexos cient.

*Cauſa evidens duplex, ſc. implens, & irritans.*

*Cauſa irritans ciet ſpaſmos directos, aut reflexos.*

1. *Prioris generis* potiſſimum ſunt *violentæ animi perturbationes*, quibus *ſpiritus Cerebri incolæ* agitati, atque confuſi, alios intra *nervoſum genus* ſcatentes, & ſæpe prædiſpoſitos ad *exploſiones irregulares* incitant; ita vehemens *timor*, *ira*, aut *triſtitia* non modo incommodo valetudine affectis *inſultus epilepticos*, aut *hyſtericos* inducunt; ſed interdum aliis quibuſcunque *cordis palpitationem* & *tremorem*, quin & *membrorum & artuum convulſiones horrificas* accerſunt. 2. Quoad *alterum cauſæ evidentis genus*, quo ſc. *Spaſmi* actu *reflexo* incitantur; hoc quidem nec infrequenter locum habet, quoties *gravis moleſtia*, cum *fibrarum* & *ſpirituum irritatione*, *nervoſo generi* alicubi exhibetur: quippe eadem *moleſtia* mox cum primis ſpirituum fontibus, nempe *cerebro* aut *cerebello* communicata, exinde *motus inordinati*, ac *violenti* præter animi arbitrium incepti, h. e. *convulſivi*, retorquentur; ita namque *lumbri-*

*ci*,

*ci*, *pharmaca*, aut *acres humores*, inteſtinorum tunicas immaniter vellicantia, iſtarum partium, & non raro membrorum externorum ſpaſmos inferunt.

Hæc de *ſingulis cauſarum*, *conjunctæ*, *procatarcticæ*, & *evidentium* generibus, à quibus *morbi convulſivi habituales facti*, & cum gravioribus paroxyſmis repetere ſoliti, exoriuntur: cum vero *alteram hujus morbi ſpeciem* aſſignavimus, ubi *paroxyſmi* à *cauſa evidenti ſolitaria*, ſeu fere tantum ab *irritatione*, ſpiritibus nondum *copula exploſiva* præoccupatis, dependent; jam proxime diſquiratur *quibus*, *& quot modis* hoc fieri contingit. Super his in communi ſtatuitur *inſultus ſpaſmodicos*, à *mera irritatione productos*, aut *leviores* eſſe, & cito pertranſeuntes, aut *graviſſimos*, & non raro *lethales*, prout quando venenis aſſumptis, aut ὑπερκαθάρσει ſuperveniunt. Porro adnotetur, cum *materies morbifica*, ſive *irritativa* ipſis nervorum caudicibus, aut plexibus inſederit, eam non raro etiam *exploſivam* evadere, utcunque ſpaſmos etiam à mera irritatione productos (prout ſupra annotavimus) exploſiones quaſdam eſſe. Itaque his prælibatis, rem propoſitam expediamus.

*Cauſa irritans diſtinguitur quoad loca affecta, quoad ſubjecta.*

*Partium nervoſarum irritatio*, quæ *motus convulſivos* efficere ſolet, *variis in locis*, *variiſque ex rebus*, quæ *ſpiritibus* & *fibris incongrua*, atque *inimica* ſunt, contingit. Quoad *res ſpirituum naturæ adverſantes*, obſervare eſt præter *venena*, & *qualitatum tangibilium exceſſus*, qui ab extra infliguntur, multa quæ intus in nobis gignuntur, ſc. *varia ſanguinis*, *& ſucci nervoſi recrementa*, *miaſmata febrilia*, *humores præternaturales*, *ſalinos*, aut *ſulphureos*, quinimo *lumbricos*, *calculos*, cum pluribus aliis nervoſo generi infeſta eſſe, & *irritationes ſpaſmodicas* paſſim ciere. Quoad *loca affecta*, ſive *materiæ irritativæ ſedem*; licet hæc in qualibet ſyſtematis nervoſi parte noxam inferat, ut plurimum vero maxime infeſta eſſe ſolet cum juxta *ſyſtematis nervoſi principia*, vel *extremitates*, vel circa *medios nervorum proceſſus*, ac præcipue in eorum *plexibus* *defigitur*: Porro talis materia, quæ

*Loca affecta ſunt nervorum principia, extremitates, & medii proceſſus & plexus.*

ſpiritus irritans, *cauſa evidentis* loco eſſe ſolet, non raro, prout modo innuimus, etiam *procatarctica* rationem ſubit, quatenus nimirum particulæ heterogeneæ ab illa emiſſæ, fibras nerveas ſubeunt, & cum ſpiritibus combinatæ, eos ad explodendum aptiores, & procliviores reddunt.

*Cauſa irritans ut nervorum origines efficit.*

1. Igitur interdum accidit *humores malignos*, & nervoſo generi infeſtos è *ſanguine* in *cerebri regionem* ſuffuſos, & exinde demum in poſticam capitis regionem delatos, *nervorum origini* incumbere; ubi ſi diſrupta pellicula, quæ medullam oblongatam inveſtit, in nervorum truncos nudos incidunt, eorumque fibras altius ſubeunt; propterea quidem *motus convulſivi* non modo in *partibus capiti vicinis*, verum aliquando in valde *remotis*, & non raro in toto *ſyſtemate nervoſo* oriuntur: Hoc paſſim obſervare eſt in *malis febrium criſibus*, materia morbifica in caput tranſlata, item in *affectibus cephalicis*, in ſtatum peſſimum, ac lethalem evectis. Revera cum plurium hoc ritu defunctorum capita aperuerim, reperi in omnibus poſticam *medullæ oblongata* regionem ſero acri & *ſalſugine* immerſam.

*Ut nervorum extremitates.*

2. Quemadmodum ſyſtematis nervoſi *extremitas interior*, ſive *origo*, ita non raro *exterior*, ſive *finis* à vellicatione illic facta, *ſpaſmos*, ſive *motus convulſivos* ſuſcipit, eoſdemque quaquaverſus transfert: hoc in *membris exterioribus* paſſim fieri, teſtantur *tendinum ac nervorum punctura* Nec minus à *vellicatione* in viſceribus facta *ſpaſmi* circumquaque excitati ſolent, ſi quando *pharmaca*, aut *humores acres*, nec non *lumbrici* in *ventriculo*, aut *inteſtinis* ſcatentes partes membranaceas vellicant, adeoque ſenſionem moleſtam primis ſenſoriis imprimunt; exinde ſtatim ob ſpirituum excandeſcentias *motus convulſivi* modo in *partes affecta*, modo indifferenter in *alias quaſcunque* retorquentur: nam à graviori viſceris cujuſdam noxa ſæpe *ſpaſmi* non tantum *partes affectas*, & vicinas occupant, verum in *faciei* ac *oris* muſculos, nec non in *membra exteriora* transferuntur. *Calculus ureteri* impactus haud tantum in iſto ductu,

ctu, verum in *tota vicinia contractiones* immanes accerſit. Porro *ſymptomata* quædam *hyſterica*, aliaque *hypochondriaca* nonnunquam hac ratione inducuntur; quatenus nimirum *vellicatione* in viſceris cujuſdam membranis facta, illico *ſpaſmus* retorquetur.

3. *Materies irritativa*, quæ ſpaſmorum *cauſa evidens* eſſe ſolet, interdum *medios nervorum proceſſus* occupat; & propterea *partes* modo *ſupra*, modo *infra* illius ſedem ad *motus convulſivos* incitantur: Hoc de nervorum plexibus ſatis conſtare videtur; cum enim *ſucci nervoſi recrementa acria* in iiſdem congeruntur, non raro ſpaſmi per totam viciniam procreantur: hac ratione *affectio colica*, atque *hyſterica*, nulla viſcerum iſtorum culpa tantum ab humore in *meſenterii plexibus* depoſito non raro progigni, ac excitari videntur (quod equidem poſthac, cum de affectibus iſtis particulatim agemus, planius oſtendetur): Pariter ob *plexus ganglioformes* humore acri & irritativo obſeſſos, *præfocatio in gutture*, nec non variæ *præcordiorum contractiones* inferuntur. Porro *affectiones ſpaſmodicæ* ab humore acri intra *totos nervorum caudices*, & corporum nervoſorum meatus ſcatente, non raro dependent. Vidimus quoſdam *convulſionibus admirandis*, ac *perpetuis affectos*, ut neceſſe habuerint (prout ſupra retulimus) membra huc illuc jactare, & diſtorquere, ſaltare, diſcurrere, humum manibus, aut pedibus contundere, aliaſque geſticulationes ſtupendas exerere, haud ſecus ac ſi *ſagarum præſtigiis* læderentur, cujuſmodi *paſſionum cauſa* genuina in eo conſiſtere videtur, quod *ſuccus nervoſum genus irrigans*, inſtar *aquæ ſtygiæ* acerrimus, ac à debita craſi degener factus, ſpiritus inſitos influoſque continuo irritaret, ac velut œſtro quodam afflaret:

*Ut medios proceſſus & plexus.*

Ex his quæ circa varias *convulſionum cauſas* diſſeruimus, multiplices eorundem *ſpecies* & *differentiæ* eliciantur: Nam primo annotavimus reſpectu *originis*, pathemata ſpaſmodica ſæpiſſime à *capite affecto*, ſeu materia morbifica in *nervorum principia* influente, derivari; quandoque tamen,

*Spaſmorum differentiæ reſpectu Originis.*

licet

licet rarius, eas à tali materia in *nervorum extremitates* irrepente pendere.

2. Quoad *morbi* & *ſymptomatum productionem*, obſervamus eandem aliquando à *cauſa evidenti ſolitaria*, uti paſſione ſubito, & vehementi produci: Sæpius vero *procatarxim*, ſive diſpoſitionem præviam requiri: porro cauſas interdum ita coincidere, ut *cauſa procatarctica* etiam *evidentis* vicem ſuppleat; quin etiam è contra, ut *hæc illius* loco fuerit. *Cauſarum.*

3. Quoad *morbi extenſionem*, *affectio convulſiva* diſtingui poteſt in *univerſalem*, qua ſpiritus fere totum ſyſtema nervoſum, ipſumque ἐγκέφαλον actuantes, ſucceſſive exploduntur; & *particularem*, in qua ſpiritus intra privatam quandam ditionis animalis regionem afficiuntur. *Morbi extenſionis.*

1. Prior iſta cietur quando ſpiritus animales intra primos ipſorum fontes, nempe *Cerebri*, & *Cerebelli* meditullia irritantur, unde ipſorum exploſiones violentæ accidunt: quapropter tum animæ *functio quævis interna*, ſc. ſenſus, & imaginatio obſcurantur, ejuſque *facultas exterior locomotiva* pervertitur: Hujuſmodi *affectio ſpaſmodica univerſalis*, in qua ſc. præter artuum & viſcerum ſpaſmos, *interiores animæ potentiæ* eclipſin patiuntur, iterum *duplex eſt*: nempe aut *primaria*, quæ ab ἐγκεφάλῳ incipit, oriturque in quantum ſpiritus hujus incolæ *particulis nitroſulphureis* imbuti primo exploduntur, eorumque accenſio, cæteros in *appendice tum medullari*, *tum nervoſo* ſcatentes corripit, ibique *exploſiones convulſivas* concitat, prout cernitur in epilepſia.

2. Vel *paſſio iſthæc univerſalis* ἀναισθησίαν inferens *ſecundaria* eſt, quæ ſc. alicubi in *nervoſo genere* inchoata, exinde ſpirituum copiis ſucceſſive affectis, factaque velut *aquarum undulatione*, demum ipſi ἐγκεφάλῳ traditur: hoc paſſim accidit in paroxyſmis, qui dicuntur hyſterici, in quibus ob ſpaſmum principio in imo ventre incipientem, moles, ſive intumeſcentia in *abdomine* excitatur; dein eodem affectu per nervorum ductus

ſuperius

ſuperius lato, *ventriculus*, ac mox *præcordia* contrahuntur, ac tandem ſpaſmo *caput* impetente, patientes corruunt, iiſque notitia omnis adimitur; denique morbo in *nervos alios* reflexo, membrorum *exteriorum* motus convulſivi ſuccedunt.

2. Quod vero ſpectat ad *ſpaſmum particularem*, in cujus paroxyſmo ægrotantes animo conſtant, hic quidem varias differentias ſortitur. Quoad *materiæ ſedem*, quæ circa nervorum *principia, extremitates*, aut *medios proceſſus* contingit, ſpaſmorum (uti oſtendimus) diverſitas oritur: Quinimo prout iſta *materies morbifica*, nervorum principia obſidens circa *medullæ oblongatæ caput*, *medietatem*, aut *caudam* defigitur; propterea accidit modo tantum *faciei*, aut *oris* partes, modo *imi*, aut *medii ventris* viſcera, ac modo *artus exteriores* potiſſimum, ac fere tantum convelli.

*Inſultus durationis.* Porro *convulſio*, quoad *inſultus durationem*, ejuſque *magnitudinem*, diſtingui ſolet in *continuam*, ac *intermittentem*: Prior ſicut ſupra innuimus dicatur τέτανος, ſive *contractio permanens*, uti cum pars una, aut ſimul plures *conſtanti tenſione contracta* aut *diſtorta* in eodem ſitu præternaturali aliquandiu detinentur; ſic quandoque muſculus, aut membrum, puta oculus, labium, gena, à recta poſitione diſtorquentur, nec ſtatim facile reduci poſſunt: cujus cauſa interdum eſt *reſolutio*, ſive *paralyſis* in quibuſdam aliis muſculis; qui cum relaxantur, oppoſiti nimis fortiter agunt, & partem, quæ inter utroſque velut in æquilibrio conſiſtere debuit, verſus ſe totam corripiunt: aliquando tamen talis *contractio permanens* excitatur propter tendines humore ſeroſo impacto obſeſſos, qui proinde rigidi evadunt: Hujuſmodi affectus in *ſcorbuto* familiaris exiſtit, ut ægri quandoque nullum membrum aut articulum extendere poſſint; ſed velut in orbem, ſeu globum contrahantur. Nonnunquam tendines in dorſo, ob talem humoris incurſum, oſſa extra debitum ſitum trahunt, & *gibboſitatem*, vel corporis *incurvaturam* pariunt.

pariunt. *Tetanus* diſtingui ſolet in *univerſalem*, cujus tres ſunt ſpecies; ſc. ἐμπροσθότονος, ὀπισθότονος, & τίτανος ita proprie dictus, & *particularem*, quæ membrum quoddam vel articulum privatum reſpicit : Super his poſtea ſpeciatim dicemus.

2. *Convulſio intermittens*, aut *brevis* eſt & *momentanea*, quæ per crebras vices, & quaſi per *ſubſultus* peragitur, prout obſervare eſt in *horrore* & *tendinum concuſſionibus*, quæ ſemper crebra *motus*, & *quietis* alternatione interſtinguuntur : vel *ſpaſmorum inſultus*, eorumque *intervalla* diutius protrahuntur : ita uſitatum eſt *paroxyſmos convulſivos*, quando repetunt, *aliquandiu perdurare*, ac *rurſus deſinere*; tales autem *periodi* modo *certæ* ſunt, atque ſtatis *horis eveniunt*, modo *raræ*, ac *incertæ*, atque pro variis datis occaſionibus diverſimode contingunt. Plures ſunt aliæ hujuſce affectus differentiæ, quæ poſtea cum de ſingulis convulſionum ſpeciebus particulatim dicemus, melius elucеſcent.

---

## CAPUT. II.

### *De Epilepſia.*

HActenus *Spaſmorum*, ſive *Convulſionum* in genere *naturam*, *cauſas*, & *differentias*, juxta hypotheſin plane novam, & inſolitam, ſed rationi (ut opinor) ſatis congruam tractavimus : jam proxime incumbit præcipuas iſtius affectus ſpecies particulatim explicare; inter quas *Epilepſia* prærogativam facile meretur, ejuſque conſideratio methodi, ſive ordinis jure quodam præcedere debet; quippe hic morbus in corpore humano quaſi imperium ampliſſimum nactus, non modo in totum ἐγκέφαλον, ſed plerumque ſimul in omnes ſyſtematis nervoſi partes tyrannidem exercet: quapropter ab affectionis immanitate, *morbus Herculeus*, ab inſultus more tamquam à numine

*immiſſi*

*immiſſi* admodum ſtupendo, *νόσος ἱερὴ*, ſive *morbus ſacer* ab antiquis appellabatur; cui accedit cujuſdam noſtratis, haud infimæ notæ, Theologi conjectura, nempe plures, qui in novo Teſtamento pro *Dæmoniacis* habentur, tantum *Epilepticos* fuiſſe; morbique hujus à Chriſto Salvatore *curationem*, *ſpiritus mali ejectionem* ſive *exorciſmum* dici: Revera in hoc affectu *materiæ morbificæ* adeo obſcura aut prorſus nulla veſtigia apparent, ut merito hic *ſpiritus malefici afflatum* ſuſpicemur: ſaltem probabile eſt, quoties diabolus præſtigiis ſuis miſeros mortales affligere permittitur, ipſum non poſſe ex alia pharetra graviores ſagittas torquere, aut ſub meliori larva, quam monſtroſi hujuſce morbi inſultibus miracula oſtentare.

*Epilepſiæ* ſymptomata uti ſunt plurimum ſtupenda, ita illorum *cauſæ*, & *ipſius morbi* ratio formalis difficillime explicantur. Enimvero inter Authores tum de *parte affecta*, tum de afficiendi modo, res varie controvertitur: plerique hujus *ſedem* in *cerebro*, aut *ventriculis* ejus; alii in *meningibus*, quin & nonnulli in *medio*, aut *imo ventre* collocant; quo tamen jure mox inquiretur: Interim ut miſſis aliorum opinionibus, recti ratiocinii filo vera *morbi hujus Theoria* inveſtigetur, *primo deſcriptionem* ejus, ſimul cum integro Phœnomenων cenſu exarare; *ſecundo*, iſtis rite perpenſis, *morbi ſubjectum*, & *partes* præcipue *affectas* eruere; tertio demum *rationem* & *modum* quo morbus iſte generetur, cum veris *ſymptomatum cauſis* ſubjicere nitemur.

*Epilepſiæ deſcriptio, ſeu morbi hiſtoria.*

Primo, quoad *morbi ideam*, *inſultus epilepticus*, univerſalis, ac *immanior* tantum *convulſio* eſſe videtur, in qua ſc. ſpiritibus *cerebri* incolis primo irregulariter commotis, & velut confuſis cæteri omnes *τοῦ ἐγκεφάλου appendicem* tum *medullarem* tum *nervoſam* incolentes, ſimul *motus convulſivos*, ſive *contractiones* inordinatas ineunt, eaſque aliquandiu cum crebris ſubſultibus continuant: *morbi acceſſio* ut plurimum ex improviſo aggreditur, ægroſque nihil tale cogitantes opprimit,

mit, atque ictu oculi citius ſenſu & intellectu orbos in terram præcipitat; quippe non tam *cadunt*, quam cum impetu quodam *proſternuntur*, ut ſæpe pars primo in terram aut corpora adjacentia alliſa livore aut vulnere afficiatur; proſtratis ſupervenit *ſtridor dentium*, cum *ſpuma oris*, ſæpe etiam *capitis concuſſio*, & *crebra ad humum alliſio*; *brachia* & *crura*, quinimo *cervix* & *dorſum* aut *ſtatim rigida fiunt*, aut *variis flexionibus* huc illuc diſtorquentur; aliqui *pectus* immaniter contundunt, alii *brachia* & *crura* valide exerunt; eaque, ac totum aliquando corpus huc illuc impetuoſe jactant; pleriſque autem *præcordia* & *hypocondria*, nec non *totus inferior venter intumeſcunt*, & valde *inflantur*: poſt aliquod tempus modo brevius modo longius hæc ſymptomata, quaſi Tragœdia peracta, derepente ceſſant, & tunc ægroti denuo ad ſe redeunt, ac mente conſtant; ſuperſtite vero poſt paroxyſmum *capitis dolore*, cum *torpore*, & *hebetudine ſenſuum*, & non raro *vertigine* & *ſcotomia*.

*Paroxyſmi epileptici* repetere ſolent, quandoque ſtatis temporibus *diei*, *menſis*, aut *anni*, ut plurimum vero juxta majores *anni* τροπὰς, aut *lunæ*, aut *ſolis* συζυγίας vel *aſpectus oppoſitos* certius redire, & gravius affligere ſolent: quandoque acceſſiones ſunt incertæ, & vagæ, pro occaſione & varietate cauſarum evidentium: ſunt autem *paroxyſmi* modo *leviores*, qui cito pertranſeunt, ita ut ægroti vix in terram præcipitentur, nec ἀναιϑησίᾳ corripiantur; modo *graviores* ſunt, quibus correpti plurium horarum ſpatio inſenſiles decumbunt, & velut dæmoniaci, horrendis ſymptomatis torquentur: aliquando, licet rarius, ſigna quædam paroxyſmi prænuncia lapſuros commonefaciunt; ut ſunt *capitis gravedo*, *oculorum coruſcatio*, *aurium tinnitus*; interdum in parte quadam exteriori, *brachio* nempe, aut *crure*, aut etiam in *dorſo*, vel *hypocondriis* ſpaſmus præcedit, qui exinde inſtar *auræ frigidæ aſcendens* & verſus caput perreptans, caducum inferre videtur: *Morbo* huic, *pueri*, & *adoleſcentes*, magis quam maturæ ætatis homines, aut ſenes obnoxii

reperiuntur: quicunque inſultum ejus ſemel repreſſi ſunt, niſi remediorum ope curantur, poſtea vix per totam vitam ejus labe prorſus immunes fiunt; paroxyſmi quo ſæpius repetunt eo graviores uſque evadunt, qui cum frequenter iterari valde atroces exiſtunt, *memoriæ*, *imaginationis*, & *rationis* uſum, & dein totius functionis animalis robur ac vires enervant; donec hujus œconomia valde perverſa, functio demum vitalis labaſcat, & ſenſim aboleatur. Explicatis ad hunc modum hujus morbi telis, & apparatu malefico, jam proxime inquiramus in qua *parte ſedem* figat: ſive quod ſit proximum ejus ſubjectum.

*Morbi ſubjectum ſive ſedes inquiritur.*

2. *Epilepſiæ acceſſio* & invaſionis modus plane innuere videntur *ſedem ejus primariam*, ſive partem præcipue affectam alicubi intra caput contineri; quod autem *paroxyſmus* nonnunquam in partibus remotis incipiat, & exinde verſus caput aſcendat, hoc quidam ita fieri *videtur* tantum, & *ex accidenti* contingit, cum interim *cauſa morbifica* circa ipſum ἐγκέφαλον ſubſiſtit (prout inferius declarabitur): verum quod à primo morbi inſultu ſtatim ἀναισθησία cum membrorum & viſcerum fere omnium contractionibus ſuccedit, hoc manifeſto indicio eſt, una *totam ἐγκεφάλȣ compagem*, & *nervorum omnium origines* à cauſa morbifica occupari; At vero etiamnum explicatu difficillimum videtur ubi *cauſa* iſta, ſive *materies morbifica* præcipue ſubſiſtit; neque enim probabile eſt, eandem per cunctas cerebri partes diffundi; nec tamen conſtat in quo loco ſingulari ea defixa, cæteras omnes partes ita ſubito in ejuſdem noxæ conſenſum trahat.

*Hanc alii meningas alii cerebri meditullium ſtatuunt.*

E variis ſuper hac re Authorum ſententiis, *duæ* præ cæteris magis probabiles videntur, & pari veriſimilitudine aſſenſum vendicant. Quarum *una* aſſerit *Cerebri meditullium*, atque *altera meningas ipſum inveſtientes* eſſe primariam *Epilepſiæ* ſedem: *Prioris* ratio in hoc fundatur, quod ubi ſpirituum animalium fons, & ipſius animæ ſenſitivæ origo conſiſtit, ibidem hujus morbi cauſa poni debet; nempe cum principes facultates primo læduntur, cæteræ

omnes

omnes ejusdem noxæ facile participant: verumenimvero ut concedam in *Apoplexia*, & *ſpirituum deliquio* ita habere, attamen in *convulſione* (cujuſmodi *affectus eſt Epilepſia*) non ſequitur *fibras* & *nervos* omnes convelli, quia *cerebri meditullium* prius *convellitur*: quippe hoc cum ſit mollis & fluidæ ſubſtantiæ,atque motus & ſenſus expers,*contractionis*, ſive *affectionis ſpaſmodicæ* minime capax videtur: quapropter alii cerebrum & quamvis ejus partem à morbi hujus culpa eximentes, cauſam ejus omnino in meningas rejiciunt; aſſerentes *ſcil.* membranas cerebrum inveſtientes, ac inprimis illarum proceſſus cerebri, ac cerebelli fiſſionibus inſtratos, ſiquidem à materia morbifica vellicantur, ſpaſmos, ſive convulſiones immanes concipere; dein à meningibus iſtis cotractis et diductis una cerebrum incluſum valde comprimi, & conſtringi, ita ut poris, & meatibus ejus conſtrictis ἀναισθησία inferatur, ſimulque nervorum caudices, quibus utraque meninx appenditur, in conſenſum illarum perducti, etiam motus convulſivos ineant: Et quidem ad hunc modum Epilepſiæ ratio formalis forte explicabilis videtur; at vero cnm rem altius perpendo, etiam ab hac ſententia diſcedere viſum eſt, quia nimirum haud conſtat quo ritu, & quam ob cauſam, imminente caduco, meninges iſtæ ſpaſmos adeo horrendos concipiant. Quinimo nec liquet, quomodo ab iiſdem, utut convulſis, paroxyſmus epilepticus inducatur.

*Aſſeritur meningas non eſſe primario affectas.*

Quoad prius; impoſſibile videtur meningas, quoad totas earum concavitates, ita contrahi, ut inſtar marſupii arctius conſtricti, contenta ſua undique convellant, ac in ſpatium anguſtius contrahant: quippe dura mater pluribus in locis calvariæ firmiſſime cohæret, quin & iſti pia mater, juxta ſinuumproceſſus,mutuo membranarum nexu & ubique præterea vaſorum continuitate colligatur: hinc facile patet, utramque membranam, quoad magnam ſui partem, immobilem eſſe, ita ut ſpaſmos univerſales nequaquam ineant: quod vero ad ſpaſmos minores attinet, ut cum meningis hujus, aut iſtius, vel ſimul utriuſque portio

quædam convellitur, revera tales evenire concedimus: nam ſæpius audivi cephalalgia graviori affectos, de magna partium ſub calvariæ latere, modo dextro, modo ſiniſtro conſitarum conſtrictione immaniter queri, nec tamen exinde ullus caduci inſultus ſequebatur: porro ut membranæ iſtæ inſigniter læſæ vellicationes maximas ſubeant, haudpropterea tamen paroxyſmus epilepticus induci ſolet: Novi enim, abſceſſu in dura matre excitato, & poſtea diſrupto, cum à pure fœtidiſſimo meninx tenuior & cerebri cortex exederentur, ægrotantem primo in ſtuporem, & demum in Apoplexiam letalem incidiſſe, qui tamen in toto morbi decurſu ſymptomate quovis epileptico immunis degebat: Item nemini duram matrem, terebello à chirurgo imperito adhibito, valde dilaceratam; in alio caſu eam cum parte calvariæ per vulnus abſciſſam, ut portio quædam cerebri extuberaret; nec tamen cuilibet horum pathemata quævis epileptica ſupervenerunt: Quapropter nec veſimile eſt, ſanguinem, aut humores, vel (ſi quispiam ita contendat) vapores meningibus iſtis impactos, majorem noxam inferre, quam aut plagam, aut vulnera iiſdem inflicta, aut ſaniem ibi ſuffuſam: præterea epilepſia leviori affecti, ſiquidem vix concidunt, ac per totum morbi inſultum adhuc animo conſtant, membranas ita contrahi, & cerebri globum arctius compingi perciperent, ſi ejuſmodi quæpiam affectio ſubeſſet; verum illi è contra cerebrum quaſi inflatum, & ſpiritus cum efferatione quadam exilientes, ac velut exploſos perſentiſcere videntur.

*Spiritus animales intra cerebri medituKlium conſitos eſſe primarium morbi ſubjectum.*

Et quidem, uti veriſimillimum, arbitor paroxyſmum epilepticum à ſpirituum animalium cerebri incolarum (qui nempe ſunt primum & immediatum hujus morbi ſubjectum) ſubita quadam rarefactione, & exploſione concitari; qua *ſcil.* cerebrum ipſum inflatur, adeoque inſenſile redditur ſimulque nervi appenſi in convulſiones aguntur: hinc enimvero contingit hujus morbi acceſſionem ita derepente incipere, & perfecte terminari, ſine magna materiæ morbificæ aut proviſione, aut

reli-

reliquiis; quia nempe labes non tam partibus ſolidis, quam ipſis ſpiritibus infertur.

Supra oſtendimus, quo ritu copula heterogenea & exploſiva particulis, uti videtur, nitroſulphureis conſtans ſpirituum animalium particulis ſpirituoſalinis accreſcens, ab iiſque ob plenitudinem aut irritationem denuo illiſa & exploſa, ſymptomata convulſiva producit: quamvis autem ejuſmodi copula ſpaſmodica è ſanguine in cerebrum primo extillatur; plerumque tamen ſpiritus ibi non prehendit, aut cum iis ſaltem illic non diu hoſpitatur: quin potius verſus appendicem nervoſam illico detruſa, ſpaſmos particulares, & juxta loca affecta reſpectivos accerſit: interdum vero, ſiquidem materies ſpaſmodica uberior & potens, atque cerebri conſtitutio imbecillis fuerit, copula heterogenea ſpiritibus non tantùm in nervoſo genere, ſed etiam intra ipſum ἐγκέφαλον conſitis affixa, diatheſin epilepticam infert; atque ſpirituum & copulæ iſtius particulæ exploſivæ ab invicem eliſæ caduci paroxyſmum incient. Quandoquidem enim urgente epilepſiæ inſultu ἀναισθησία plerumque ſymptoma primum, & fere pathognomicum exiſtit, inferre licet ſpiritûs animales intra ipſum cerebri meditullium ſcatentes ante alios affici; proindeque partem eam eſſe priucipalem morbi ſedem: dein quatenus ægrotantis caſus, ſive in humum projectio, atqu membrorum & viſcerum ſpaſmi ſæpiſſime ἀναισθησία iſti ſuccedunt, ſequitur ſpiritus animales etiam ſyſtematis nervoſi incolas eadem copula exploſiva imbui, cumque ipſis cerebri incolis in conſenſum trahi, ab iiſque ad exploſiones puriter inordinatas excitari; licet aliquando (tota ſpirituum tum in cerebro, tum in nervoſo genere conſitorum ſerie, inſtar longioris pulveris pyrii tractus, ad exploſiones prædiſpoſita) ſpaſmus exteriùs & è longinquo forſan in membro quodam, aut viſcere incipiens, poſterius in cerebrum traducatur, prout infra plenius oſtendetur. Interim ipſius cerebri regio ſemper hujus morbi ſedes primaria ſtatuatur; atque pro affectus cauſa conjuncta ſupponere debemus,

 non

non aquam in cerebri ventriculis congeſtam, nec humorem craſſum, aut viſcidum ejus poris & meatibus impactum: tales enim cauſæ ſenſim gignerentur, & proinde ſigna quædam paroxyſmi imminentis prænuntia ederent; porro acceſſione morbi finita, talis materia non ita brevi tempore penitus diſcuteretur; quin à reliquiis ejus functionis animalis impedimenta quædam manerent, quod equidem in Epilepſia, niſi inveterata, rarius contingit; attamen pro caduci inſultu excitando, nihil minus ſuſpicari licet, quam ſpiritus animales, qui intra medullarem cerebri ſubſtantiam ſcatentes. ſenſus interioris, imaginationis, & appetitus actus perficiunt, copulam heterogeneam nactos inordinate explodi, proindeque, iſtis extra ordines & ſtationes ſuas perturbatis, ſuperiores regiminis animalis facultates eclipſin pati; dein ab hac majori ſpirituum exploſione, velut à fomite ignario, ſpiritus alios, appendicis medullaris, & nervoſæ hoſpites, etiam in exploſiones prædiſpoſitos, ſimiles ἀταξίας concipere, pariterque exploſos, corporum continentium motus convulſivos ciere.

*Morbus ſecundario plurimas ſyſtematis nervoſi partes afficit.*

Quamvis enim cerebri meditullium ſemper eſſe primariam Epilepſiæ ſedem, & ab initio, fere tantum in illa regione, materiam morbificam congeri ſtatuimus: tamen affectu ingraveſcente, hæc uberius in caput delata fines ſuos latius explicat, adeo ut particulæ ſpaſmodicæ, & in reliquo cerebro, & inſuper in appendice nervoſa, tanquam pulveris pyrii, ſive ſeminii exploſivi ſtrata, huc illuc, longe lateque protenſa jaciuntur, quo fit ut primo ἀναισθησίας inſultui, convulſiones modo in his, modo in illis partibus, et non raro in toto corpore excitatæ, ſuperveniant.

## CAPUT III.

*Epilepſiæ differentiæ, & ſymptomatum quorundam rationes explicantur. Nec non ejus methodus therapeutica adumbratur.*

HÆc de epilepſiæ eſſentia & cauſis in genere: jam proxime incumbit hujus morbi differentias nec non accidentium quorundam, & ſymptomatum ad eum pertinentium rationes explicare: quibus demum obſervationes, & ægrotantium hiſtoriæ cum medendi methodo ſubjungentur.

Epilepſiæ maxime notabilis differentia peti ſolet à ſubjecto, nempe quod cerebrum aut pars ejus in hoc morbo laborans, vel primario, ac idiopathetice, vel ſecundario ac non niſi per conſenſum cum aliis partibus afficitur: de priori ſpecie hactenus diſſeruimus; quoad alteram, in qua *ſc.* caduci inſultus alicubi extra caput oriri viſus, dein ipſum ſecundario & velut afflatu aliunde immiſſo corripit: obſervare eſt, ejuſmodi affectum (prout *Galenus* annotavit) vel a partibus externis, aut internis procedere: plura equidem epilepticorum exempla occurrunt, in quibus paroxyſmo ingruente, primo ſpaſmus cum ſtupore in manus, aut pedis digito, aliove membro particulari ſentitur, qui ſtatim exinde, velut cum formicationis ſenſu verſus caput prorepit; quod cum attigerit, illico ægrotans in terram proſtratus ἀναισθησία, aliiſque pathognomonicis caduci ſymptomatis corripitur: nec minus uſitatum eſt iſtius morbi procœmium, & primam quaſi velitationem, à ſtomacho, liene, utero, inteſtinis, genitalibus, aut aliis viſceribus incipere; imprimis nempe in iſtorum aliquo perturbatio quædam cietur; dein ab eo loco auræ velut frigidæ in caput aſcenſus percipitur; cui ſtatim affectioni caduci acceſſio, cum horrendo ſymptomatum apparatu ſuccedit: hinc vulgo creditur Epilepſiæ cauſam in parte ita primario affici viſa, deliteſcere, atque noxam ſuam in cerebrum, ex ſe inſons, propagare.

*Epilepſia, quæ per conſenſum excitari dicitur, ratio.*

*Epilepſiæ cauſa conjuncta tantum in cerebro conſiſtit.*

Verumenimvero ſuper his dicendum eſſe videtur, in quavis epilepſia cauſam non modo procatarcticam, ſed & conjunctam omnino in cerebro conſiſtere; nempe ſpiritus hujus incolas ad explodendum diſpoſitos, ibidemque exploſos, caducum omnem inferre. Quoad præliminaria iſthæc in quibusdam epilepticis ſymptomata, ea interdum cauſæ evidentis, nonnunquam vero tantum ſigni rationem habent: ſi quando enim diatheſi epilepſiæ mala cujuſdam viſceris, puta ſtomachi, lienis, aut uteri diſpoſitio accidat; quoties in viſcere iſto affecto perturbatio quæpiam cietur, facile contingit ob fermenti illic transmiſſionem, aut ſpaſmi in caput continuationem, in cerebro prædiſpoſito acceſſionem epilepticam excitari.

Attamen ejuſmodi caduci ſymptomata, quæ exterius ſuſcitata affectum cerebro propagare videntur, non raro ipſiuscerebri conſenſu oriuntur, & paroxyſmi epleptici ingruentis, ſive ſpirituum in cerebro explodi incipientium tantum ſigna exiſtunt: cum enim ſpiritus animales in cerebri & cerebelli meditulliis, ſimulque in medulla oblongata juxta nervorum origines conſiti, copula heterogenea ita ſaturantur, ut ad ipſam elidendam, proindeque morbi inſultum acciendum parati ſint, priuſquam illi una omnes conglobatim explodun- tur, ſpiritus aliqui exterius in privatis quibuſdam nervis ſcatentes, ſiquidem aſſueto ſuperiorum influxu deſtituuntur, inordinationes quaſdam concipiunt, proindeque ſpaſmos ineunt; qui ſpaſmi (prout in ejuſmodi affectibus ſæpe mos eſt) à nervorum extremitatibus huic, vel iſti membro, aut viſceri inſertis incipiunt, unde ſenſim ad eorum principia prorepunt; quo cum pervenitur, illico ſpiritus per totum ἐγκέφαλον, prius in exploſiones diſpoſiti, ab eo ſpaſmo commoti, proindeque tanquam fomite ignario correpti ſubito eliduntur; adeoque epilepſiæ paroxyſmum per ſe prius incipientem, velut ſecundario, & inſtinctu aliunde tradito excitare videntur: ad hunc modum aliquando paſſiones hyſtericæ, cum ab imo ventre incipientes cerebro communicantur, à viſceribus iſtis oriri, & eorum culpa

culpa ſuſcitari creduntur ; cum interim cauſa morbificacirca nervorum origines potiſſimum ſubſiſtit, ſicuta libi innuimus,& infra,cum de affectibus ſpaſmodicicis particulatim agemus, fuſius oſtendetur.

Reſtant plures aliæ morbi comitialis differentiæ; nempe quod ſit vel hæreditarius vel acquiſitus; rurſus utraque ſpecies varie diſtinguitur, ratione ætatis ſeu temporis quo primo ingruit, nempe cum prima acceſſio ante vel circa pubertatem vel poſt eam contingit ; porro quoad morbi efficaciam, in fortem & debilem, quatenus paroxyſmi cum vel ſine ἀναισθησίᾳ,& caſu fiunt, quoad morem ejus inordinatum, cujus inſultus ſunt vagi ac incerti ; quinetiam juxta ſymptomata his , aut illis ægrotantibus, propter quandam temperamenti indolem , aut idioſyncraſiam peculiaria , multifariam diſcriminari ſolet. *Epilepſiæ differentiæ aliæ*

Cæterum ex præmiſſis ſymptomatum plurimorum,quæ in hoc morbo occurrunt , cauſæ facile elucefcunt,ut non opus ſit iſtæc omnia particulatim hic conſiderare : de nonnullis vero,quæ magis intricata videntur,non abs re fuerit hoc in loco diſſerere.

Imprimis igitur hic lubet inquirere , cur hoc morbo laborantes non tam cadunt, prout apoplectici, aut ſyncopen paſſi , ſed potius cum impetu proſternuntur , inque terram , aliave corpora fortuito objecta, tanquam à ſpiritu quodam malefico dejecti alliduntur ; ita ut ſæpiſſime aliqua capitis, aut faciei pars præ caſu violento lædatur : affectique,haud ſecus ac Dæmoniacus in Evangelio,non raro in ignem aut aquam præcipitantur : Huc referre oportet , Epilepticos ejuſmodi malis obnoxios fieri, eo quod , urgente paroxyſmo,iis notitia omnis , ſive providentia adimitur ; ac inſuper nervis capiti vicinis valide contractis,tota corporis moles in præceps corripitur: Nimirum in ſyncope, & Apoplexia corporis affecti caſus videtur tanquam ædificii ruina, quæ ob fulcimenta ejus ſubtracta contingit : at vero in caduco , non aliter res habet, quam ſi domus à pulvere pyrio exploſo ſubverteretur, quæ ut plurimum extra locum in quo ſteterat dimovetur. *Cur Epileptici cum impetu cadunt.*

*Unde ſpuma oris epilepticis contingit.* 2. Epilepſiæ ſymptoma maxime pathognomicum vulgo habetur, ſi affectis in terram proſtuatis, & convulſiones horrendas paſſis, ſaliva ſpumoſa ex ore effluat; quæ quidem à cerebro coſtricto in palatum exprimi putatur: verumenimvero ut concedatur hoc ſpumæ effluvium ſæpenumero caduci ſignum eſſe; tamen illud non ita huic morbo appropriatur, quin idem in Apoplexia, in Caro, in affectibus hyſtericis, aliiſque convulſivis interdum accidit: porro ejuſmodi ſpuma haudquaquam à cerebro deſcendit, nullus enim per quem tranſeat meatus pateſcit; verum à pulmonibus inflatis, ac uſque ad laringem elevatis, unde velut cum effervefcentia quadam, & ebullitione ſaliva ſpumeſcit: urgente enim caduci paroxyſmo, cum plerique nervi in toto corpore contrahuntur, etiam qui pulmonum&diaphragmatis motibus inſerviunt ſpaſmos immanes paſſi, præcordia omnia ſurſum elevant, eaque in ſyſtole diuturna fere immobilia continent; ita nimirum ut pulſus & reſpiratio vix ac ne vix perficiantur: interea quia ſanguis intra cordis ſinus coercitus ipſum diſtendit admodum ac fere opprimit, pulmones utcunque impediti ne more ſolito & naturali moveantur, quod poſſunt tamen feſtinata & ſpiſſâ agitatione, quoquo modo ſanguinem è corde exantlare ſatagunt; à quo ipſorum niſu, aer humiditatem viſcoſam crebra reſpiratione ſuccutiens, ut agitatum ovi albumen in ſpumam attollit, mox ſurſum in oris cavitatem elevat, & illinc ulterius foras propellit: quare ſaliva ſpumoſa etiam in aliis affectibus, ubi nervi pneumonici, aut contrahuntur, aut à functione ſua obeunda inhibentur, non raro ſuccedit.

*Quare nonnulli in caduco pectora contundunt.* 3. Porro ob eandem hanc rationem evenit, quod epileptici quidam in terram proſtrati, pectora ſua manibus graviſſime tundunt, & cohiberi ſe ægre tolerant: nam cum præcordia ſpaſmo affecta & præpedita movere ſe ſolito more non poſſint, ſanguiſque in iis ſtagnans, non ſine inſigni cordis gravamine, vitæ ſuffocationem minatur; tunc fit ut laborantes, cerebro licet inſcio, mero naturæ inſtinctu, thoracem percutiant; nimirum ut præ-

cor-

cordia ita concuſſa, & velut exagitata, motus ſuos redintigrent, adeoque ſanguis à ſtagnatione, & cor à gravi oppreſſione vindicentur: Non abſimili ritu hic fieri videtur, ac cum dormientes aut titillati, aut pulicum morſu vellicati, illico locum affectum inſcii confricant, aut ſcalpunt.

Quod ſpectat ad morbi hujus prognoſin, eam difficillimæ curationis eſſe ſupra innuimus, quæ quidem difficultas in eo conſiſtit, quod cerebri meditullium (in quo ſpirtuum animalium prima ſcaturigo & fons eſt) non tantum à cauſa morbifica, ſed inſuper ab effectis ejus, nempe ſingulis paroxyſmis plurimum debilitatur, ejuſque pori laxantur, ut deinceps materiæ cujusque heterogeneæ incurſibus facillime pateant; adeoque ipſa diatheſiis morbida repetitis paroxyſmis confirmata, atque radices altius agens ægrius tollatur. Veruntamen obſervare eſt, Epilepſiam iterdum ſua ſponte terminari, item aliquando medicamentorum ope profligari: quorum illud circa pubertatem, & tunc fere tantum contingit; adeo ut qui iſta periodo elapſa, h.e. ante 25 ætatis annum minime curantur, vix unquam poſtea ſanitatem recuperent. Nimirum circa pubertatem corpori humano duplex alteratio, atque propterea morbi commitialis, aut alterius cujuſvis altius radicati non raro ſolutio contingit: Nam primo, hoc tempore humor genitalis in vaſis ſpermaticis congeri incipit; unde ſequitur particulas ſpirituoſas, quæque ipſis accreſcere ſolent nitroſulphureas, & morbificas non tantum in cerebrum, ſed etiam in teſtes deponi: quare ſi hetrogenea iſta ſpirituum copula in novum hoc promptuarium uberius inferatur, exinde cerebrum immunius degens diatheſin epilepticam aut alias morbidam non raro exuit. 2. Circa pubertatem, prout ſanguis aliquid cerebro prius deſtinatum per arterias ſpermaticas genitalibus ſuffundit; ſic etiam fermentum quoddam ab iiſdem partibus per venas retributum accipit: *ſc.* pariculæ quædam ſeminali tinctura imbutæ in maſſam ſanguineam regeruntur, quæ ipſam vigorant, ac virtutem novam & vegetiorem inſpirant; quare *Morbi prognoſis.*

tunc

tunc temporis & corporis, & animi dotes ſe potiſſimum exerunt, pili erumpunt, vox magis ſonora evadit, fœminis catamenia fluunt, aliaque accidentia ſuperveniunt, quibus liquido conſtat & ſanguinem & ſuccum nervoſum ζυμώσει quadam recenti imprægnari: quare fermenta, ſive ſeminia morbifica, niſi ab hoc novo fermento naturali ſuperantur, deinceps ſæpe uſque in mortem indomita perſiſtunt.

At vero Epilepſiam aliquando medicamentorum ope ſanari experientia teſtatur: de medendi methodo, & remediorum maxime celebrium rationibus mox diſquiremus; interim quod ad morbi hujus prognoſin ulterius ſpectat, ſi nec circa pubertatem deſinit, neque medicamentorum uſu profligari poteſt, diverſimodum adhuc eventum in variis ægrotantibus ſortitur; nam vel immediate in mortem terminatur, vel in alium morbum, *ſc.* paralyſin, ſtupiditatem, aut melancholiam plerunque incurabilem commutatur.

*Epilepſia in alios morbos commutatur*

Quoad prius, cum paroxyſmi crebro repetunt, & qualibet vice atrociores fiunt, functio animalis brevi debilitatur; atque hinc labe in ſpiritus, & nervos præcordiis inſervientes ſenſim traducta, functio vitalis paulatim enervatur, donec tandem languente toto corpore, pulſuque imminuto, ac demum ceſſante, poſtremo flamma vitalis extinguatur.

Quod autem hic morbus non raro in paralyſin, melancholiam, aut maniam deſinit, ratio eſt, quia crebris ſpirituum animalium exploſionibus cerebri tonus, & conformatio depravatnr, ejuſque naturalis ſtatus tandem ita pervertitur, ut particulis morbificis etiam alius generis intus admiſſis ſpiritus figantur, nec amplius in exploſiones juſto procliviores ſint, quin potius vitio interdum contrario ſuperinducto ipſorum virtus elaſtica nimium deficit; ita ut ſupra modum hebetes & torpidi evadant; non ſecus ac intenſiora febris incendia ſanguinis intemperies juſto frigidior ſæpe excipit: atque hæ quidem ſpirituum depreſſiones partim propria ipſorum culpa contingunt; quippe particulis

culis agilioribus nimium exploſis, ſegniores tantum ſuperſunt, & deinceps ſuppeditantur; partim vero,uti dicimus, cerebri vitio accidunt: eo quod pori & meatus ejus à crebris caduci paroxyſmis uſque adeo dilatantur & aperiuntur, ut poſtea una cum ſucco nervoſo, particulis quibuſvis heterogeneis, & diverſimode morbificis aditus peteſcat.

Hæc de Epilepſiæ diagnoſi, & prognoſi; quibus explicandis neceſſe erat rationes non raro abſtruſas, & à communi pathologia diverſas inducere: nec minus in morbi hujus Therapeia à vulgari,inque aliis affectibus trita medendi methodo recedere cogimur: Enimvero dogmaticorum præſcriptiones, quibus fere tantum per cathartica materiam morbificam educere,ac penitus eradicare conantur, in caduco parum aut nihil proſunt, imo frequenter obeſſe ſolent. Novi quoſdam inſignes Practicos, omiſſa penitus intentionum Therapeuticarum ſerie, ad remedia quædam empirica abſque ulla totius proviſione ſe recepiſſe: hujuſmodi praxis, licet interdum feliciter ſuccedat, ea tamen multo certius propoſitam curationem aſſequeretur, ſi per alia itidem pharmaca, corpore rite præparato, impedimenta quævis ſummoverentur. *Epilepſiæ Therapeuſis*

Quare circa morbi commitialis medelam indicationes (prout vulgo recenſentur) erunt vel curatoriæ, quæ paroxyſmum riſpiciunt, eumque vel ingruentem arcent, vel præſentem citius abigunt: vel prophylacticæ, quæ morbi cauſam ſpectant, quam ſi tollant, in poſterum acceſſiones ejus inhibentur.

Quantum ad priorem intentionem, evacuantia generalia vix locum habent; nec enim in paroxyſmo vomitus, aut purgatio, atque raro admodum venæ ſectio adhiberi debent; ſi ἀναισθησία diutius perſiſtat, enemata interdum uſui eſſe ſolent; id vero, quod potiſſimum incumbit,eſt ſpiritus animales nimis efferos & volatiles figere, nec non eorum exploſiones inceptas ſupprimere: in quos fines duo remediorum genera præcipue conducunt: *ſc.* primo quæ ſpiritus animales efferar.

& exilire aptos reprimunt, & velut ſuffitu quodam iis ingrato repellunt, inque ordines ſuos cogunt: quod equidem medicamenta ſale volatili,& armoniaco, aut etiam ſulphure vitriolico prædita efficiunt; cujuſmodi ſunt ſal, & oleum ſuccini, ſp. ſanguinis, C, cervi, fuliginis, tinctura caſtorei,& ſimilia: hæc enim intus ſumpta, aut naribus admota, ſæpe levamen conferunt, quin & malos hujus morbi ſpiritus, non ſecus ac apud Tobitum fumus è felle piſcis combuſto dæmonem, abigere creduntur. Secundo ſpiritus animales ab exploſionibus ineundis avocantur, aut inhibentur, cum illi in opera quadam ipſis aſſueta alliciuntur, & occupati tenentur: quapropter urgente paroxyſmo frictiones per totum corpus adhibitæ, & aliquandiu continuatæ ſæpe juvant: quod autem nonnulli affectos erigunt, eorum brachia & crura à motu convulſivo penitus cohibent, vel in hoc vel in illo ſitu conſtringunt, porro quod ſternutatoria naribus inflant, & cardiaca fortiora ori ingerunt, aut cucurbitulas, & ſcarificationes adadhibent, aliiſque adminiſtrationum modis caducos aſperius tractant, & paroxyſmi morem interturbant; hujuſmodi inquam praxis ſæpiſſime perperam inſtituitur; quoniam hoc modo duplex naturæ moleſtia, alia nimirum à morbo, aliaque non levior ab aſtantibus & miniſtris intentatur; cum longe præſtiterat paroxyſmo juxta morem ſuum tranſire permiſſo, laborantes unica tantum plaga abſolvi.

Profecto maxima Medici cura & remediorum efficacia circa morbi hujus prophylaxin verſatur, ut cauſa ejus ſublata, ſeu radice præciſa, fructus omnes emarceſcant; medicamenta huic indicationi requiſita plures intentiones reſpiciunt; quæ tamen ad duo hæc precipua capita reduci poſſint: *ſc.* primo ut morbi fomes immediate à ſanguine vitioſo, aut ſucco nervoſo, atque mediatius à viſceribus, primiſque viis ſuppeditatus præcidatur; dein ſecundo ut mala cerebri & ſpirituum ejus incolarum diatheſis, quæ nempe Epilepſiæ peculiaris eſt, tollatur.

Quoad

Quoad prius indicatum, hic vomitoria, & purgantia, aliaque tum evacuantia, tum alterantia, quinimo phlebotomia & cauteria locum habent; quatenus nimirum hiſce modis ac viis & viſcerum, & humorum impuritates ſubducuntur, ac diſcraſia emendatur: quanquam enim hujuſmodi pharmaca, et adminiſtrationes medicæ per ſe raro aut nunquam Epilepſiam ſanent, attamen hæc impedimenta tollunt, naturam erigunt, atque ad hoſtem ſuum aggrediendum incitant; etiam vias præparant ut propterea remedia ſpecifica certius & efficacius virtutes ſuas exerant; quare ſolenne eſt, dum morbi hujus cura per ſecreta & arcana peragitur, Vere, & Autumno, aliiſque idoneis temporibus ejuſmodi medicamentorum uſus intercalare.

20. Quod ſpectat ad remedia ſpecifica; quæ quidem ſola, licet non ſemper, Epilepſiæ cauſam attingere, eamque expugnare perhibentur, cujuſmodi ſunt pæonia mas, viſcus quercinus, Ruta, Caſtoreum, ungula Alcis, præparata è cranio humano, ſuccino, corallio, cum multis aliis: quandoquidem hæc ſine quavis ſenſibili evacuatione, aut etiam perturbatione in viſceribus aut humoribus ſubſequente aſſumuntur, mirum eſt qua ratione formali, aut agendi virtute in hoc morbo uſpiam juvare ſolent.

*Specificorum in Epilepſia virtus in quibus conſiſtit*

Super hac re intricata ſatis & obſcura, ſi quis conjecturæ locus ſit, cum Epilepſiæ procatarxin in copula heterogenea ſpiritibus cerebri incolis accreſcente, eoſque ad exploſiones præternaturales incitante conſiſtere ſuperius aſſeruimus; ſequetur ea quæ talem cauſam expugnant, aut tollunt, ejus naturæ eſſe ut, cerebrum corroborando, ejuſque poros conſtringendo copulam iſtam excludant, ſpiritusque intra cerebri meditullium ſcatentes eorum copulam exeundo ita figant, & quaſi conſtipent, ut non amplius in exploſiones irregulares apti & proclives fuerint; ſimili forſan ritu ac cum pulvis χρυσοκεραύνιος cum ſulphure tritus aut ſpiritu vitrioli irroratus, virtutem ſuam fulminantem amittit. Et revera hujusmodi proprietates, nempe

nempe alteram, aut ſimul utramque in pleriſque remediis antiepilepticis ſuſpicari, immo alquatenus detegere licebit: enimvero pæonia, viſcus quercinus, ruta, lilium convallium, cum multis aliis manifeſta quadam aſtrictione pollent; ut veriſimile ſit eorum particulas intus ſumptas, adeoque ſanguinis, aut ſucci nervoſi vehiculo ad cerebrum delatas, poros ejus nimis laxos & apertos ita conſtringere & occludere, ut in poſterum materiæ morbificæ aditui minime pateſcant: porro quoniam hæc concreta ἀναθυμίασιν, quaſi armoniacam, ſive diſſipatam ſpirant; idcirco eadem ſpiritus animales depurare, & copula heterogenea exutos figere & corroborare dicuntur: hæc virtus ſpirituum depurativa à ſale armoniaco procedens in remediis, quæ ex mineralium, & animalium familiis petuntur; qualia ſunt cranii humani, ſanguinis, ſuccini, & corallii præparata, magis elcueſcit; ſicut alia adſtrictoria in vegetabilium partibus & præparatis potior exiſtit.

Non erit hic opus Epilepſia curanda completam medendi methodum, cum exactis præſcriptionum formulis proponere, quia apud Authores & generalia præcepta, & eligantiſſima remedia paſſim extant, prudensque Medicus tum indicationes, tum uberem iſtum rei pharmaceuticæ apparatum ad particulares ægrotantium caſus facile accommodabit. Verum quia morbi hujus theoriam hoc in loco plane novam exhibemus, etiam methodus Therapeutica eidem adaptata, hic tradi debet: quam quidem mox plenius adumbrabimus, poſtquam caſus aliquot, ſive hiſtorias Epilepſia laborantium deſcripſimus.

1 *obſervatio*, Puella venuſta parentibus mediocriter ſanis orta, ipſaque ad pubertatem uſque bene valens, ſub id tempus de capite male affecto queri cœpit: Et primo per vices quaſdam vertiginem juxta ſynciput, qua omnia circumagi videbantur, perpeſſa eſt; ſimulque dum illud ſymptoma urgeret, mox delire loqui, & quicquid modo egerat oblivisci ſolebat: hujuſmodi paroxyſmi primo intra horæ quadrantem tranſire, & ſemel tantum aut bis in menſe

menſe repetere, quorum intervallis ſatis recte habuit: poſtea inſultus ſenſim graviores facti, etiam ſæpius redibant, atque intra ſeſquiannum, cerebro indies magis labefactato, vertiginoſus iſte affectus plane in Epilepſiam mutabatur, ut ægrotans quovis paroxyſmo in terram eliſa ἀναισθησία & convulſionibus horrendis, ore etiam ſpuma diffluente, afficeretur. Obſervabant domeſtici eam ſemper in idem latus præcipitari, ita ut juxta focum ſedens, ſi angulum dextrum occuparet in medios ignes, ſin vero ſiniſtrum, in murum à tergo poſitum allideretur: ſemel cum ſola in ædibus relicta ſupra carbones accenſos corrueret, facies ei & ſynciput ita miſere concremata ſunt, vt cranio cute & carne denudato, eſchara lata & profunda inureretur: & poſtea exterior tabula ejus ad palmæ magnitudinem decideret. Ægrota interim, quamdiu ulcera ab uſtione contracta ſanie manabant; paroxyſmis caruit; poſtquam ea ſanabantur caducus rediit: Morbus hic comitialis circa pubertatem primo emicuit, nam puellæ ſtatim ab initio ægritudinis catamenia fluere cœperunt, & poſtea ſtatas periodos ordinate ſatis obſervabant, affectu licet indies in pejus evecto: Varia medicamentorum genera huic ægrotanti adhibita nihil profuere, quoniam ipſius & amicorum ejus mos & ſtudium fuit cum medicum, tum medicinæ methodum, ſiquidem iis felix eventus non ſtatim ſucceſſit, ſubinde mutare, ſeque ad empiricos quoſvis, & agyrtas circumforaneos ut plurimum recipere.

Quod in hoc caſu affectus vertiginoſus cum brevi delirio Epilepſiæ prænuncius fuerat, plane arguit hujus morbi originem in cerebri meditullio conſitam, à ſpirituum inordinatione quadam pendere; nimirum illi ibidem ſcatentes, ab initio copulam heterogeneam admittere cœperant; quæ plenius aggeſta aut ſponte ſua, aut occaſionaliter commota dum excuteretur, ob ſpiritus perturbatos, necdum vero valde exploſos, priores iſtos affectus inducebat: poſtea ab eadem cauſa ſenſim in deterius evecta, ſpirituum perturbationes

in ipſorum manifeſtas exploſiones aſſurgerent, vertigo, & delirium in Epilepſiam migrabant.

Quod vero hæc puella circa pubertatem ægrotare cœperit, hinc plane ſequitur uti fermenta naturalia, ſic interdum præternaturalia eo tempore ſeſe primo explicare; quare ſicut purgationes menſtruæ tunc primo erupere, ita morbi comitialis ſeminia, ſive innata, ſive acquiſititia tunc paululum germinare, & ſenſim in fructus maturari contigit: cum fermentum præternaturale prius emicuit, non raro naturale ſuccedens ipſum delet, hinc Epilepſia impuberis non raro circa pubertatem terminatur; ſin fermentum illud, ſive *μίασμα νόσηρον* fluxu menſtruo poſterius, aut cum eo ſimul in actum emergens non ſtatim ſuccumbit, poſtea ut plurimum ex ſe indomitum, & remediis quibuſvis inſuperabile durante vita perſtat.

Ex obſervatione iſta, quod huic ægrotanti cauteria accidentaliter, & caſu excitata à morbi inſultibus immunitatem præſtitere, inferre liceat fontanellas in Epilepſiæ curatione utiliter adhiberi: ubicunque enim pro latice ſeroſo, tum è ſanguine, tum ſucco nervoſo conſtanter educendo, emiſſarium aperitur, illac plures particulæ heterogeneæ, ac morbificæ una effluunt, propterea ut cerebrum immunius perſtet.

2 *Obſervatio.* Filia Cereviſiarii Oxonienſis à prima infantia catarrho in oculos decumbenti graviter obnoxii fuerat, aliàs ſatis ſana & robuſta, item duris laboribus quotidie aſſueta degebat, circa 14 ætatis annum paroxyſmis epilepticis tentari cœpit, quorum plures juxta majores lunæ *τροπὰς* præcipue redeuntes perpeſſa eſt: ut curationem ejus moliar rogatus, vomitorium ex præcipitato ſolari exhibui, et idem triduo ante quævis novi & plenilunia iterandum conſului; inſuper ut qualibet vice per quatriduum à vomitorio aſſumpto bis in die caperet *pulv. rad. Pæoniæ maris* ʒ j. *cum hauſtu aq. ceraſor. nigr.* His remediis paroxyſmi tamdiu intermittebant, ut morbus ſanari videretur. Poſthæc cum iterum redibant, eorundem medicamentorum uſu denuo recuperabatur: & dein fluxu menſtruo

erum

erumpente, & periodos ſuas rite obſervante, in poſterum à morbo iſto immunis perſtitit.

### *Methodus therapeutica.*

In curatione Epilepſiæ à Catharſi incipiendum eſſe duco; & ſi æger vomitionem facile toleraverit, Emeticum imprimis exhibeatur; & per plures menſes quatriduo ante plenilunium repetatur. Infantibus, & pueris vinum ſcilliticum, oleo amygdalorum dul. recenti admixtum, aut etiam ſal vitrioli à ℈ ß. ad ℈ j. exhibeatur: Adultioribus & conſtitutione robuſta præditis ſequentes medicamentorum formulæ præſcribantur.

℞. *Croci metallor. aut Mercurii vitæ* gr. iiij. *ad* vj. *Mercurii dulcis* gr. 16 *ad* ℈ j. *ſimul terantur in marmore, miſce cum pulpa pomi cocti, aut conſervæ Boraginis* ʒ j. *f. Bolus. vel exhibeatur infuſio croci metallorum, aut Mercurii vitæ in vino Hiſpanico facta ab* ℥ ß. *ad* ℥ j. ß. *vel* ℞. *Tartari emetici Mynſicht.* gr. iiij. *ad* vj. *Qui tenerioris ſunt conſtitutionis ſumant ſalis Vitrioli* ℈ j. *ad* ʒ ß. *& poſt horæ ſ. ſuperbibant plures libras lactis cerevuſiati: dein, penna, aut digito gutturi indito, vomitus provocetur, & aliquoties iteretur.* Vomitoria.

Die ſequente vomitorium, niſi aliquid contraindicet, mittatur ſanguis è brachio, vel è venis hæmorrhoidalibus hirudinum ſuctu: dein poſtridie ſumatur medicamentum purgans, quod poſtea quatriduo ante novilunium conſtanti vice repetatur.

℞. *Reſin.* Jalap, ℈ ß. *Mercurii dul.* ℈ j. *Caſtorei* gr.. iij. *Conſervæ flor. Pæoniæ* ʒ j. *f. Bolus.* Purgationes.
℞. *Pilul, fœtid. Majorum* ℈ ij. *Reſin Jalap.* gr. v. *Ammoniaci ſolut. in aqu. hyſterica q. ſ. f. Pilul.* v. ℞. *Fibrar. Hellebor. nigr. in acet. macerat. exiccat, & pulv.* ʒ ß. *Zinziberis* ℈ ß. *ſalis Abſynth.* gr. xij. *Olei ſuccini gutt.* ij. *f. pulvis. Detur in pulpa pomi cocti,* ℞. *Pulveris hermodactylor. compoſit.* ʒj. *Cranii humani præparat.* gr. vj. *f. pulvis, detur in hauſtu decoct. hyſſop. aut ſalviæ.*

In diebus quibus à purgatione vacat, præſertim circa lunationum tempora, mane, & veſperi exhibeantur remedia ſpecifica, quæ virtute quadam ſecreta & innata hunc morbum curare dicuntur: horum immenſa extat ſylva, eaque variis compoſitionum formulis preſcribuntur.

Specifica.

Medicamenta ſimpliciſſima, quæque experientia valde efficacia fuiſſe comprobavit, ſunt radix Pæoniæ maris, & ſemina ejuſdem. ℞. *rad. Pæoniæ maris ſiccat. & pulv.* ʒ j. *ad* ij. *vel* iij. *detur bis in die in tinctura ſequenti.* ℞. *folior. viſci qu.* ʒ ij. *rad. Pæoniæ inciſ.* ℥ ß. *Caſtorei.* ʒ j. *ponantur in vaſe clauſo cum aq. Betonicæ, vel Pæoniæ ſimpl. & vini albi an.* ℔ j. *ſalis viſci quercini vel communis* ʒ ij. *digerantur in vaſe clauſo calore arenæ per duos dies, capiat* ℥ iij. *cum doſi pulv. preſcript.*

Pauperes ſumant pulverem prædict, in decoct. hyſſopi, aut caſtorei in aq. fontan. & vino albo facto.

Eodem tempore radix pæoniæ in taleolas diſciſſa, & filo transfixa collo ſuſpendatur. Etiam radices ſartagine frixæ, aut ad teneritudinem coctæ, inter eſculenta quotidie aſſumantur.

℞. *Rad. & ſem. Pæoniæ maris an.* ʒ ij. *Viſci qu. ungulæ Alcis an.* ʒ j. *inciſ. & contuſ. in ſindonem raram inſuantur. f. ſacculus, qui ſuper ventriculi ſcrobem geſtetur.*

Pulveres.

Inter ſpecifica hic pulvis à multis Authoribus valde commendatur. ℞. *Caſtorei, Opoponacis, ſanguinis Draconis, Antimonii, ſem. Pæoniæ an. f. pulvis, ſumatur* ʒ ß. *ad* ʒ j. *omni mane cum vino, aut decocto appropriato, aut cum aqua ceraſor. nigror.*

℞. *Cranii humani præparat.* ℥ j. *viſci. qu. Cinnabaris factitiæ, ungulæ alcis an.* ℥ ß. *miſce. Doſis* ℈ ß. *ad* ℈ j.

Si formula pulveris cuipiam ingrata ſit, vel ſi diuturnior ejus uſus tædio fuerit, Electuaria, pilulæ, trochiſci, ſpiritus, & Elixires, quæ ſingula medicamentis ſpecificis conſtant, preſcribi ſolent.

℞

*℞. Conſerv. flor. Pæoniæ maris, Lilior. convallis an.℥ iij. ſem. & rad. Pæoniæ maris pul. an. ʒ ij. Crorallii præpar. ʒ j. margarit. pulv. Cranii humani præparat. an. ℈ ij. ſalis viſci quercini ʒ j. ß. cum. ſ. q. ſyr. è Coralliis, f. Electuarium; capiat mane & veſperi qu. Nucis Moſchat.* Electuaria.

*℞. Rad. Pæoniæ maris pulv. ℥ j. ſeminum ejuſdem. ℥ ß. viſci qu. ungulæ Alcis, Cranii humani præpar. an. ʒ ij. rad. Angelicæ, contrayervæ, ſerpentariæ virginianæ an. ʒ j. ſuccini albiſſimi, Corallii calcinat. an. ʒ j. ſalis viſci communis. ʒ ij. ſacchari candi in ſ. q. aquæ antiepilepticæ, Langii ſolut. ℥ viij. f. confectio, capiat bis in die q. Nucis Moſchat.*

Pulveres iſti addito ſale ſuccini, & C. Cervi cum ſ. q. Balſami Capiv. formentur in maſſam pilularem; cujus ſumantur 3. vel 4. pilulæ mane, & veſperi, ſuperbibendo hauſtum liquoris appropriati. Pilulæ.

Vel paretur hujuſmodi Elixiris, cujus gut. 8. ad 10. ſumantur bis in die in cochleari Julapii appropriat, ſuperbibendo parum ejuſdem

*℞. Vitrioli Hungarici ℔ vj. deſtillentur in retorta vitrea calore arenæ per horas 24. dein retorta eadem loricata cum recipiente amplo ponatur in furno reverberii, ut ſpiritus acidi igni fortiſſimo, quouſque exibunt urgeantur. Liquor totus extillatus in retorta minori vitrea calore arenæ avocetur, & in matracio ſuperaffundatur rad. Pæoniæ maris in taleolas ſciſ. & exiccat. ℥ iiij. ſem. ejuſdem ℥ j. Cranii human. præpar. Ungul. Alcis, coral, rubr. an. ℥ ß. viſci qu. ʒ ij. digeratur leni calore per plures dies ad tincturæ extractionem. liquor decantatus avocetur in retorta vitrea ad tertiæ partis remanentiam; extillatus ſeorſim aſſervetur: remanentiæ iſti affunde ſp. vini rectificatiſſ. & eorundem ingredientium infuſione impregnati parem qu. & digeratur per 6 dies in fimo equino. f. Elixir, cujus doſis. ℈ ß. ad. ℈ j. Liquor extillatus detur a cochleari ß. ad integrum propter eaſdem intentiones.* Elixires.

Vel paretur oleum ex ſale Veneris juxta præſcriptum apud Henricum ab Heers, & exhibeatur modo deſcripto.

Inter

Inter remedia ſpecifica,quæ(cum ſuperiora non fuerint proficua) etiam tentari debent, habentur ranarum hepata, veſica apri, cum urina exiccata. Rad. Bryoniæ pul. pul. cuculi,corvorum,coagulum, & pulmo leporis, hepar lupi, lapilli hirundinibus exempti, milvi jecur,ova corvorum inter alimenta, & medicamenta quotidie aſſumendo, cum multis aliis, quorum catalogus inſignis apud Henricum a Bra medicum Zurphanienſem extat; & è quibus præſcripta pro pauperibus, utpote facile, & ſine magno pretio parabilia, deſumi poterunt.

Remedia empirica.

Dum hujuſmodi remedia juxta methodum prædictam intus ſumuntur, adminiſtrationes quædam exterius adhibitæ opem contribuunt, & in curationis partem merito aſciſcuntur; quare ſemper in hoc morbo fontanellæ, ſc, una aut altera in locis idoneis excitentur, etiam veſicatoria ſæpius adhibeantur.

Amuleta.

Periapta collo ſuſpenſa, aut ſuper ventriculi ſcrobem geſtata, uſui eſſe putantur: radices pæoniæ recentes in taleolas ſciſſæ, & filo transfixæ in bracteolas formentur quæ toti collo circumdentur; quamprimum exaruerint ſubſtituantur novæ, illæque in pulverem intus ſumendum redigantur. ℞ *rad. & ſem. Pæoniæ an.* ʒ ij. *ungulæ Alcis, cranii humani pr. an.* ʒ j. *viſci qu.* ʒ ß. *groſſ pulv. in ſericum rubrum inſuantur & f. ſacculus collo ſuſpendendus.*

Amuletum ex frutice ſambuci in ſalice inventi valde commendatur.

Convenit nonnullis capillitio deraſo Emplaſtrum ſincipiti applicari. ℞. *rad. & ſem. Pæoniæ, Caſtorei, viſci quercini, cranii humani tenuiſſime pulv. an.* ʒ j. *emplaſtri de betonica* ℥ ij. *caranna, Tacamahacca an.* ʒ ij. *Balſami capiv. q. ſ. f. maſſa extendatur ſuper alutam, f. emplaſtrum pro ſuturis capitis.*

Emplaſtra.

Tempora & nares ſæpius inungantur oleo ſuccini per ſe, vel cum oleo Capiv. admixto.

Sternutatoria, & Apophlegmatiſmi horis matutinis quotidiano ſint in uſu. ℞. *Ellebori albi* ʒ j.

Sternutetoria.

*Caſtorei,*

*Caſtorei, Euphorbii an.* ℨ ß. *Majoranæ odorat. folior. Rut. an* ℨ ij. *f. pulv. Decoct. ſalviæ vel hyſſopi cum confectione ſinapeos in eo ſolut. ore, & gutture obvolvatur.*

Enemata juxta uſus exigentiam quandoque injiciantur.

Quandoquidem medicamenta ſolidiora liquidis interdum dilui, aut hæc illis ſuperbibi debent, in hanc rem præſto ſint Aquæ deſtillatæ, Julapia, decocta, aut tincturæ, quæ virtute quadam contra hunc morbum ſpecifica prædita ſunt. Aquæ deſtillatæ.

℞. *Vitrioli Hungarici* ℔. iiij. *cranii humani recentis pulv.* ℥ iiij. *rad. Pæoniæ inciſ.* ℥ vj. *ſimul contuſis in mortario affunde vini Hiſpanici, vel albi tenuioris, vel vini è ſucco Ceraſorum nigrorum in dolio fermentato* ℔. ij. *deſtillentur in retorta vitrea calore arenæ.*

℞. *raſuræ ligni Buxi, Vitrioli Hungarici an.* ℔ ij. *folior. viſci qu. vel communis* M. iij. *folior. Rutæ* M. ij. *ſimul contuſis affunde vini Hiſpanici* ℔. iiij. *Deſtillentur in cucurbita vitrea calore arenæ.*

℞. *Vitrioli cum.* ℔. vj. *rad. Pæoniæ maris* ℥ vj. *viſci qu.* ℥ j. *Juglandum viridium* ℥ viij. *inciſ. & contuſ. deſtillentur in olla vitreata, alembico vitreo ſuperimpoſito in calore arenæ.* ℞. *hujus liquoris,* ℔. j. *aq. Ceraſor. nigr. flor. Tiliæ an.* ℔. ß. *ſacchari albiſſimi* ℥ iiij. *miſce f. Julapium: doſis* ℥ ij. *ad.* iij. *bis vel ter in die.* Julapia.

Oxymel ſcilliticum, item hydromel cum hyſſopo incocto ab antiquis plurimum laudantur. Vel hujuſmodi Apozema paretur, cujus ſumantur ℥ iiij. ad vj. vel viij. bis in die.

℞. *Rad. Pæoniæ maris, Angelicæ, Imperatoriæ, Valerianæ an.* ℨ vj. *folior. Betonicæ, Salviæ, Lilii convallis, pulegii an.* M. j. *Sem. Rut. Nigellæ an.* ℨ iij. *Pæoniæ* ℥ ß. *Paſſular.* ℥ iij. *Liquiritiæ* ℥ ß. *inciſ. & contuſ. coquantur in aq. fontan.* ℔. vj, *ad tertiæ partis conſumptionem. Circa finem adde vini Ceraſor. nigror.* ℔. ß. *vel* ℥ x. *f. colatura, quæ ſervetur in vaſis occluſis. Doſis* ℥ vj. *ad* viij. *bis in die poſt remedia ſuperius præſcripta.* Apozemata.

Vel prædicta ingredientia exceptis liquiritia, & paſſulis

paſſulis coquantur in hydromelitis ℔ vj. ad conſumptionem tertiæ partis: doſis ℥ iiij, ad vj.

Quod ſi prædicta methodus, catharticor. & ſpecificor. uſu conſtans, aliquandiu tentata prorſus incaſſum cedit, ad alius generis remedia, & præſertim ad iſta, quæ magna dicuntur, devenire oportebit: In hoc cenſu diaphoretica, ſalivantia, Thermæ, & Acidulæ ponuntur.

Remedia magna.

Alphonſus Ferrius plurimos epilepticos, ſimplici Guajaci decocto bis in die ad ℥ vj. vel viij. præſcripto, ejuſque decocto ſecundario vice potus ordinarii (prout in lue venerea aſſolet) aſſumpto, ſe curaſſe affirmat: ſi tali Decocto rad. Pæoniæ aliaque ſpecifica addantur, forſan efficacior fuerit. Probabile videtur ſalivationem à Mercurio potenter excitatam ſuccedente poſtea diæta ſudorifera, hunc morbum certiſſime eſſe curaturum. Quid Thermæ aut acidulæ poſſint, aut propria aut aliorum experientia mihi nondum innotuit. Experiar forſan aliquando quid acidulæ noſtræ artificiales, ſc. tum ferro, tum Antimonio impraegnatæ per plures dies in magna quantitate aſſumptæ, circa Epilepſiæ curationem valebunt.

CAPUT.

## CAPUT IV.

### *De cæteris Convulſionum ſpeciebus, ac imprimis de motibus Convulſivis puerorum.*

POſt Epilepſiam, velut principem Spaſmum in principe loco, ſc. intra Cerebri meditullia excitatum, cæteræ Convulſionum ſpecies ordine pertractandæ occurrunt. Harum differentiæ à duplici cauſarum genere, & variis utriſque modis, & accidentibus optime deſumuntur. Supra oſtendimus affectiones quaſcunque ſpaſmodicas vel à mera ſpirituum irritatione, vel ab eorum, propter copulæ elaſticæ adhæſum, exploſione, vel ſimul ab utroque conjunctim profluere: Quapropter multiplices ſpaſmorum Ideæ diſtingui, ac in claſſes quaſdam diſtribui poſſint, prout hanc illamve, aut ſimul utramque cauſam in variis του ἐγκεφάλȣ vel appendicis nervoſæ locis conſiſtere contingit. Enimvero materies ſpaſmodica, ſive ſpirituum copula exploſiva, potiſſimum ac ſæpius per cerebrum, interdum vero & aliquatenus per nervorum extremitates aditum inveniens, aut circa nervorum origines, aut medios proceſſus, tau fines extimos ſubſiſtit, vel in totis eorum ductibus ſcaturit, prout inferius ſpeciatim declarabitur: porro irritatio per ſe, vel cum procatarxi prævia convulſiones ciens, licet ubivis in nervoſo genere fiat; præcipue tamen ac frequentius talem effectum circa nervorum principia, medios proceſſus & plexus, aut fines producit. Cæterum ejuſdem generis cauſa & effectus alio ritu in infantibus ac pueris, alioque in adoleſcentibus & adultioribus habent. Cum itaque ſingulas convulſionum ſpecies particulatim conſiderare ſtatutum fuerit, imprimis de motibus Convulſivis infantum ac puerorum diſſeremus.

Infantes & pueros affectibus ſpaſmodicis tentari paſſim, & tam frequenter accidit, ut hæc præcipua, & fere unica convulſionum ſpecies ſtatuta

tur; nam ejuſmodi ſymptomata in adultis aliis inſigniuntur nominibus, atque ad epilepſiam, paſſiones hyſtericam, hypochondriacam, colicam, aut etiam ad ſcorbutum referri ſolent: in pueris vero, quaſi κατ᾽ἐξοχὴν motus convulſivi appellantur.

Super his obſervare eſt, circa duo potiſſimum tempora pueros convulſionibus maxime obnoxios reperiri, ſc. intra primum à partu menſem, & circa dentium eruptiones: Quanquam hujus morbi inſultus etiam aliis temporibus, & quibuſdam aliis de cauſis non raro eveniant.

Primo igitur ſæpenumero accidit infantulos recens natos, aut ſaltem nondum bimeſtres, crebra vice ſpaſmis in diverſis partibus excitatis affici; Quippe oculorum inverſiones, genarum, & labiorum diſtortiones, aut tremores, quinimo tendinum contractiones, membrorum, & non raro totius corporis ſubſultus, & concuſſiones ſubitæ eos infeſtant; eundemque affectum etiam præcordia nonnunquam afficere hinc ſat plane liquet, quod dum ſpaſmi artus, & membra exteriora occupant, etiam à ſanguine in corde, & pulmonibus una contractis ſtagnante, facies modo pallorem, modo livorem contrahit. Cum itaque in pueris ſpaſmi tres corporis regiones infeſtare ſoleant, nempe capitis & faciei partes, membra & artus exteriores, atque præcordia & viſcera; obſervamus modo has, modo illas, modo binas, aut ſimul omnes regiones à cauſa morbifica occupari, nempe prout eadem aut circa nervorum origines aut extremitates defigitur; & cum prius horum accidit, prout medullæ oblongatæ pars ſuperior, media, aut infima ſpinalis, ſc. unica aut plures ſimul à cauſa morbifica impetuuntur.

Quod vero ſpectat ad cæteras hujus affectus cauſas, nempe procatarcticas, & evidentes; quæ prioris generis ſunt, in his duobus præcipue conſiſtunt; primo quod infantibus πάντα τοῦ ἐγκεφάλου valde ſint imbecillia, & viſcoſa humiditate ſcateant; nempe Cerebrum minus firmum, atque nervorum tonus valde laxus, ne leviores quidem

cujuſvis

cujuſvis materiæ impetus ſuſtinere poſſint, quin ſpiritus eorum incolæ, etiam à proprio, quo iſtæ partes irrigantur, liquore, paululum modo immoderatior affluxerit, aut ſaltem copioſior quam pro tantilli roboris modulo, facile in motus irregulares, ſive ſpaſmos incitantur. Attamen ſecundo quoniam obſervatione conſtat puerulos, nec ſolos, nec omnes qui tenuioris ſunt conſtitutionis in hunc morbum proclives reperiri, idcirco por potiore procatarxeos morbidæ ratione haberi debet, quod infantibus quibuſdam, propter mala ab utero contracta, & ſanguis, & ſuccus nervoſus originaliter vitioſi exiſtunt: quippe recens natis maſſa ſanguinea per plures retromenſes eventilatione carens, impurior evadit; quapropter pleriſque infantibus brevi a partu efflorеſcentiæ latæ, & rubicundæ morbillorum inſtar per totam cutem erumpunt, cujuſmodi ἐξάνθησις ſi impeditur, aut reprimitur, ſæpenumero aphthæ periculoſæ circa oris partes ſuccedunt. Hinc merito ſuſpicamur tales ſanguinis impuritates, quandoque in Cerebrum & nervoſum genus, utpote debiliora ſuffundi, & propterea ſpaſmodicas affectiones oriri; nempe dum ſanguis ab utero vitioſus exiſtens depurare ſe ſatagit, fæculentias ſuas, efflorеſcentia in cutem facta, exterminari ſolitas, in caput transfert: quare latex modo tenuis & ſeroſus, modo craſſior & viſcidus, ac uterque ſalium & ſulphurum præternaturalium particeps intra hos, aut illos cerebri, cerebelli, atque medullæ oblongatæ receſſus, & cavitates deponuntur; cujuſmodi recrementa cum nervi hujus aut illius, ac interdum una plurium origines, aut caudices obſident, ſpiritibus eorum incolis particulas heterogeneas, atque in exploſiones ſpaſmodicas aptas affigunt. Quamprimum enim nervi tales particulas altius imbiberunt, ſpiritus eorum copula onuſti, aut ſponte ſua aut à cauſis evidentibus incitati, eam elidere, & excutere ſatagunt; proindeque exploſiones ſpaſmodicas ineunt.

Cauſæ evidentes, quæ in puerulis prædiſpoſi is motus convulſivos inferunt, ſunt bini generis, ſc.

primo quæcunque ſanguinis effervefcentias ſolito majores cient, uti ſunt frigoris & caloris exceſſus, nutritio uberior, aut juſto calidior; aeris, ac auræ mutationes, ac imprimis lunationum periodi; etenim propter has, aliaſque ſimiles occaſiones ſanguis plus debito effervefcens copulam heterogeneam ſpiritibus uſque ad plenitudinem citius affigit; utque ab ipſis perturbatis è veſtigio elidatur & explodatur, efficit 2. Irritatio fere in qualibet ſyſtematis nervoſi parte diſpoſitionem ſpaſmodicam non raro in actu deducit: quare non modo qualitatum tingibilium exceſſus exterius inflicti, verum & lac in ventriculo coagulatum, bilis, aliique humores acres, aut etiam vermes inteſtina vellicantes, ſpaſmos excitare ſolent: porro hujuſmodi cauſæ evidentes, ſiquidem fortiores ſint, aliquando per ſe, abſque diatheſi prævia affectus ſpaſmodicos inducunt: quippe lumbrici, forte & acres humores puerulis quibuſvis, ſaltem tenerioribus motus convulſivos inferunt.

Quo certius atque ad ſenſum pateret cujuſmodi in motibus convulſivis ſit materies morbifica, plurium quos hic morbus oppreſſit defunctorum cadavera aperui: cauſam intra coctionis viſcera & primas vias ſemper fruſtra quæſivi; multorum capitibus latex ſeroſus intra cavitatem cerebello ſubjectam congeſtus, & membranam, qua medulla oblongata inveſtitur, diſtendens, nervorum origines inundabat: in quibuſdam nulla hujus morbi veſtigia apparebant; adeo quod ſpiritibus accreſcens eos ad exploſiones irritat interdum imperceptibili prorſus conſtat mole, & originem tam occultam habet, ut vel perſpicaciſſimum viſus ſcrutinium omnino lateat. Olim in hac urbe cujuſdam mulieris nati plures ex hoc morbo interierunt; tandem fœtus quarti intra menſem, uti priores, interempti, caput diſſecuimus; nulla hic ſeroſa colluvies ventriculos inundabat, ſed cerebri tantum; ejuſque appendicis ſubſtantia erat juſto humidior, & laxior; quod potiſſimum obſervatu dignum erat, in cavitate quæ cerebello ſubijcitur, ſupra medullæ oblongatæ caudicem,
ſanguinis

ſanguinis grumoſi, & velut concreti copiam inſignem reperiebamus: at vero incertum eſt utrum materies iſthæc ibidem ab initio depoſita ſpaſmos primario intulerat; an potius ſanguis iſte à partium circumcirca conſitarum contractione expreſſus, & extravaſatus, convulſionum effectus, & productum, ac minime iſtarum cauſa fuerit; Nam & in Apoplecticis ejuſmodi Phænomenon paſſim occurrit, quod tamen morbi effectum potius quam cauſam eſſe poſt hæc oſtendemus.

Profecto quod particulæ heterogeneæ, quæ ſanguini ab utero innatæ, in pleriſque pueris per ἐξάνθησιν in toto corpore cutaneam amandari ſolent; in aliis capiti ſuffuſæ affectionis ſpaſmodicæ cauſa materialis exiſtunt, præter rationes ſuperius citatas, etiam à remediis maxime juvantibus inferre licet: quippe in puerulis hæreditario huic morbo obnoxiis, inſultus convulſivi optime præcaventur, ſi mox à partu fontanella in nucha excitetur, & ſanguis hirudinum ſuctu è venis jugularibus detrahatur; illa namque ſucci nervoſi corruptelæ ſubducuntur, atque hoc cruoris efflorеſſcentiæ impuræ à capite avocantur: hiſce adminiſtrationum modis, cum prius duo aut tres ejuſdem parentis nati brevi poſt partum convulſi interiiſſent, fœtus omnes alii ab eodem malo liberabantur,

2. Hæc de puerorum motibus Convulſivis, qui mox à partu, propter labem ab utero contractam, eos infeſtare ſolent. Quod ſi hac vice aut ipſum morbum aut ſaltem mortiferas ejus plagas evaſerint; nihilominus circa dentitionis tempora eidem periculo denuo obnoxii reperiuntur: quando enim dentes, præſertim majores, è gingivis erupturi ſunt, ſæpe febris excitatur, cui non raro motus convulſivi adjunguntur: & licet hoc tempore infantes viribus plus valent, eoque morbi inſultus melius quam recens nati tolerent; attamen affectiones ſpaſmodicæ etiam nunc nec graviore aliqua occaſione excitatæ valde periculoſæ, ac interdum lethales exiſtunt,

Quandoquidem autem pueri, qui circa dentitionem febricitant, non omnes motibus convulſivis tentantur; ideo ſequitur, hujus morbi diſpoſitionem quandam, ſive innatam, ſive acquiſitam præcedere, atque dolorem à dentitione illatum, tantum cauſæ evidentis fortioris rationem habere, ſc. pueri, quibus aut cacochymicis, aut Cerebri & nervoſi generis conſtitutione debiliori præditis, ſpiritus animales vel adulterati, vel diſſipabiles nimis exiſtunt, in affectiones ſpaſmodicas quandoque ineundas diſponuntur: quare cum dolor admodum acutus una cum febre urget, diſpoſitio iſta latens in actum ducitur.

Si hic inquiratur, qua ratione febris, & dein qua motus convulſivi in prædiſpoſitis dentitioni ſupervenjunt; dicendum erit, quod uterque affectus ad dolorem velut cauſam immediatam referri debent: In nobis ipſis experimur, quis ſit cruciatus, qui irritationem circa dentium radices ſequitur; revera tantus & tam atrox, ut excitari vix poſſit atrocior; quippe nervorum quinti paris una aut altera inſignis propago ad cujuſque dentis radicem pertingit, quæ cum à ſanguinis, aliorumve humorum particulis acrioribus illic congeſtis vellicatur, corrugatione ſua acerrimum moleſtiæ ſenſum, ſive dolorem infert: Iſtiuſmodi autem hujus nervi vellicatio in pueris dentientibus ideo contingit; quia dentibus jam in majorem molem creſcentibus, & adhuc intra gingivas vixdum cavatas incluſis, membranæ & fibræ quaquaverſus diſtenduntur: hinc ſanguis in circuitu præpeditus tumorem infert, adeoque nervos comprimit, quin & acriores ſeri particulas iis ſuffundit, quibus illi inſigniter vellicati corrugationibus, & ſpaſmis dolorificis torquentur.

Cum itaque pueris dolores ita atroces à dentitione contingunt, nihil mirum eſt, ſi febres, ac etiam motus convulſivi interdum ſuccedant: prior horum accidit, & quatenus ſanguis circa partem dolentem ne ſolito atque æquabili curſu circuletur, impeditus, propterea in toto corpore inordinatus movetur, & inſuper quia ſpaſmos alicubi in

in nervoſo genere excitatis, nervi corrugati & contracti arterias comprimunt & convellunt, proindeque in ſanguine fluctuationes irregulares & febriles concitant. Cæterum motus convulſivi dentitioni aliquando ſuperveniunt, tum quia ſanguis effervefcens particulas heterogeneas regimini animali ſuffundit, adeoque ſpiritus in exploſiones cieт; tum prætera cum dolor iſte acutus, & velut lancinatio dentes erupturos ſequuta, ſenſum valde moleſtum ac irritativum à partibus affectis τῷ πρώτῳ αἰσθητηρίῳ communicet, exinde ſtatim per eoſdem nervos, vel alios affines excandeſcentiæ motus (qui ob diſpoſitionem prævíam non raro convulſivus evadit) retorquetur.

Præter has binas (quæ in pueris præcipuæ, & crebriores eſſe ſolent) motuum convulſivorum occaſiones, ſc. prima infantiæ, & dentitionis tempora, Affectus iſte etiam aliis temporibus, & propter alias cauſas ſæpenumero excitatur: In quibus enim diſpoſitionis ſpaſmodicæ ſeminia jaciuntur, illa interdum aut ſtatim à partu ſe explicant, ac in morbidos fructus maturantur; ſed aliquandiu latitantia dentitionem modo præveniunt, modo eam è longinquo ſequuntur; & propter cauſas evidentes alias, ſc vel internas vel externas, cujuſmodi ſunt nutrix invaletudinaria, aut prægnans, lac in ventriculo coagulatum, aut in putrilaginem acidam aut amaram degenerans, intemperies febrilis capitis, aliarumque partium ulcera, aut exanthemata ſubito evaneſcentia, aeris mutationes, ſolis, ac lunæ συζυγία aut aſpectus oppoſiti & ſimilia, tandem incerto eventu in actum erumpunt. Super his non opus eſt ut particulatim differamus.

Cum viri cujuſdam in hac vicinia degentis, nati omnes intra trimeſtre ſpatium convulſi interierint; tandem ad præcavendum, in puerulo recens edito, ejuſmodi fatalem eventum, remedia expetuntur: Poſt aliquot à partu dies accerſitus, conſulo ut imprimis fontanella in nucha excitetur, dein poſtridie ut, hirudine utriuſque lateris venæ jugulari applicata, ſanguis ad ℥ij. extrahatur;

inſuper ut juxta ſingulas ſolis & lunæ συζυγίας & aſpectus oppoſitos, per tres dies mane, & veſperi pulveris ſequentis circiter gr. v. exhiberentur è cochleari Julapii. ℞. Cranii humani præparat. rad. Pæoniæ maris an. ʒ j. margarit pulv. ʒ ß. ſacchari albiſſimi ʒ j. miſce, f. pulvis ſubtiliſſimus. ℞. Aq. Ceraſor. nigror. ℥ iij. antiepilepticæ Langii ℥ j. ſyr. de floribus Pæoniæ maris ʒ vj. miſce; item præcepi ut nutrix iiſdem temporibus medicis ſumeret hauſtum ſeri lactis, cui ſem. & rad. Pæoniæ maris & fol. Lilii convallis incocta ſunt. Infans per quatuor circiter menſes bene valebat, tunc vero affectibus convulſivis tentari cœpit: quo tempore iiſdem remediis in doſi majori tum infanti, tum nutrici adhibitis, veſicatoria etiam pone aures applicabantur, & hirudinum ſuctu ſanguis ex utraque vena jugulari fuit detractus: Intra duos vel tres dies puer convaluit: poſtea cum intra 4 vel 5 menſes ſpaſmi aliquoties redirent, eorundem uſque remediorum uſu ſanabatur. Poſt ſeſquiannum affectiones convulſivæ penitus ceſſabant; attamen circa infimam ſpinæ dorſi partem tumor indolens ſuccrevit, à quo vertebrarum diſtortio quædam, atque crurum imbecillitas, & demum paralyſis inducebantur. Videtur in hoc caſu, quod materiès ſpaſmodica primo cerebrum, & nervorum principia impetere ſolita, ultimo ſpinalem medullam ſubiens, inque extremitatem ejus detruſa, nervorum appendicum capita omnino obſtrueret, atque ſpiritibus tranſitum præcluſerat: nimirum quia particulis exploſivis aliæ narcoticæ & craſſiores ſeſe adjunxerant.

### *Methodus Therapeutica contra affectiones Convulſivas in pueris.*

In pueris ac infantibus paſſiones ſpaſmodicas aut imminentes præcavere, aut jamjam exorſas curare incumbit.

Nam

*Infantum à ſpaſmis preſervatio.*

Nam ſi ejuſdem parentis nati priores Convulſionibus obnoxii fuerunt., malum illud cæteris poſt natis tempeſtivo remediorum uſu præveniri debet: in hunc finem ſolenne eſt, fœtui recens edito, quamprimum ſpirare incipit, medicamentum aliquod ἀντισπασμῶδες ori ingerere: hinc nonnulli guttas quaſdam mellis puriſſimi, alii cochleare vini canarini ſaccharo imbuti, quin & alii oleum amygdalar. dul. recens extractum exhibere ſolent; à quibuſdem olei ſuccini gutta 1. aut aquæ epilepticæ ſemicochleare infunditur.

Præter hæc prima infantum libamina, quæ certè nullius non momenti eſſe videntur, alia quædam remedia, & adminiſtrationum modi in uſum aſciſci debent: ſc. bis in die propinetur cochlear 1. liquoris huic affectui appropriati. e. g. ℞. *aq. Ceraſor. nigror. Rutæ an.* ℥ j. ß. *Antiepilepticæ Langii* ℥ j. *ſyr. e Coralliis* ʒ vj. *Margarit. præparat.* gr. xv. *miſce in phiala.* Die tertio aut quarto poſt partum excitetur fontanella in nucha, dein ſi vultus ſit floridi, parum ſanguinis ad ℥j. ß. vel ij. è venis jugularibus hirudinum ſuctu extrahatur, cavendo ne inter dormiendum ſanguis copioſe nimis effluat; tempora, & cervix blande fricentur tali linimento. ℞. *Olei Nucis Moſchat per expreſſionem* ʒ ij. *Capivii* ʒ iij. *ſuccini* ℈ j. *Periaptum ex radicibus, & ſeminibus Pæoniæ majoris addito parum ungulæ alcis collo ſuſpendatur.*

*Methodus medendi nutricibus adhibenda.*

Porro medicamenta antiſpaſmodica nutrici quotidie exhibeantur: ſumat mane, & veſperi hauſtum ſeri lactis cui rad. & ſem. Pæoniæ maris & ſem. fænicul. dul. incocta ſunt. ℞. *Conſerv. flor. Betonicæ, Pæoniæ maris, Anthos an.* ℥ij. *pulv. rad. & flor. Pæoniæ maris an.* ʒ ij. *Coralli rubri præparat. ſuccini albiſſimi an.* ʒ j. *rad. Angelicæ, Zedoariæ præparat. an.* ʒ ß. *cum ſ.q. ſyrupi de Pæonia, f. Electuarium: capiat q. Nucis Moſchatæ mane & veſperi.*

℞. *Pulveris rad. Pæoniæ maris* ʒ ij. *ſem. ejuſdem* ʒ j. *f. pulvis, ſacchari albiſſimi ſolut. in aq. florum Tiliæ & ad tabulat. cocti* ℥ iij. *Olei ſuccini*

*℈ j. f. ſ. artem Tabulæ, ſingulæ pendant ʒ ß. Comedat 1. hora qualibet ſexta. Illa etiam exacta victus ratione utatur.*

*Infantum Spaſmis laborantium Curatio.* Quod ſi infans quiſpiam Convulſionibus actu afficitur, quia fontanella minus, & tardius operatur, veſicatorium in nucha, aut pone utramque aurem applicari expedit, & niſi temperamentum frigidius obſtat, ſanguis hirudinum ſuctu venis jugularibus extrahatur: Linimenta circa tempora, nares, & cervicem, item plantis pedum emplaſtra admoveantur; enemata quæ alvum copioſe ſubducunt quotidie injiciantur: porro ſæpius in die, nempe ſexta aut octava qualibet hora, remedia ſpecifica intus ſumantur.

Linimenta. ℞. *Olei Capivii, Caſtorei an.* ʒ.ij. *Succini* ʒ ß. *f. linimentum.*

℞. *Emplaſtri Oxycrocei* p. ij. *Galbani ſolut.* p. j. *Olei Succini* ℈ j. *f. Emplaſtrum pro plantis pedum. pulvis de gutteta juxta deſcriptionem Riverii exhibeatur bis vel quater in die.*

Pulveres. ℞. *Cranii humani præpar. ſem. Pæoniæ, ungulæ Alcis, Margaritar. præpar. an.* ʒ ß. *Ambræ griſeæ* gr. vi. *f. pulvis. Doſis* gr. vi. *in cochleari liquoris infra ſcripti ter aut quater in die.*

Vel ℞. *Cranii humani præpar. Margarit. an.* ʒ ß. *ſalis Succini* ℈ j. *Sacchari perlati* ʒ j. *Doſis* ℈ ß.

Vel. ℞. *Sp. C. Cervi* gut. iij. *detur ſexta vel octava qualibet hora in cochleari Julapii infra præſcripti.*

Pauperum natis exhibeatur pul. radicis Valerianæ ſylveſtris ℈ ß. ad ℈ j. detur bis in die in cochleari lactis, vel liquoris appropriati.

*Vutzerus* valde commendat fel catelli lactantis, nempe ut totus ſuccus cyſti fellea exemptus puerulo cum pauxillo aquæ florum Tiliæ propinetur.

Nuper mihi retulit Medicus Eruditus ſe noviſſe plures hoc remedio curatos: Porro ſolent empirici pueris majoribus, poſt fel epotum, etiam catelli hepar aſſatum comedendum tradere.

Liquores. Julapia, aquæ deſtillatæ, aliique liquores appropriati juxta præſcripta ſequentia parari poſſunt.

℞ *Aq.*

℞. *Aq. Ceraſor. nigror.* ℥ iij. *Antiepileptica Langii* ℥ j. *Sacchari perlati* ʒ ij. *miſce.*

℞. *Rad. Pæoniæ maris recent. in taleolas ſciſſarum* ℥ vj. *Vitrioli Hungarici* ℥ viij. *Cranii humani* ℥ ij. *aq. Antiepileptica Langii* ℔. ß. *Miſce & deſtillentur in retorta vitrea calore arenæ. Doſis cochlear* j. *ad* ij.

℞. *rad. Pæoniæ maris recent. inciſ.* ℥ iiij. *contuſis in mortario marmoreo affunde vini Hiſpanici* ℔ j. *f. expreſſio fortis, adde manus Chriſti perlatæ* ℥ ß. *ſervetur in vitro occluſo. Doſis cochlear* j. *vel* ij. *bis in die,*

Cum ob dentitionem difficilem motus convulſivi eveniunt, ſymptoma hoc quemadmodum ſecundarium & minus periculoſum exiſtit, ita in Therapeia non ſemper primam aut præcipuam exigit medendi operam, ſed nonnunquam de dolore ſedando, & intemperie febrili ſummovenda potius ſolliciti ſumus; quare & patiens, & nutrix victu tenui et refrigerante uti debent; dentibus erupturis gingivarum aut frictione, aut ſectione exitus patefiat; quin & partibus iſtis intumefactis & dolentibus anodyna applicentur: Enemata, & ſanguinis detractio, non raro hic locum habent: ſomnum conciliare, & ſanguinis ferociam attemperare decet: interim remedia Antiſpaſmodica uſurpentur, verum temperatiora, & quæ ſanguinem, & humores minus exagitant; veſicatoria, quia ſerum in caput nimis ſuffundi aptum evacuant, ſæpe juvamen conferunt. *Spaſmi ob dentitionem excitati.*

Quando pueri nec ſtatim à partu, neque ob dentes erupturos, ſed propter alias occaſiones, & accidentia motibus Convulſivis tentantur; talis affectionis cauſa ut plurimum vel in capite, vel alicubi circa coctionis viſcera ſubſiſtit. Quando prioris ſuſpicio habetur, uti liquere ſolet à ſignis, quæ colluviem ſeroſam intra ἐγκέφαλον nimis congeſtam arguunt, remedia ſuperius citata in paulo majori doſi exhiberi debent; inſuper in iſtis qui catharſin bene ferunt, interdùm vomitus, & levis purgatio inſtituantur: vinum & oxymel ſcilliticum, item Mercurius dulcis, Rhabarbarum, & reſina Jalap. egregii ſunt uſus. *Spaſmi propter alias occaſiones excitati.*

Quoties

Quoties affectionis ſpaſmodicæ cauſa in viſceribus ſubeſſe videtur, aut lumbrici, aut acres humores ventris tormina cientes in vitio deprehenduntur,

*Propter Lumbricos.*

Contra Lumbricos purgatio ex Rhabarbaro, aut Mercurio dulci, addita reſina Jalappæ inſtituitur. Olim puero convulſionibus miſerrime affecto, ut jamjam moribundus videretur, doſin Mercurii dulcis cum reſina Jalappæ exhibui; cum alvi dejectionibus, quas 4. habuit, lumbricos 12 excrevit, & derepente convaluit.

℞. *Rad: Serpentariæ virginianæ pul.* ℥ j. *corallii ad albedinem calcinati* ℥ ß. *f. pulvis, doſis* ℈ ß. *ad* ℈ j. *bis in die per tres dies continuos, ſuperbibendo decoctum rad. graminis.* ℞. *Specier. Hieræ* ℥ j. ß. *Theriacæ Venet.* ℥ ij. *f. emplaſtrum pro abdomine, vel Emplaſtam ex Galbano applicetur umbilico.*

*Propeer acres humores.*

Si motus convulſivos à ventriculi, & inteſtinorum irritatione, per acres humores facta procedere ſuſpicantur, lenis catharſis, aut vomitu aut ſeceſſu, aut ſucceſſive utroque inſtitui debet. In hunc finem blanda emetica ex vino ſcillitico, aut ſale vitrioli propinentur: ſi quando ſc. laborantes vomendi nixu ſponte tentantur: ſin evacuatio potius κάτω tentanda videbitur, Rhabarbari infuſio, aut pulvis, ſyrupus de Cichorio cum Rhabarbaro, aut roſarum cum agarico propinari debeat: & non raro hiſce remediis tempeſtive adhibitis, affectionem convulſivam in pueris ſanatam vidi: porro in hoc caſu enemata ſint crebri uſus: Cæterum non omittantur medicamenta externa, ſc. fotus, linimenta, aut emplaſtra abdomini applicanda.

℞. Folior. Camomillæ minutim inciſ. *M.* ij. includantur duobus ſacculis è lino tenui aut ſerico confectis, qui lacti calido intincti & expreſſi abdomini ſucceſſive applicentur.

℞. Summitates, aut flor. malvæ pariter inciſ. incoquantur butyro recenti, vel ſevo porcino, & in forma linimenti, aut cataplaſmatis ventri ap-ſub ntur. plice

CAPUT.

# CAPUT V.

*De morbis Convulſivis adultiorum, propter originem nervoſam præcipue affectum, oriundis.*

LIcet affectiones Convulſivæ quæ adultioribus accidunt, aliis nominibus inſignitæ, etiam alius cujuſdam proſapiæ vulgo reputentur, atque ad paſſiones dictas hyſtericas, hypochondriacas, aut colicas, vel ad ſcorbutum referri ſolent; attamen ſi res paulo attentius conſideretur, facile patebit ſymptomata quædam ſpaſmodica tum viris, tum fœminis crebro evenire; quæ Convulſiones nomen ſibi proprie ac jure vendicant: Hæc autem (uti ſupra innuimus) pro multiplici cauſæ morbificæ ſede vario modo diſtingui poſſunt, potiſſimum vero in has tres ſpecies, ſc. in ſpaſmos quoſdam ob nervorum originem præcipue affectam excitatos; inque alios qui propter nervorum extremitates materia morbifica obſeſſas, cientur: ac demum in alios quorum materies morbifica à capite deſcendens, nervorum quorundam, vel ſimul omnium ductus aut totos, aut quoad maximam partem, occupat. De ſingulis hiſce Convulſionum ſpeciebus ordine dicemus. *Spaſmorum adultioribus accidentium tres ſpecies.*

Itaque imprimis ut convulſiones à nervorum origine affecta oriundas explicare pergamus, hic imprimis notandum ſit materiam morbificam nervorum principia obſidentem, quandoque in priora nervorum paria, quæ ſc. oculorum & faciei muſculis proſpiciunt, potiſſimum influere; proindeque modo naſi, genarum, aut labiorum contractiones, & tremores, modo oculorum, aut oris diſtortiones ſequuntur. Secundo aliquando par vagum, & intercoſtale particulas heterogeneas maxime imbibunt; & tunc abdominis, & hypochondriorum inflationes, contractioneſve, quin & cordis palpitatio, tremor, reſpiratio difficilis ac interrupta, pulſus intermittens, aliaque medii, aut *Ab origine nervoſa affecta oriundi diſtinguuntur.* *1. Juxta varios nervos affectos.*

aut infimi ventris ſymptomata plurimum infeſtant. Tertio, nonnunquam vero cauſa morbifica poſterius conſita, ſpinalem medullam præcipue afficit, & propterea membra exteriora & artus ſubſultibus & contracturis inordinatis obnoxia redduntur: porro in pluribus hujuſmodi caſibus, quia ſpiritus animales circa nervorum origines exploſi, verſus ἐγκέφαλον inordinate reſiliunt; idcirco quibuſvis fere ſpaſmis hoc ritu excitatis, vertigo, item ſæpe Scotomia, aurium tinnitus, & nonnunquam ἀναισθησία adjunguntur, aut ſuccedunt,

2. *Juxta eorundem nervorum varia loca affecta.* Cæterum prout ex variis affectionis convulſivæ typis conjicere licebit, videtur quod materies ſpaſmodica, hos aut illos nervos, aut ſimul eorum plures adpellens, vel circa ipſorum principia fere tantum hoſpitetur, ita ut ſpiritibus ibidem crebro exploſis, vertigo frequens,& valde moleſta oriatur; inſuper circa præcordia tremores, ac breve deliquium, & leipothymiæ metus, non raro in viſceribus aut muſculis ſubſultus, & contracturæ leves ſentiantur. Vel ſecundo particulæ exploſivæ ad nervorum origines delatæ, eorum proceſſus altius ſubeunt, & non raro in plexus nerveos, ad præcordia aut viſcera imi ventris, aut etiam membra exteriora pertinentes delapſæ, illic affectionum ſpaſmodicarum alios quaſi nidos conſciſcunt; ut quoties ſpiritus circa originem nervoſam in exploſiones adiguntur, ſtatim in abdomine, thorace, aut artubus paroxyſmi velut hyſterici,aſthmatici, aut alias convulſivi oriantur: Horum exempla,& quibus fiunt modis,infra clarius ſubdentur: Interim materies ſpaſmodica nervorum ductus influens cum uſque ad proceſſus, & plexus eorum remotos transfertur, quandoque tamen præcipuam mineram adhuc circa originem nervoſam habet; adeo ut poſt graves viſcerum aut membrorum ſpaſmos, magna cerebri perturbatio cum vertigine, aurium tinnitu, & non raro ἀναισθησία ſubſequatur: interdum vero materia morbifica, quoad maximam partem, ad longinquos nervorum fines tranſlata, deinceps circa eorundem

rundem principia immunius agitur: Etenim plures obſervavi, qui dum principio vertigine, crebro leipothymias metu, cephalalgia, & occipitis gravitate infeſtarentur, circa præcordia, aut viſcera leviores tantum inflationes, aut tremores pertuliſſe; poſtea tamen circa has partes ſpaſmos immaniores perpeſſos, de prioribus capitis affectibus minime conqueſtos fuiſſe.

*Materies ſpaſmodica quo ritu nervos influit.*

Quod ſi de materia ſpaſmodica amplius inquiratur, undenam illa ſuggeritur, & quibus viis verſus nervorum origines defertur, & cujuſmodi ibidem ſitus, & quaſi focos obtinet; dicendum videtur, quod licet hujus ductus manifeſtos, & veſtigia detegere nequimus; quantum tamen ex obſervationibus quibuſdam, & rerum analogia colligere datur, ſupponere licebit, binos hoſce diſtinctos tranſitus modos, quibus particulæ ſpaſmodicæ primum e ſanguine in Cerebrum, & Cerebellum ſuffuſæ, exinde verſus nervorum principia convehuntur: ſc. 1°. Interdum materies iſta à cerebro, ac cerebello imbibita, ac utriuſque poros ſenſim pertranſiens, in medullæ oblongatæ caudicem delabitur, cujus item tractu quodam ſuperato, una cum ſucco nervoſo, verſus nervorum origines prolabitur, ac prope illorum capita, vel intra ipſum caudicem medullarem, vel intra prominentias annulares aggeritur, in quibus locis aut diutius ſubſiſtens, crebras vertigines, ac in partibus remotis ſpaſmos leviores, uti dictum eſt, ciet; vel exinde in nervorum ductus altius delapſa, convulſionum valde atrocium paroxyſmos excitat: talem cauſæ morbificæ progreſſum ſuſpicamur, in quibus vertigo, ſcotomia, capitis gravedo, ac mentis torpor inſultus convulſivos præcedunt: cujuſmodi quidem affectus prævios, materies νοσερὴ adhuc in cerebro, & appendice medullari ſcatens producit; quæ deinceps in nervos allapſa convulſiones infert.

2o. Reſtat alter modus, quo liquide patet materialem affectus ſpaſmodici cauſam in principia nervorum tranſferri; nempe cum eadem à colluvie ſeroſa intra cavitates, ſive ventriculos τοῦ ἐγκε-

φάλου

φάλου depoſita in vicinas nervorum radices inſinuatur: Enimvero in morbis chronicis, cum adinſignem ſanguinis & humorum dyſcraſiam cerebri quoque prava diſpoſitio accedit, ſæpe ingens ſeri acris, & nervoſo generi infeſti copia, è plexuum choroeideωn vaſis exudans, in cerebri ejuſque appendicis ventriculos dilabitur: ſeroſus autem hic latex poſtea in quartum ventriculum cerebello ſubſtratum irrumpens, luxata ibidem pellicula, qua medulla oblongata obtegitur, unius aut plurium nervorum origines obſidet, eoſque vel irritando, vel particulis heterogeneis & exploſivis imbuendo diatheſin ſpaſmodicam inducit. Atque hæc fere cauſa eſt, quod poſt febres diuturnas, aut male judicatas, etiam poſt morbos cephalicos graviores, ægrotantes demum convulſi intereunt, prout ex crebra cadaverum, eo ritu defunctorum, Anatome deprehendi. Quinetiam ex obſervatione Anatomica conſtat, cerebrum colluvie ſeroſa quadam inundari, abſque diſpoſitionis ſpaſmodicæ affectu; porro et nonnullis ab Epilepſia, aliiſque morbis convulſivis defunctis, nullum intra cerebri ventriculos ſeri diluvium adfuiſſe: Ex quo datur intelligere, affectiones ſpaſmodicas haud tantum ab aquoſa τοῦ ἐγκεφάλου illuvie profluere; cæterum nec omnino à tali cauſa oriri, niſi latex ſeroſus cerebri ventriculos, ac imprimis iſtum cerebello ſubſtratum inundans, particulis heterogeneis & exploſivis imbuatur. Memini olim petitum eſſe meum conſilium pro adoleſcente egregio phthiſi laborante, & tunc temporis plane deſperato. Præter tuſſim & dyſpnœam, ille per pluras dies, immo hebdomadas graviter conqueſtus erat, non potuiſſe ſe in lecto ſupinum decumbere, aut dum in cathedra ſederet, caput vel nimium reclinare: quippe ab hoc, illove corporis ſitu illico cordis tremores, & ſpirituum deliquia, quaſi jamjam moribundus eſſet, pati ſolebat: quapropter neceſſe habuit, caput ſemper pronum ſive antrorſum inclinatum tenere. Poſt obitum cadavere diſſecto, pulmones fere per totum ſchirroſi, & in quibuſdam locis ulceroſi apparebant: dein

crānio

cranio aperto ingens ſeri flavi, & ſalſi copia intra omnes cerebri ventriculos fluctuabat: qui certe latex, dum capite reclinato in quartum ventriculum ſupra medullæ oblongatæ caudicem prolaberetur, in nervorum paris vagi & intercoſtalis capita irruens, circa præcordia convulſiones prædictas ciebat: quamdiu autem, capite antrorſum inclinato, iſta ſeri colluvies in anteriores cerebri ventriculos refluebat, nervorum origines ab iſta materia ſpaſmodica immunes perſtitere.

Oſtenſo hactenus quot modis & quibus viis materies morbifica, verſus nervorum origines delata, ſpaſmos inferre videtur, facile eſſet juxta has rationes multa ſymptomata convulſiva explicare: Nam præter infantum, & puerorum motus convulſivos, ab ejuſmodi cauſis ſæpiſſime excitatos, etiam huc referri debent partium nervoſarum contractiones, & ſubſultus quæ febribus ſuperveniunt. Quin etiam paſſiones vulgo dictæ hyſtericæ, item hypochondriacæ, & quædam aliæ, non raro à cauſa morbifica nervorum principia impetente procedunt. Hujuſce igitur hypotheſeως veritatem quibuſdam aliis ægrotantium hiſtoriis, & exemplis aſtruere nitemur; imprimis vero ejuſmodi obſervationes proponemus, in quibus materies morbifica nervorum principia obſidens, necdum in illorum proceſſus altius delapſa, crebras vertigines & leviores tantum viſcerum & præcordiorum ſpaſmos inducit.

Fœmina perilluſtris 30 circiter annos nata, conſtitutione tenera, & gracili corporis habitu prædita, quavis hyeme catarrho in tracheam & pulmones exudante, cum tuſſi, raucedine, & ſputatione copioſa graviter affligi ſolebat, noviſſimo tamen anno, cura, & cautione diligenti uſa iſtud malum evitavit: at vero poſt ſolſtitium Brumale à frigore ſuſcepto, immani capitis dolore, aurium tinnitu, vertigine, cum ingenti coryza afficiebatur, ut facile conſtaret ſeri colluviem, antehac in pectus exudare ſolitam, tunc temporis intra caput & cerebrum omnino deponi: cujus inſuper effectus erat, quod paſſionibus, quaſi hyſtericis, qui- *I. Obſervatio.*

bus

bus nunquam prius obnoxia fuerat, quoties dormire inciperet valde infeſtaretur: Si quando enim ſomnum initura oculos clauderet, illico in abdomine molis aſcenſus, in gutture præfocatio, circa præcordia tremores & ſubſultus excitabantur; quæ tamen affectiones, cum perfecte evigilaret, protinus ceſſabant, ita ut ægrotans neceſſe habuerit per plures dies & noctes ſomno fere in totum abſtinere.

Ad hanc Dominam, poſtquam plures dies ægrotans valde imbecillis evaſerat, accerſitus, medicamentis tandum blandis uti cogebar: Itaque ſanguinem ex pede ad ℥ iiij. protinus detrahendum, & quolibet die clyſterem è lacte ſaccharato injiciendum curavi, à quo ter, aut quater alvum dejicere ſolebat: porro octava qualibet hora doſin ſp, C. Cervi in cochleari ſequentis Julapii exhibui ℞. *Aq. Pulegii, Juglandum, Ceraſorum nigror. an.* ℥ iij. *aq. hyſterica* ℥ ij. *ſyr. Caryophillor.* ℥ j ß. *Caſtorei nodulo ligat. & in vitro ſuſpenſi* ʒ ß. *Margaritæ pulv.* ℈ j. *miſce. Veſicatoria pone aures, & Cataplaſmata ex foliis Rutæ & Aronis cum rad. Bryoniæ, ſale marino, & ſapone nigro plantis pedum cum fructu admovi.* Interdum veſperi in hauſtulo Julapii præſcripti, Diacodii ℥ ß. exhibui, cui ſomnus moderatus, abſque ſolita ſpaſmorum conſequentia, ſuccedebat: cujuſmodi effectum ab opiatis in tali caſu exhibitis ſæpius expertus ſum: pro ſiti reſtinguenda ptiſanam cum ingredientibus diureticis incoctis propinavi: horum uſu intra breve tempus plurimum alleviata fuit. Attamen quod maximo emolumento ceſſit, abſceſſus in aure ſiniſtra ſponte diſruptus primo ſaniem flavam, ac poſtea per multos dies ichoris tenuis copiam ingentem profudit, à qua evacuatione, viſcerum, & præcordiorum ſpaſmis in totum ceſſantibus, morbus perfecte judicatus fuit.

Quod ſpectat ad prædictæ ægritudinis ætiologiam, extra dubium videtur, affectus iſtos à colluvie ſeroſa περὶ τὸν ἐγκέφαλον depoſita excitatos fuiſſe: nam & iſtius humoris in caput tranſlatio morbum primo intulit, ejuſque per auris emunctorium

ctorium ἔκκρισις ſymptomata quævis ſuſtulit: porro cum materies morbifica ſpiritibus circa nervorum principia conſitis diatheſin aliquatenus exploſivam intuliſſet, iſti, licet tanquam œſtro perciti, fere continuo agitarentur; quamdiu tamen verſus cerebrum reſilientes, ſpatium, in quo poſſent liberius expandi, obtinerent, phantaſiam quidem illi ſolum vehementius exercebant, & abſque ulteriori incommodo vigilias tantum induxere. At vero cum ſomno interdum obrepente ſpirituum irrequietorum excurſus verſus Cerebrum cohiberetur ( quod quidem neceſſario evenit quando obdormiſcimus, liquore nervoſo intra Cerebri poros tunc temporis uberius admiſſo) nervorum paris vagi & intercoſtalii capita iidem tumultuarie irruentes, ſpirituum intra nervorum iſtorum ductus ſcatentium totas ſeries perturbaverunt, adeoque prædictos, circa præcordia, viſcera, & gulæ muſculos, ſpaſmos intulere. Plures hoc ritu tum viros, tum fœminas ægrotantes novi, qui cum cephalalgia, occipitis gravitate, aut vertigine laborarent, inter edormiſcendum, illico in præcordiis, aut viſceribus, aut ſimul in utriſque perturbationes quaſiſpaſmodicas ſenſere, quod quidem contingit à ſpirituum tumultantium ῥοπῇ à cerebro in nervorum origines reflexa: Quod autem huic ægrotæ opiatarum uſus ſomnum placidum abſque ſolita ſpaſmorum conſequentia, accerſivit, ratio erat, quia ſpiritus animales, utut irrequieti & furentes, particularum tamen narcoticarum implexu, velut catenis injectis ligabantur, ut dein ſine reſiſtentia quavis, ſomno obruerentur. Enimvero graves convulſionum paroxyſmos tum Aſthmaticos, tum quaſi hyſtericos, opiatis exhibitis non raro fæliciter curavi.

*2. Obſervatio.*

Mulier honeſta M. G. 67°. anno ætatis, vultu adhuc florido, & habitu corporis obeſo, cum prius faciei intumeſcentiæ, & gravioribus cephalalgiæ paroxyſmis dudum obnoxia degiſſet, intenſo Brumæ frigore, in vertiginem valde moleſtam, cum tremore cordis, ſpirituum deliquio, & crebro vomendi nixu incidit: lecto impoſita ſi oculos aperiret,

aperiret, aut è latere in latus converteretur, ſtatim inſigni ſcotomia, leipothymias metu, & inſuper vomitu inani afficiebatur. Hanc inviſens minime dubitabam, quin ægritudinis cauſa foret materies ſpaſmodica ab exteriori capitis regione, ad intimos τȣ̃ ἐγκεφάλȣ receſſus tranſlata; cujus afflatu, ſive copula heterogenea ſpiritus animales tacti, dum inordinate verſus cerebrum exilirent, affectus vertiginoſos, dumque iſti in nervorum capita tumultuarie irruerent, ſcotomiam, præcordiorum ἀταξίας, & vomendi nixum excitabant. Hujus curationem veſicatoria larga nuchæ, & pone aures applicata, enemata quotidie injecta, item frequens ſp. C. Cervi, & Julapii cephalici uſus intra paucos dies perfecerunt.

3. *Obſervatio.* Vir egregius 34 circiter annos natus, cum ex longo tempore tuſſi, cum ſputo copioſo, & craſſo obnoxius egerat, inſuper cutis poros valde apertos habens, continuo madere, & qualibet fere nocte ſudore multo perfundi ſolebat: ſub initium veris evacuationes iſtas ſolennes parcius evenire perſenſit; interim conqueſtus eſt, de manuum & pedum plenitudine, ac velut intumeſcentia quadam, ita ut hydropem ingruentem vereretur; cæterum & in capite ſcotomia, & vertigine crebra afficiebatur: Brevi poſtea hoc malo ingraveſcente, circa labia, aliaſque oris ac faciei partes, leves contracturæ, & ſubiti ſpaſmi paſſim excitabantur; ſubinde etiam ( materia morbifica, uti videtur, nervorum paris vagi & intercoſtalis origines influente ) cordis tremorem & ſubſultus, cum crebris ſpirituum vitalium deliquiis, quaſi leipothymia jamjam imminente, perpeſſus eſt.

Scio plurimos pathemata hæc convulſiva, præcordia ita graviter infeſtantia, vaporibus à liene elevatis aſcribere: attamen ratio longe potior videtur, eadem à materia ſpaſmodica intra cerebrum aggeſta, & in nervorum principia irruente deducere; quia ſc. excrementi cujuſdam à partibus aliis in caput metaſtaſis præceſſit, ipſumque adeo περὶ τὸν ἐγκέφαλον deponi, affectus vertiginoſus

noſus fere continuus, iſtique partium oris ac faciei ſpaſmi plane teſtantur: quare huic remedia, juxta methodum inferius traditam præſcribere viſum eſt.

Poſſem hic plurimas hujuſmodi obſervationes proponere, in quibus materies morbifica prope nervorum origines ſubſiſtens, cum vertigine, leviores tantum viſcerum, aut membrorum ſpaſmos ciet. Cæterum quia iſtius materiæ portio quædam, à capite deſcendens nervorum ductus ſæpe altius ſubit, adeoque circa medios, ultimoſque eorum proceſſus, & plexus, ſeminii exploſivi, quaſi pulveris pyrii fomitem ſtruit; Ex re fore videtur, hujuſmodi caſuum exempla quædam ſubjicere.

Puella quædam E. L. procera, & venuſta, parentibus ſanis orta, ipſaque conſtitutionis (prout videbatur) originaliter ſanæ; poſtquam hero longa invaletudine detento, diu & fere continuo miniſtraſſet, atque hinc ſæpius totas noctes evigilare, aliiſque temporibus crebro expergiſci cogeretur, ut nunquam ſomnus, niſi brevis & interruptus, capeſſeretur, tandem de capitis hebetudine cum crebra vertigine queri cœpit: intra brevem exinde temporis tractum affectu indies ingraveſcente, tremores ſenſit in toto corpore, cum levi membrorum ſuccuſſu, quibuſdam vicibus, licet vagis & incertis, ingruentes: poſtea dein paroxyſmos plane convulſivos, eoſque horrendos & crebro infeſtantes perpeſſa erat: paulo ante morbi inſultum Scotomia brevi afficiebatur, mox pectoris anguſtiam & oppreſſionem magnam, qua præcordia ſimul omnia ſtrictim contrahebantur, perſenſit: tum illico ſtrigorem ingentem, cum forti ejulatu edens, in terram conſidere ſolebat; interim animo conſtabat; at maxima cordis oppreſſione laborans, donec iſta pectoris conſtrictio relaxaretur, ſe nullo modo relevare potuit: poſtea cum paroxyſmus pertranſierat, inſigni cordis palpitatione, ſenſuum torpore, & functiones animalis debilitate magna adhuc aliquandiu afficiebatur. Poſtquam hæc ægrotans per quatuordecim circiter menſes ejuſmodi paroxyſmis crebra vice repe-

4: *Obſervatio*

repetentibus obnoxia degiſſet, demum epileptica evaſit, ut quoties mali inſultus rediret, in terram proſtrata, ἀναισθησία cum ſpuma oris, aliiſque pathognomicis caduci ſymptomatis corriperetur. Neque hic affectus iſte gradum ſiſtebat, quin, vix elapſo anni ſpatio, in maniam degenerabat; ut denique ægrotans, amiſſo rationis uſu, modo cum furore inſaniret, modo cum ſtupore plane deſiperet.

*Predicti Caſus Ætiologia.*

Ex morbi hujus initio, progreſſu, & crebra metamorphoſi liquido pateteam primo in capite prope nervorum origines & cauſam, & ſedem habuiſſe, & exinde fines ſuos & in cerebrum & in ſyſtema nervoſum quotidie latius explicuiſſe: nam ab initio materies morbifica juxta nervorum principia conſiſtens, viſcerum, & membrorum leviores tantum ſpaſmos, & ſuccuſſiones cum Vertigine intulit; poſtea ejus portio in nervos pneumonicos, eorumqne plexus delapſa, graviſſimas præcordiorum, diaphragmatis & ventriculi convulſiones produxit; quin & ejuſdem materiæ portio altera cerebrum ejuſque meditullia invadens, ἀναισθησίας, ac dein caduci paroxyſmos inferebat; atque demum ſpirituum textura in totum vitiata, eorumque latice in liquorem acerrimum, ac velut ſtygium degeneri, affectiones ſpaſmodicæ in maniam tranſibant.

Quod itaque ſpectat ad particulares tum morbi, tum ſymptomatum rationes, videtur quod prædicta virgo ex vita ſedentaria (omni corporis exercitatione & auræ liberioris uſu penitus ademptis) præſertim vero ex vigiliis nocturnis, & ſomno frequenter interrupto, vitioſam ſanguinis & humorum diatheſin, ſimulque pravam & debilem cerebri, & nervoſi generis conſtitutionem contraxerat: quibus acceſſit, quod illa hero ſuo graviſſimis convulſionum affectibus laboranti perpetuo miniſtraret, atque ex eo forte contagium aliquod, ſive miaſmata ſpaſmodica ſuſceperat: Et primo quidem particulæ heterogeneæ una cum ſucco nervoſo in cerebrum & cerebellum ſuffuſæ, ibidemque ſpiritibus accreſcentes, præliminari

Scotomia,

Scotomia, & vertiginoſo affectu quaſi velitabantur; dein materies ſpaſmodica nervorum paris vagi & intercoſtalis, atque medullæ ſpinalis principia obſidentis una cum vertigine viſcerum & muſculorum ſubſultus, & ſuccuſſiones leviores intulit: poſtea cum eadem nervorum ductus altius ſubiens, in plexus cervicales, cardiacos, & forſan intercoſtales, alioſque deferretur, atque ſpiritus reſpirationis, & pulſus munia exequentes, copula exploſiva imbueret; illi crebra vice ob plenitudinem, vel propter irritationem, una cum ſuperioribus nervoſæ originis incolis, in exploſiones adacti, partium reſpectivarum ſpaſmos horrendos excitabant: Enimvero urgente paroxyſmo, à nervis pneumonicis conſtrictis derepente thoracis ſyſtole inordinata ciebatnr; deinde ſtatim diaphragmate ſubito & vehementer retracto, ejulatus iſte obſtreperus ſuccedebat: porro cum ob iſtam thoracis ſyſtolen diutius continuatam, ſanguis ne moveri poſſit impeditus, omnino in præcordiis ſtagnaret, idcirco durante paroxyſmo, cordis oppreſſio magna, cum ἀφωνία & ἀκινησία laborantem urgebat: interim vero, cum adhuc cerebri regio à ſpirituum exploſionibus libera ac immunis perſtaret, ægrotans animo conſtabat: poſtea vero cum materies ſpaſmodica indies adaucta, etiam in cerebri debilitati & præfracti meditullia explicaretur, prioribus circa præcordia pathematis, ἀναισθησία, dein Epilepſia, ac ultimo mania, propter rationes modo citatas, ſupervenerunt. Huic ægrotanti medicamenta plurima, & varii generis, à multis tum medicis, tum empiricis, confuſe tamen, methodoque incerta, & ſubinde mutata, preſcripta ne hilum profuere

Mulier quædam venuſta εὔχροος & εὔσαρκος à diutino mœrore in diatheſin invaletudinariam incidit; circa meridiem, & horas veſpertinas *5. Fbſervatio.* plerunque mediocriter habuit, mane autem cum ſomno ſatis, & ſæpe plus nimio indulſerat, uſque magis ſomnolenta, & torpida evaſit: expergefacta, ſtatim queri ſolebat de gravitate, ac velut

ſtupore

ſtupore in toto capite, cum vertigine ad quemvis motum, aut capitis circumactionem; paulo poſtea paroxyſmum convulſivum, aut ἀναισθησίαν fere conſtanter expectabat, eamque modo hæc, modo iſte infeſtare ſolebat: quippe poſt vertiginem, quaſi velitationem præviam, plerunque in ventriculo, & latere ſiniſtro dolorem gravativum huc illuc tranſcurrentem ſenſit; hinc rugitus, vomendi nixus, flatuum eruptiones, nec non abdominis, & hypochondriorum diſtentiones miræ inſequebantur, & plurimis interdum horis hanc miſere exercebant: interdum vero hæc ſymptomata abeſſe contigit, & tunc in cerebro affectio immanior ſucceſſit: namque in crebras ἀναισθησίας incidens, aliquandiu immota, & clauſis oculis, ſine ſenſu, aut intellectu perſtare ſolebat; cumque famulæ ejus frictionibus,& nicotianæ fumigatione ipſam excitarent, mox animo conſtabat, at denuo ſtatim revolvitur in ſimilem ἀναισθησίαν, atque ita quatuor, aut quinque vices ejus ſubit, priuſquam ad ſe perfecte, & ſine reſidiva mox expectanda rediit: Tandem peracta tragœdia, etiamnum capitis gravitate & torpore aliquantulum afficiebatur: circa meridiem vero, nebulis omnino diſcuſſis, ſudum & ſerenum πάντα τῷ ἐγκεφάλῳ obtinere ſolebant; donec proximo mane, rurſus eadem ſymptomata reverterentur.

*Ætiologia* Qui ſymptomata hæc rite perpendit, non habebit neceſſe vapores ab utero, aut liene elevatos ſupponere, atque in iſtis cauſam morbificam fruſtra quærere: nempe quam multo certius poterit in ipſo capite collocare: Videtur enim quod huic ab initio, propter ingentem mœrorem (prout in fœminis crebro aſſolet) cerebro & nervoſo generi magna debilitas, ſimulque vitioſa labes imprimerentur; ita quidem ut ſpiritus animales in Cerebrum & Cerebellum derivati, ſecum particulas heterogeneas mixti generis, ſc. partim narcoticas & partim exploſivas afferrent: cujuſmodi copulam cum illi à ſomnis uberiorem conciperent, mera plenitudine ad ipſam excutiendam ciebantur: quamprimum igitur expergeſieret mulier, iidem

iidem ſpiritus commoti, vel ῥοπῇ inferius facta, in nervorum origines deprimebantur, ibidemque exploſi viſcerum ſpaſmos excitabant, aut verſus cerebri meditullium reſilientes, ibidemque eliſi, crebras & terribiles ἀναισθησίας intulere. Revera hæc affectio Epilepſiæ aliquantulum affinis erat, niſi quod materies morbifica nondum intra regale cerebri palatium, ſive meditullium ejus ita commorabatur, ut ſpiritus illic intra primos ipſorum fontes inficeret; iiſdem tamen inferius diſſociatis, & juxta nervorum origines ſeſe in varios, minoreſque rivulos dividentibus, eadem copula heterogenea arctius adhærebat. Interea ſpiritus, quo iſtam materiam excuterent, crebrius exploſi, cum verſus cerebri arcem tumultuoſe raperentur, ſtuporem & ἀναισθησίαν, ſin alio vergentes in nervorum principia irruerent, propterea iſtos viſcerum ſpaſmos intulere; Quod autem paroxyſmi tantum horis matutinis poſt ſomnum pleniorem ingruebant, ratio erat, quia ſpirituum copula heterogenea iis cum ſucco nervoſo adveniens, eo tempore ad plenitudinem exploſionibus aptam congerebatur; quæ ſiquidem tunc integre diſcuteretur, reliquo die ægrotans ab affectu immunis perſtitit, donec poſtridie, cum ſomnus nocturnus novum materiæ morbificæ ſupplementum capiti intulerat, mane ſimilis paroxyſmus redibat; qui forſan, prout ſomnus brevior aut protractior fuerat, modo intra cerebrum, modo juxta originem nervoſam peragebatur.

Nec tantum in ſexu fœmineo, utpote debiliori & magis patibili, ſpaſmi ab origine nervoſa principaliter affecta oriuntur; verum ejuſmodi affectiones aliquando in viris à ſimili procatarxi excitatas obſervare licet. Ante aliquot annos feſtinanter accerſitus ad hoſpitem quendam in hac urbe diverſantem, ipſum primo intuitu revera dæmoniacum ſuſpicabar, eique exorciſmis, potius quam pharmacis opus fuiſſe rebar. Erat is quadragenarius, qui jam per tres annos ſtatis quibuſdam temporibus motibus convulſivis tentari ſolitus eſt; hujuſce ægritudinis, dum hic paucos dies fortuito

*Obſervatio affectionis quaſi hyſterica in viro.*

hoſpitaretur, occaſione ingentis mœſtitiæ, inſultum ſolito majorem perpeſſus erat: morbi acceſſionem per duos aut tres dies præſentiſcere ſolebat; nempe ex magna intra ſinciput commotione, continua fere vertigine, & crebra oculornm obſuſcatione: ingruente autem paroxyſmo, primo oculi varie contorquebantur, invertebanturque, dein moles quædam inſtar vivi animalis, ab imo ventre ſurſum verſus Cor & Thoracem, & exinde in caput obrepere videbatur: hujuſmodi motum egomet manu ventrem ejus comprimens, plane perſenſi; & quamdiu, palmis totis viribus obtentis, iſtius globi aſcenſum inhiberem, ſe mediocriter habuit; quamprimum vero intumeſcentia iſtæc ſenſim ſuperius obrepens ad caput pertigerit, illico membra totius corporis immaniter convellebantur, ut tanquam ſpiritu malo obſeſſus ſe ad parietes, & poſtes illideret: à quatuor robuſtis viris, vix ſumma vi detineri, & coerceri potuit, quin exiliret, & brachia, & pedes, & caput motibus diverſimodis huc illuc jactaret: quando ab exilitione ceſſaret, membra fuerunt robuſtiſſime extenta, & muſculi rigidi, & velut tetano affecti: Talis paroxyſmus circiter horæ quadrantem durabat; dein ad ſe rediens ſobrie loquutus eſt, in cubiculo obambulavit, qualia paſſus erat conſcivit, & veniam ab aſtantibus petiit; brevi poſtea oculos invertere, & ociſſime volutare cœpit: dein ſtatim affectus ſpaſmodes repetens, ſimilem uti prius excitabat tragœdiam: atque iſto ritu intra tres horas quinque aut ſex paroxyſmos ejuſmodi convulſivos ſuſtinuit. In medio quodam paroxyſmo, vena in brachio pertuſa, factoque orificio ſatis largo, ſanguis lente affluebat, & ſtatim congelari viſus eſt: ita quidem ut in pelvim exceptus, haud liquidorum more, in ſuperficiem planam & æquabilem diffueret, at inſtar ſevi liquefacti, & in vas frigidum inſtillati, gutta ſuper guttam accumulata, in molem accreſceret.

*Caſus prædicti Ætiologia.* Si affectio hæc ſtupenda mulieri contigiſſet, obvium eſſet, eam hyſtericam dicere, ejuſque cau-

ſam

ſam in uteri vitium conjicere; eo magis, quia tanquam molis cujuſdam ab imo ventre aſcenſus paroxyſmum inchoavit: attamen cum vulgaris iſta ſolutio, quæ ſæpiſſime merum ignorantiæ ſubterfugium eſt, in hoc caſu admitti nequit; rationi maxime congruum videtur, omnia iſtæc ſymptomata in malas cerebri & nervoſi generis affectiones referre. Enimvero morbi cauſam in ipſo capite latere, ex ſymptomatis paroxyſmum præcedentibus, quæ ſpirituum intra ἐγκέφαλον ſcatentium agitationem inſignem denotabant, plane colligitur: iſta cerebri inflatio, graves Scotomiæ, quæque inſultu jamjam ingruente, conſtanter evenerunt, oculorum contorſiones, manifeſto arguunt particulas heterogeneas, & exploſivas ſpiritibus intra ἐγκέφαλον juxta nervorum principia degentibus accreviſſe. Adeo ut hic caſus etiam ad Epilepſiæ naturam prope accederet, excepto tamen quod intra cerebri meditullium ſpiritus nec copulam heterogeneam admitterent, nec alibi exploſi, illic tumultuarie perrumperent: durante enim paroxyſmo, ægrotans uſque animo conſtabat: at vero materies morbifica, in capite uberius congeſta, cum illinc in nervorum tum interiorum, tum exteriorum ductus altius prolaberetur, in viſceribus tum imi, tum medii ventris, etiam in membris exterioribus, ſeminii exploſivi mineras valde diffuſas poſuerat; adeo ut cum ſpiritus animales juxta nervorum origines explodi inciperent, illico ſtatim alii plexus meſentericos, & deinceps alii alios plexus nerveos à meta extima, uſque ad caput interjectos, incolentes, ordine exploſi, ſpaſmos à parte in parrem uſque continuabant, donec ad ἐγκέφαλον perveniretur: exinde vero exploſione patim ad ſpiritus ſpinalis medullæ, & nervorum appendicum hoſpites, tranſlata, muſculorum, & membrorum totius corporis convulſiones validiſſimæ inſequutæ ſunt: Quod autem iſte velut molis aſcenſus, qui ſæpenumero in imo ventre, circa convulſionum initia percipitur, à ſpiritibus intra plexus meſentericos in exploſiones adactis procedat, inferius, cum de paſſionibus hyſtericis dicemus, fuſe declarabitur.

Interea ſi inquiritur ob quam rationem paroxyſmo convulſivo περὶ τὸν ἐγκέφαλον juxta nervorum origines incipiente, illico ſpiritus extime degentes (quotquot in illud ſymptoma prædiſpoſiti ſunt) exploſiones ineunt, adeoque affectionem ſpaſmodicam illic plenius exorſam ſurſum transferant, (nam ita plerunque habet, ſive morbi acceſſio in imo ventre, ſive circa medium abdomen hypochondria, aut precordia incipit: quippe ſpaſmus ab iſtis locis ſenſim verſus caput prorepere ſolet.) Dico propter hujus ſolutionem hæc duo imprimis conſideranda offerri, ſc. primo advertimus, quod, cum ſpirituum integra quædam ſeries perturbatur, qui in extremo ambitu reſident, influxu originali primo deſtituuntur; quare iſti ante alios tumultuari, & irregulariter habere incipiunt, hinc quando nervus cubiti aut femoris ab incubatu conſtringitur, ut ſolita ſpirituum influentia impediatur, ſtupor cum punctionis ſenſu in manus, aut pedis digitis primo ſentitur; unde ſenſim ſuperius verſus loca affecta perreptat. Secundo ſubeſt altera, eaque potior iſtius affectus ratio, nempe quod ſpiritus in exploſiones parati, cum intra ductus nervoſos, unum aut plures, quaſi totidem diſtinctos tubulos continentur, ſpatium ſatis amplum requirunt, in quo plurimum, & quidem ſucceſſive rarefieri & expandi queant; quod ſiquidem intra nervorum truncos à principio verſus finem haud facile conceditur; idcirco dum ſpiritus, circa originem nervoſam primo eliſi, verſus ἐγκέφαλον reſiliunt, proindeque vertiginem cient: ſpirituum exploſio apertior circa nervorum proceſſus inferiores, aut extremitates, ubi nervi caudex, aut in plexus ampliores dilatatur, aut in plures fibras late diſperſas terminatur, plerumque incipit; dein ſpiritibus iſtis exploſis, ſtatim aliis ordine ſuccedentibus, quo pariter explodi poſſint, locus conceditur: Hinc obſervare eſt, dum ſpiritus exteriores exploduntur, ſi ligatura, aut compreſſione ſtrictius facta, aliorum in idem ſpatium ſucceſſio, aut verſus exteriora progreſſus intercipitur, ſpaſmus ne ſurſum aſcendat inhiberi

*Quare ſpaſmi à nervorum extremitatibus incipiunt.*

inhiberi ſolet: quare cum ſtupor (prout hiſtoriæ medicæ teſtantur) ab extremo manus aut pedis digito exorſus, cum formicationis ſenſu, aut, inſtar auræ frigidæ ad ſuperiora repit, ac demum cerebrum petens, convulſiones horrendas infert; ſi mox ab initio inſultus, brachium, aut crus fortiter ligetur, ſpaſmus locum iſtum ligatum ſuperare non valens, à capite conſcendendo impeditur; quinimo uſitatum eſt fœminis hyſtericis, quamprimum ventris intumefactio; ſive molis in abdomine aſcenſus primo ſentitur, medium corporis truncum faſciis circumpoſitis valde conſtringere, adeoque ſæpius præcavetur, ne præcordia, & capitis regio eodem paroxyſmo convulſivo afficiantur.

*Quare ſanguis in affectibus convulſivis cito congelatur.*

Quod autem ſanguis medio paroxyſmo eductus cito congelabatur; ita quidem fieri in affectibus convulſivis, & apoplecticis paſſim aſſolet, prout doctiſſimus Heighmorus ex recenſione Heidochii prius annotavit: attamen quod nonnulli hinc contendunt, convulſiones omnino à ſanguinis craſſitie, motu impedito, & ſtagnatione pendere, minime concedendum erit: quippe ſanguis ab iis qui ſpaſmis obnoxii ſunt, paulo ante paroxyſmum detractus, ſero dilutus, atque ſatis fluidus exiſtit. Quapropter opinari liceat congelationem iſtam ab ipſo paroxyſmo induci; quia ſc. in motibus convulſivis, ab immodicis muſculorum & viſcerum contractionibus, ſanguis interfluus, ſpiritu & ſero ejus exhalantibus, aliquantulum in mixtione ſolvitur, & propterea aliquatenus coagulatur; non aliter quam cum lac propter nimiam agitationem, & partium ab invicem ſeparationem, in butyrum concreſcit, Quare hujuſmodi ſanguinis coagulatio videtur convulſionum potius eſſe effectus, quam cauſa.

### *Methodus therapeutica.*

Quod ſpectat ad curationem ejuſmodi affectionum ſpaſmodicarum, quæ in fœminis, aut viris à cauſa morbifica nervorum origines obſidente procedunt. Prima indicatio erit morbi fomitem ſubtrahere, ſc. impedire, quo minus ſanguis particulas heterogeneas, aut in ſe genitas, aut aliunde â viſceribus acceptas, capiti affigat. In hanc rem evacuatio & per catharſin, & per phlebotomiam, niſi aliquid contraindicat, inſtituta, commode adhiberi ſolet.

*Emetica.* Vomitio ſæpiſſime juvamen præſtat, quare emetica ex infuſione croci metallorum, vel ex ſale vitrioli, aut vino ſcillitico ab initio propinentur. Dein propediem ſanguinis detractio, aut phlebotomia in brachio, aut hirudinum ſuctu è venis ſedalibus celebretur; dein poſtea lenis purgatio aut pilulis, aut apozemate ſolutivo inſtituatur, & tempeſtive repetatur.

*Cathartica.* ℞. *Pilul. e ſuccino Cratonis, vel Tartarearum Zontii* ʒ ij. *reſin. Jalap.* gr. xvj. *Caſtorei* ℈ j. *Olei roriſmarini vel ſuccini* ℈ ß. *Gummi Ammoniaci ſolut. in aq. hyſtericæ q. ſ. f. pilulæ* 16. *ſumantur quatuor die quolibet ſexto aut ſeptimo.*

℞. *Rad. Polypodii qu. Lapathi acut. præparat. Cherefolii an.* ʒ vj *Tæniæ maris* ʒ iij. *folior. Betonicæ, chamædryos, chamæpityos, verbenæ, veronicæ, maris an.* M j. *ſem. carthami, bardanæ an.* ʒ iij. *Coquantur in aq. fontan.* ℔ iiij. *ad medietatem, adde vini albi* ℔ j. *coletur in matracium, cui imponatur folior. ſennæ opt.* ℥ j. *Rhabarbari* ʒ vj. *Turbith. Gummoſi* ℥ ß. *Epithimi, ſantal. citrini an.* ʒ ij, *ſalis Abſynthii, cochleariæ an.* ʒ j. *Flavedinis cortic. Aurantii* ʒ ij. *Digerantur clauſe, in calor. arenæ per horas* 12. *Colatura uſui ſervetur: edulcoretur (ſi opus ſit) cum ſ. q. ſyrupi Auguſtani, vel e cichoreo cum Rhabarbaro. Doſis* ℥ vj. *ſemel aut bis in hebdomad.*

Singulis diebus quibus à purgatione vacat, remedia cerebrum corroborantia, quin & ſpiritus animales, à copula heterogenea ſuſcipienda, aut ab exploſionibus ineundis vindicantia, exhibeantur. De quibus tamen juxta ægrotantis temperamentum, corporis habitum, & conſtitutionem delectus quidam inſtituatur; nam gracili corporis habitu, & ſanguini fervidiori præditis medicamenta minus calida, quæque ſanguinem haud ſupra modum exagitent, propinari debent: è contra phlegmaticis, obeſis, quorum urina tenuis & aquoſa eſt, atque ſanguis hebetius circulatur, viſceraque infarciuntur, remedia calidiora, & humores inſigniter fermentare apta deſignentur. In priori caſu ad hunc modum præſcribatur.

*Remedia in temperamento calidiori.*

*Corroborantia & Specifica.*

℞. *Conſervæ flor. Betonicæ, Tamariſci, Pæoniæ maris an.* ℥ ij. *ſpec. diamargarit. frigid.* ʒ j. ß. *pulv, rad. pæoniæ, & ſeminis ejuſdem an.* ʒ j. *Coralli rubr. præpar.* ʒ ij. *Vitrioli Martis* ℈ ij. *ſalis Abſynthii* ʒ ij. *cum ſ. q. ſucci Aurantior. f. Electuar. capiat bis vel ter in die, ſuperbibendo hauſtulum* Julapii *infra præſcripti.*

*Pulveres.*

℞. *Corallii rubri cum ſucco Aurantiorum in marmore, aut mortario vitreo triti, & exiccati* ℥. ß. *pulv. viſci qu. rad. pæoniæ maris an.* ʒ ij. *ſacchari perlat.* ʒ iij. *f. pulvis. Doſis* ℈ j. *ad* ʒ ß. *bis vel ter in die.*

℞. *Specier. diamargarit. frigid.* ʒ ij. *ſalis Abſynthii* ʒ iij. *rad. aronis pulv.* ʒ j. *miſce, f. pulvis, dividatur in viginti partes, ſumatur doſis mane, & hora quarta.*

℞, *Pul. rad. Petaſitidos* ℥ j. *doſ.* ʒ ß. *ad* ʒ j. *bis in die.*

*Aquæ deſtillatæ &* Julapia.

℞, *Folior. bardanæ, ari an.* M. vj. *inciſa, & ſimul miſta deſtillentur. Doſis* ʒ ij. *ad* iij. *bis vel ter in die poſt doſin Electuarii, aut pulveris.*

℞. *Hujus aquæ deſtillatæ* ℔ ij. *Chalybis noſtri præpar.* ʒ ij. *miſce in phiala, ſumantur eodem modo.*

℞. *Aq.* Jugland. *ſimplicis. Ceraſorum nigror. an.* ℔ ß. Limacum ʒ iiij. *ſyr. flor. Pæoniæ maris* ℥ ij. *Doſis* ℥. j. ß. *ad* ij. *eodem modo.*

℞.

℞ *Raſur. Eboris, C. Cervi an.* ʒ iij. *rad. Charefolii, bardanæ valerianæ an.* ℥ ß. *folior. betonicæ, chamæpityos; ſcolopendrii, ſummitat . Tamariſci an.* M. j. *corticum Tamariſci, ſolani lignoſi an.* ℥ ß. *coquantur in aq. fontana* ℔ iiij. *ad tertiæ partis conſumptionem, adde vini albi* ℥ viij. *coletur in lagenam, cui imponatur folior. beccabungæ, cardamines an.* M j. *f. infuſio tepida, & clauſa per horas quatuor, colatura ſervetur in vitris occluſis. Doſis* ℥ vj. *bis in die, poſt doſin medicamenti ſolidi. Interdum tali Apozemati infundantur chalybris noſtri* ʒ ij. *& ſumantur eodem modo.*

Tempore æſtivo aquar. acidularum uſus convenit, in earum defectu noſtræ artificiales ſubſtituantur.

*Remedia in temperamento frigidiori.*

Quod ſi ob rationes ſupra citatas, medicamenta calidiora indicantur, juxta methodum ſequentem procedere licebit.

*Electuarium.*

℞ *Conſerva anthos, flavedinis Aurantii, Limonii an.* ℥ ij. *nucum Jugland. & myrobalanor. condit. an. n.* ij. *ligni Aloes. ſantali citrini, rad. ſerpentariæ, contrayervæ, angelicæ, ari an* ʒ j. *vitrioli Martis (vel chalybis præpar.)* ℈ iiij. *ſalis abſynthii, cochleariæ an.* ʒ j. *cum ſ. q. conditura nucum Juglandum. f. Electuariarum. ſumatur bis in die qu nucis moſch. ſuperbibendo doſin liquoris appropriati.*

*Tabulæ.*

℞. Rad. *Pæniæ maris, angelicæ, corallii rubr præpar. an.* ʒ ij. *ſacchari ſolut. in aq. limacum & ad tabulatum cocti* ℥ vj. *Olei ſuccini rectificatiſſimi* ʒ ß. *ſ. q. f. Tabulæ, ſingulæ pendant circiter* ʒ ß. *una, aut altera ſumatur bis vel ter in die, ſuperbibendo doſin liquoris appropriati.*

*Pilulæ.*

℞. *Rad. ſerpentariæ Virginianæ, contrayervæ, Valerianæ an.* ʒ ij. *corallii rubr. præpar. margarit. an.* ʒ j. *Cort. Winteran. rad. dictamni Cretici an.* ʒ j. *vitrioli Martis, ſalis Abſynthii an.* ʒ j. ß. *Extract. Centaurii* ʒ ij. *Ammoniaci ſolut. in aq. hyſtericæ. q. ſ. f. maſſa pilularis. ſumantur quatuor pilulæ mane & hora quarta p.m.*

*Spiritus.*

℞ *Sp. C Cervi, aut fuliginis, vel ſanguinis humani, vel ſalis Ammoniaci q. ſ. ſumantur gutt.*

10.

*10. ad 12. mane, & veſperi in cochleari Julapii ſuperbibendo hauſtulum ejuſdem.*

℞ *Folior. betonicæ, verbenæ, ſalviæ, cardaminæ, ari, bardanæ an.* M ij. *Jugland. viridium n°* 20. *cortices* 6. *Aurantior. & quatuor Limonum, cardamom. cubebar. an.* ℥ j. *conciſis, & contuſis affunde ſeri lactis è pomaceo, aut vino albo facti* ℔ vj. *deſtillentur ſ. a. doſis* ℥ ij. *vel* iij. *bis in die poſt doſin medicamenti ſolidi. Hujus* ℔ ij. *adde Chalybis noſtri* ʒ ij. *Aqua deſtillata.*

℞ *Aq. Lumbricor. limacum. an.* ℥ vj. *Jugland. ſimplicis* ℥ iiij. *Raphani compoſit.* ℥ ij. *ſacchari albiſſimi* ℥ ij. *f. Julapium. Doſis cochlearia* 4 *vel* 6 *bis in die poſt doſin medicamenti ſolidi.*

℞ *Millepedum mundator.* ℔ j. *caryophyllor. conciſ.* ℥ ß. *ſuperaffunde vini albi* ℔ ij. *deſtillentur in cucurbita vitrea, doſis* ℥ j. *ad* ℥ j. ß. *bis in die,*

Pauperioribus per remedia facilius parabilia ad hunc modum conſulatur.

℞ *Conſervæ folior. rutæ cum aq. p. ſacchari factæ* ℥ vj. *ſumatur quantitas Nucis Moſchat. bis in die ſuperbibendo decoct. ſem. & rad. bardanæ in ſero lactis cum vino albo parat.*

Vel paretur Conſerva ex foliis Arboris vitæ cum æquali parte ſacchari. doſis ʒ ß. ad ʒ j. bis in die.

℞ *Pulveris Millepedum præpar.* ʒ iij. *ſem. ameos* ʒ j. *f. pulvis, dividatur in* 10. *partes. ſumatur doſis bis in die, vel aſellis* 12. *contuſis cum vino albo affuſo, exprimatur ſuccus, f. hauſtus, ſumatur bis in die.*

Interea dum hæc remedia intus ſumuntur, convenit interdum veſicatoriis in nucha, & pone aures applicatis ulcuſcula excitare; ita namque ſeroſi, & acres humores à capite plurimum emulgentur: porro ſternutatoria, & apophlegmatiſmi non raro juvamen inſigne præſtant. Sanguinis detractio è venis ſedalibus, aut è pede aliquoties iterari debet, quin & urgente affectu, emplaſtra, vel cataplaſmata plantis pedum utiliter adhibentur. Juvat etiam circa ſuras, & femora epiſpaſtica admovere.

## CAPUT VI.

### *De motibus Convulſivis, quorum cauſa circa nervorum extremitates, aut intra plexus nerveos ſubſiſtit.*

AFfectiones ſpaſmodicas interdum abſquecapitis vitio,à ſpirituum circa nervorum extremitates ſcatentium irritatione, exploſioneque oriri vel hinc conſtat, quia cum pharmaca ventriculi,aut inteſtinorum tunicas acrius vellicant, aut lumbrici eas corrodunt, non tantum in iſtis partibus ſuccedunt ſpaſmi, ſed inſuper motus convulſivi nonnunquam in membra, & artus exteriores retorquentur: enimvero, prout alibi oſtendimus, cum partem aliquam gravioris moleſtiæ ſenſus excruciat,& ab illa primo ſenſorio communicatur, exinde ſtatim ſpiritibus ibidem irritatis, motus involuntarius & irregularis reflecti ſolet; idque non tantum per eoſdem nervos, quibus doloris ſenſus afferebatur, ſed interdum etiam per alios aut affines, aut prorſus extraneos ſpaſmus reciprocatur: Ita lapis ureteri infixus,fibraſque ejus nerveasplurimum irritans, motus convulſivos non tantum in vaſe affecto, ſed in cunctis fere abdominis viſceribus excitat; adeo ut urina ſuppreſſa, tormina huc illuc diffuſa, & vomitiones horrendæ utplurimum ſuccedant. Quapropter minime ambigendum eſt, etiam morbos, & ſymptomata quædam ſpaſmodica, propter noxam externam nervorum apicibus intra membranas, muſculos, aut viſcera terminatis illatam, ſæpenumero induci: quinimo in paſſionibus hyſtericis,hypochondriacis, & quibuſdam aliis, ſi quando motus convulſivi, capite illæſo, uteri, lienis aut alius viſceris culpa excitantur; næ illi hac ſolum ratione, nempe reliquarum partium incommodis hac via per nervos, nullatenus autem pervapores ad cerebrumtranſlatis, oriuntur, ac quoquoverſum in varias corporis regiones propagantur.

Hic

Hic autem adnotetur, quod licet cauſa evidens ſolitaria, ſiquidem ea fortis ac vehemens fuerit, convulſiones interdum per ſe, & abſque diſpoſitione prævia inducat; quatenus nimirum ſpiritus animales ſupra modum irritati, exploſiones debito majores & pluſquam ordinarias ineunt; proutin hypercatharſi, ac paroxyſmis colicis, & nephriticis paſſim evenire ſolet; attamen in pleriſque aliis affectibus ſpaſmodicis, quorum acceſſiones ſunt crebræ & habituales, præter irritationem circa nervorum extremitates factam, quæ ut plurimum cauſæ evidentis loco eſt, etiam procatarxis quædam adeſt, cujus efficaciæ morbi inſultus præcipue debetur; nempe cum motus convulſivi lienis, uteri, aut alius privatæ partis vitio excitari, ac crebra vice repetere ſolent, ſuſpicari licet, quod ſpiritus animales fibrarum in parte affecta, & in vicinia ejus diſpoſitarum incolæ, copulam heteregeneam, & exploſivam prius contraxerant, qua ad plenitudinem ſaturi, levi occaſione in exploſiones ſpaſmodicas cientur: dein iſtæ circa nervorum extremitates primo inceptæ eorundem nervorum ductu ſurſum perreptant, & non raro ad ipſam originem nervoſam, ac interdum ulterius ad cerebri meditullium traducuntur: à quo denuo in genus nervoſum reflexæ, etiam membrorum, ac artuum ſpaſmos ſecundario inferunt: poſtquam vero cerebrum, & ſuperior ſyſtematis nervoſi portio, ſpaſmis infra excitatis ſæpius compati & coaffici aſſueverunt, etiam ſpiritus iſtarum partium incolæ, ipſi tandem adulterari, copulam heterogeneam, & exploſivam admittere, adeoque in cauſæ procatarcticæ partem adſciſci incipiunt; hinc demum procatarxis ſpaſmodica utrique caudicis ejuſdam nervoſi termino communis evadit, atque ſpiritus animales in nervi unius, aut plurium tum capite, tum cauda male diſpoſiti, ab alterutro exploſiones concipiunt, eaſque alteri ſtatim tradunt, prout infra cum de paſſionibus hyſtericis, aliiſque ſpeciatim dicemus, fuſius declarabitur. Interim hiſtorias quaſdam, & obſervationes ſpaſmorum à nervorum extre-

*Spaſmi à nervorum finibus incipiunt. & propter irritationem,*

*Et propter copulam exploſivam.*

extremitatibus oriundorum ſubjiciemus.

1. Obſervatio. Virgo lectiſſima circa 16. ætatis ſuæ annum ab equo decidens, & ſaxo protuberanti alliſa, mammam ſiniſtram graviter læſit, unde tumor cum dolore exortus eſt, quæ tamen ſymptomata ab initio remediorum uſu mitigari, & deinceps ad longum tempus mediocriter habere viſa ſunt; poſt triennium vero a frigore ſuſcepto, ac peſſima victus ratione adhibita, omnia exacerbari cœperunt; pars læſa in majorem molem intumeſcens dolore peracuto, & fere conſtanti afficiebatur, ut ægrotans præ inſigni cruciatu dies & noctes pleraſque inſomnes degerit, mammæque glandulas tumidiores tunc factas nec tangi nec pertractari, imo ne ſtrepitum quemvis, aut concuſſionem in cubiculo factam ſufferre potuerit.

Cum huic tumori, verſus cancroſum degeneri, fotus & cataplaſmata ex cicuta, & mandragora, aliiſque ſtupefacientibus, & repercuſſivis applicarentur, perilluſtris Domina affectiones quaſdam ſpaſmodicas crebra vice infeſtantes pati cœpit: imprimis quoties in mamma dolor atrocius urgeret, illic loci punctiones, nec non ſpaſmos ac contracturas huc illuc excurrentes perſenſit: deinde ſtatim ventriculus ac hypochondria, & non raro totum abdomen cum rugitu & vomendi nixu inflari, ac plurimum diſtendi ſolebant; mox idem affectus ſenſim ad ſuperiora transflatus ἀναισθησίαν excitabat, cui brevi poſtea motus convulſivi in toto corpore adeo validi ſuccedebant, ut ægrotans vix à tribus aut quatuor robuſtis viris contineri potuerit.

Hujuſmodi paroxyſmi primo erant vagi, & occaſionaliter tantum excitati: nempe ſuccedebant, quoties dolor pectoris à cauſa quadam evidenti intenderetur: poſtea convulſiones iſtæ crebrius infeſtabant; ac demum periodicæ, ac habituales factæ, bis in die, nempe totidem ſtatis horis à paſtu conſtanter repetere ſolebant: Cumque ad hunc modum per 6 menſes ægrotans miſerrime affligeretur; tandem vertiginoſo capitis affectu, eam fere continuo exercente, moleſtari cœpit: cui

malo

malo cum fotus ex herbis aromaticis & cephalicis capiti aliquandiu adhiberetur, quoad vertiginem melius habuit; verum exinde novo & plane admirando ſymptomate, tuſſi ſc. inani abſque ſputo dies & noctes, niſi cum ſomno obrueretur, perpetuo infeſtabatur: poſtquam clariſſima hæc virgo, diverſimoda remedia à variis medicis præſcripta, abſque multo commodo tentaverat, demum thermis temperatis apud Bathoniam uſa juvabatur, deinde ſtatim nupta, à conceptu ac puerperio ſenſim convaluit.

Si totius morbi ejuſque accidentium rationes inquirantur, extra dubium eſt, affectionem convulſivam à mammæ tumore, ſive loco dolente primo excitatam fuiſſe; cujus cauſa partim fuit acutiſſimus doloris ſenſus, à fibris ac nervis iſtius partis impreſſus, partim autem copula heterogenea ſpiritibus iſtarum fibrarum nervorumque incolis affixa;enimvero ſuſpicari licet humorem acerrimum tumori impactum, qui forſan aliquatenus nervorum ductibus illuc confluxerat, Topicorum uſu repercuſſum, fibras & filamenta nervea per totam viciniam diſpoſita ſubiiſſe, proindeque copulam heterogeneam & exploſivam ſpiritibus accreviſſe; ad quam elidendam, quoties a dolore incitabantur, exploſiones ſpaſmodicas inibant, ſimulque ſpiritus alii, intra nervos affines ſcatentes priorum conſenſu (uti crebro aſſolet) pari ritu explodebantur: dein affectio ſpaſmodica nervorum extremitatibus ubi primo inceperat, per eorundem ductus uſque ad ἐγκέφαλον continuata, ἀναισθησίαν, & exinde in totum ſyſtema nervoſum reſiliens, artuum & membrorum omnium motus convulſivos inferre ſolebat: circa ægritudinis initium paroxyſmi ad hunc modum a parte affecta propter dolorem excitati, ad cerebrum & appendicem ejus ſecundario traducebantur: poſtea vero cum ſpiritus horum incolæ per ſympathiam cerebro exploſi, partium continentium poros ita laxarant & debilitaverant, ut intra eoſdem, una cum ſucco nervoſo, particulis quibuſvis heterogeneis aditus pateſceret. procatarxis ſpaſmodica etiam

*Ejus Ætiologia.*

in capite ſuccreſcebat; atque ſpiritus ἐγκέφαλον incolentes, copula heterogenea infecti, paroxyſmum ſpaſmodicum ipſi inchoabant, aut ſaltem inſultibus ejus primos inſtinctus præbuere, qui ut plurimum à paſtu totidem ſtatis horis redibant; quia ſc. materies morbifica una cum ſucco nervoſo æquali fere dimenſo inferebatur: revera in ejuſmodi caſibus, ubi convulſio generalis fere omnes totius ſyſtematis nervoſi partes ſucceſſive occupat, ſuſpicari licet ſpiritus animales in toto genere nervoſo copulam heterogeneam & exploſivam contraxiſſe, quæ cum ſtato tempore ad plenitudinem aſſurgat, ipſos ſpiritus pariter hora condicta ad exploſionem incitat; eademque exploſio alicubi inchoata, fomitis ignarii ritu, in omnes ordine propagatur.

Quod ſpectat ad tuſſim iſtam inanem, quæ capitis fomentationi ſuccedens, ægrotantem iſtam per plures menſes fere inceſſanter exercuit; videtur quod ſymptoma iſtud omnino ab origine nervoſa affecta, & nequaquam à pulmonum infarctis penderet, nihil enim tuſſi excernebat; & ſi quando iſtum tuſſiendi impetum violenter inhiberet, ſtatim in gutture præfocationis ſenſu afficiebatur: adeo ut veriſimilius ſit materiem morbificam prope originem nervoſam depoſitam à fotu rarefactam, & commotam, nervorum pulmonibus dicatorum capita altius ſubiiſſe, atque in fibris, & filamentis eorum ſpaſmos perpetuos irritaſſe: ſimili quodam ritu, ac cum ſuccus nervoſus, qui muſculorum fibras & tendines irrigat, acris, ac degener factus, partibus iis ſubſultus, ac contractaras continuas inducit: hinc quando ſpaſmus in aliquibus nervorum affectorum ſurculis ſiſteretur, ita ut tuſſire non liceret, ſtatim motus convulſivus in ſurculos alios ejuſdem, aut affinis nervi incurrens, præfocationem in gutture excitabat. Libet hic exemplum aliud ſpaſmi è nervorum extremitatibus affectis oriundi proponere.

2. *Obſervatio.* Clariſſima Matrona quinquagenaria poſtquam ei menſtrua per ſeſquiannum fluere deſierant, primo de dolore pungitivo in mamma ſiniſtra queri

cœpit;

cœpit;dein poſtea illo affectu ceſſante,circa ventriculum male habuit, illic nimirum tumor durus,& velut ſchirroſus cum dolore gravativo ſubortus eſt huic ſtomachi inflatio cum reſpiratione difficili, nauſea, & vomitione crebra ſupervenit: dein morbo ingraveſcente, dolore magis acuto, & huc illuc quaquaverſus excurrente, in affectiones ventriculi convulſivas incidit: nempe illic loci ſpaſmis varie excurrentibus, haud ſecus ac ſi ventriculus multifariam diſtraheretur, fere continuo moleſtabatur: porro cum ſiti & vigiliis, conſtans animi perturbatio,& crebra ſpirituum deliquia, quaſi jamjam moribunda eſſet, Dominam ægrotantem exercebant: quæ tamen omnia ſymptomata ex iſto ventriculi tumore ſemper oriri, eadem plane perſenſit: Huic medicamina quævis vomitoria, cathartica, antiſcorbutica, & hyſterica, abſque ullo levamine, moleſtiæ potius & nocumento fuiſſe videbantur; à ſanguinis miſſione per hirudines, & lactis aſinini uſu nonnihil commodi recepit, & poſtea ab acidulis diu epotis plurimum alleviabatur.

*Ejus Ætiologia.*

Prædicta ſymptomata, quæ vulgo paſſioni hyſtericæ, & vaporibus uterinis aſcriberentur, palam eſt à tumore circa ventticuli fundum excitato proceſſiſſe: quippe ſanguis Dominæ iſti valde fervidus & atrabilarius exiſtens, cum non amplius catameniorum fluxu purgaretur, recrementa ſua & fæculentias aduſtas primo in mamma, & deinde novo incepto, in ſtomachi membranis depoſuit: â tumore ibidem facto, particulæ acres & heterogeneæ perpetim decedentes, fibras & nervos circumcirca conſitos ſubierant; quæ ſpiritibus earum partium inſitis, influiſque continuo accreſcentes, ipſos ud crebras exploſiones, adeoque affectiones ſpaſmodicas in tota vicinia excitabant: quandoquidem vero motus convulſivi illic loci habiti, leviores fuerint, hinc apparet totum nervoſum genus, ipſumque ἐγκέφαλον (prout in ſpaſmis majoribus aſſolet) in eundem affectum nondum conſenſiſſe: attamen ſpirituum inordinatio circa partes affectas exorſa, & illinc minori

ri undulatione ad caput traducta, ejuſque adeo ſpiritus incolas leviter tantum afficiens, vigilias, cum ingenti æſtu, & phantaſiæ perturbatione inducebat. Quæ hactenus de ſpaſmis à cauſa morbifica alterutrum ſyſtematis nervoſi finem obſidente, differuimus, clarius clucefcent, cum poſtea de præcipuis convulſionum ſpeciebus, de paſſionibus ſc. hyſtericis, hypochondriacis, aliiſque particulatim agemus: Interea huic de ſpaſmis, propter nervorum extremitates affectas, oriundis, hypotheſi methodum therapeuticam non opus erit adjicere, quoniam medendi rationes hujuſmodi pathematis poſtea ſpeciatim tradendis, melius accommodari poſſunt: Inpræſentiarum vero procedere oportet ad explicandas paſſiones ſpaſmodicas, quarum cauſa, ſive materies morbifica intra plexus nerveos ſubſiſtere videtur.

De plexibus nerveis alibi ſatis fuſe differuimus, atque ex illorum deſcriptione & uſu veriſſimillimum eſſe oſtendimus, motuum convulſivorum paroxyſmos graviores intra haſce partes ſæpenumero incipientes, exinde quaquaverſus in viciniam, & non raro in longinquum propagari: ſaltem multo probabilius videri, particulas heterogeneas & exploſivas, poſtquam τοῦ ἐγκεφάλου, ejuſque appendicis medullaris tractus ſuperaverint, inque nervorum canales, eorumque ductus, una cum ſucco ipſos irrigante, altius prolapſas, intra plexus nerveos, velut compita, ſive diverticula copias explicare, ibidemque aliquandiu ſtativa habere, donec tandem uberius aggeſtæ, quaſi collectis viribus affectiones ſpaſmodeis immaniores producant: hoc, inquam, longe probabilius apparet, quam (quod vulgo fit) ex utero, liene, ventriculo, aliove viſcere vapores elevatos ſupponere, in quos omnis culpa ex facili conjiciatur: Nam intra hoſce plexus pro mineris morbificis ſpatia ſatis idonea conceduntur, ut materies illic ſenſim deponi poſſit, & manere, donec ad plenitudinem congeratur: deinde vero, quia ſpirituum copias ingentes, ſupra quam in aliis quibuſcunque cellulis, illic hoſpitari credimus, copula heterogenea

*Plexus nerveos materiæ ſpaſmodicæ ſedem eſſe.*

iis

iis accreſcens, in exploſiones graviores quaſi fomitem ſtruit; adeo ut ſpiritus intra hæc corpora exploſi ea non modo inflent, & dilatent, verum de ſitu elevent, & attollant, (velut cum ædificium à pulvere pyrio ſubvertitur) quare partes ſuprajacentes ſubito in tumorem efferuntur, atque appenſe huc illuc violenter contrahuntur. Ad hunc modum atrociores, circa præcordia & viſcera, convulſionum paroxyſmos ſæpenumero excitari, præter argumenta ex ratione petita, non ita pridem αὐτοψίᾳ comprobatum habui: Cum enim fœminæ illuſtriſſimæ paulo ante obitum affectibus (quos dicunt) hyſtericis graviſſime laborantis, cadaver aperirem, uterum quidem prorſus inſontem reperi; verum juxta meſenterii plexus nerveos (uti videbatur) in molem attolli, & elevari ſolitos, viſceris iſtius membranas ab invicem divulſas, & ſolutas, ut circumquaque tumidæ & laxæ, quaſi in bullulas, ſive veſiculas inflatæ apparerent.

Profecto plura ſunt rationum ſolidarum momenta, quibus adducimur ut credamus pathemata dicta hyſterica ſæpiſſime à materia ſpaſmodica intra plexus meſentericos aggeſta, & per vices exploſa oriri: quod quidem, ubi de morbis iſtis ſpeciatim agemus, clarius patebit: ſed neque minus probabile eſt, dolores colicos à materia acriori, & irritativa iiſdem plexibus contenta, non raro procedere. Cæterum quoties paroxyſmi convulſivi à liene, aut ventriculo incipere videntur, utpote quorum initia ſunt partium iſtarum inflationes, & perturbationes inſignes; veriſimile eſt materiæ ſpaſmodicæ nidum, intra plexus nerveos ad lienem, aut ventriculum pertinentes reconditum fuiſſe: Quinetiam ejuſmodi materies, intra plexus cardiacos graviſſimos cordis tremores & paſſiones, intra plexus pneumonicos, aut cervicales, terribiles aſthmatis inſultus excitare videtur. In Neurologia noſtra caſum inſignem perilluſtris fœminæ retulimus, cui materies ſeroſa è ſyncipite per narem ſiniſtram extillari ſolita, pone aurem decubuerat: ubi cum dolor atrociſſimus infeſtaret,

3. *Obſervatio*

ſpaſmi

ſpaſmi inſuper, & contractiones admirandæ ſuccedebant: quibus ſc. modo cerebri & totius ἐγκεφάλου compages deorſum, modo guttur, præcordia, & viſcera ſurſum convelli viderentur: cujuſmodi convulſiones partes ita oppoſitas,& longe diſſitas per vices afficientes, cum ab una eademque morbi ſede in medio conſita procederent, obvium erit concipere, locum dolentem, uti & affectionis utriuſque ſpaſmodicæ originem, fuiſſe plexum ganglioformem, juxta parotidas ſitum: in quem ſc. nervi tum paris vagi è capite deſcendentes ingrediuntur, & è quo propagines in gutturis muſculos,atque rami in præcordia & viſcera protenduntur. Porro ab eadem cauſa, ſc. materia σπασμώδη intra plexus ganglioformes aggeſta & per vices exploſa, iſtum in gutture præfocationis ſenſum in paroxyſmis convulſivis tam crebro excitatum procedere (nec immerito) arbitramur. Verum ſuper his quando morbos, & ſymptomata ſpaſμώδεα particulatim tractabimus, erit opportunior dicendi locus. Quod reſtat de convulſionum, quarum ſupra mentionem fecimus, ſpecie ultima, quæ nempe in liquore nervoſo per totam ſui maſſam,particulis heterogeneis & exploſivis infecto, proindeque totos nervorum,corporumque nerveorum proceſſus in ſpaſmos univerſales, eoſque aut continuos, aut intermittentes irritante dependet, modo diſquirere incumbit.

CAPUT.

# CAPUT VII.

## *De motibus convulſivis, a liquore corpora nervoſa irrigante, totoſque eorum proceſſus in ſpaſmos irritante, oriundis.*

AFfectiones convulſivas aliquando per totum genus nervoſum vagari, atque partes modo has, modo illas, modo plurimas ſimul infeſtare, adeo notum eſt, & experientiæ fere quotidianæ obvium, ut nihil magis: quippe advertere licet in his, muſculorum tendines ubique ſubſilire, ſpaſmis contrahi; in aliis, membra quævis exteriora, variis flexionibus contorſionibuſque huc illuc multifariam flecti, aut extendi. Vidimus nonnullos ſpirituum effræni & indomita vi coactos, modo velut œſtro percitos, currere, aut ſalire, modo, pedibus, aut pugnis, terram, vel objecta quævis validiſſime contundere: quod ni facerent, illico in lipothymias, & horrenda ſpirituum deliquia incidere. Nimii eſſet tædii ſingulos caſus ſpaſmorum univerſalium, & per totum genus nervoſum oberrantium, enumerare: iſtiuſmodi autem ſymptomata, licet varia & multiplicia fuerint, ad tria tamen capita præcipua quodammodo reduci poſſunt; nimirum quatenus à tribus cauſarum generibus potiſſimum dependent: quandoquidem enim in vagis hiſce ſpaſmis ſupponere debemus totum liquorem nervoſum vitiari, atque ſpiritus animales in eodem ubique ſcatentes adulterari, proindeque fere perpetim explodi: Advertere licet ejuſmodi labem, & ſucco nervoſo, & ſpiritibus ubique influis, uno aut altero ex tribus hiſce modis, ut plurimum imprimi, ſc. 1°. vel a venenis, aut veneficiis. 2°, vel à febre maligna, aut male judicata, in quibus ſc. materies morbifica in cerebrum, aut nervoſum genus ſuffunditur; vel 3°. cum liquor nervoſus longo temporis tractu, propter affectionem ſcorbuticam, aut alias vitioſam, à debita craſi, in liquorem acrem, aut acidum,

*Spaſmorum univerſalium tria potiſſimum cauſarum genera.*

dum, aut alio modo præternaturalem,& ſpaſmodicum degenerat. Libet hic ſingulos prædictos caſus conſiderare, & primo de ſpaſmi inſultibus qui à venenis aut veneficiis producuntur.

*A venenis & veneficiis.* Primo igitur,venena quædam in liquorem nervoſum, potius quam in ſanguinem agere, quæ illum depravantia, affectiones ſpaſmodicas potiſſimum inducunt, alibi à nobis oſtenſum eſt: & liquido conſtat, ex comeſtione cicutariæ, apii, riſus, mandragoræ, ſolani furioſi, paſtinacæ ſylveſtris, aliarumque herbarum noxiarum, quam nempe brevi ſubſequi ſolent horrendæ ventriculi contractiones, torpor,delirium, atque in toto corpore tendinum ſpaſmi, ac ſubſultus: porro ejuſmodi affectiones convulſivæ ſuccedunt in demorſis à cane rabido,aliiſque feris venenatis,ubi miaſma virulentum à ſucco nervoſo ſuſceptum, in eodem diu deliteſcens, ſe tandem exerit, atque totam liquoris,quo involvitur, maſſam, fermento ſuo inficit ac venenat: Id quod clarius adhuc & liquidius illuſtrant ſymptomata admiranda, ſpaſmi nimirum dolorifici, & indefeſſa ſaltatio, quæ tarantulæ morſui ſuccedere ab authoribus perhibentur: & poſſint quidem fabuloſa videri, niſi quod rei veritas à pluribus bonæ fidæi viris,tum antiquis, tum recentioribus aſſeritur: Nam præter Mathiolum, & Epiphanium Ferdinandum, Gaſſendus, & Kircherus addunt ſe affectus iſtius teſtes oculatos fuiſſe: quinimo fertur in Apulia notiſſimum eſſe,& uſu fere quotidiano receptum; nempe in regione iſtac phalangii, ſive araneæ genus quoddam extare, quod Tarantula, à Tarento antiqua Apuliæ urbe, appellatur. Animalculum hoc in æſtate valde frequens, incolas incautos ſæpe mordet, atque ictu venenato afficit, unde ſtatim dolor in parte læſa, cum tumore & pruritu, mox in variis corporis partibus ſtupor & tremor, nec non membrorum convulſiones & reſolutiones, aliaque ſymptomata ſpaſmodica, cum ſumma virium proſtratione ſuccedunt; uti ex Mathiolo, Ferdinando, aliiſque ſtupendam hujus morbi pathologiam enarrantibus, colligere datur.

*A venenis è vegetabilium claſſe.*

*A cane rabido.*

*A Tarantula.*

datur. At vero maxima admiratione dignum eſt, quod de curatione hujus affectus iſti Authores referunt, atque per totam regionem vulgo in praxi eſt: Namque icti a Tarantula, utut graviter laborant, auditis muſicis inſtrumentis, ſtatim à plangoribus ceſſant, atque in medium proſilientes tripudiare, ac ſaltare incipiunt; tamque diu rem perſequuntur, ac ſi ſani eſſent, ac nullo unquam teneantur dolore: quod ſi eveniat, ut Tibicines tantillum quieſcant, non multo poſt tempore in terram concidunt, ac ad priſtinos redeunt languores, niſi tamdiu ſonitu indeſinenti ſaliunt, atque tripudiant, donec venenum penitus diſcutiatur: Ob id igitur Tibicines ſtipendio conducuntur, alternatimque mutantur, ut abſque ulla ſonitus intermiſſione, tamdiu tripudient demorſi, quouſque penitus curati conquieſcunt. Ita Mathiolus: Quibus addit Ferdinandus, pauperes in Apulia omnem fere ſubſtantiam ſuam in muſicos & Tibicines erogare, qui per totam illam provinciam evagantur, & Tarantatis inſerviendo, multum lucri faciunt: & quidem tripudiant, ac ſaltant intra oppida, in publicis plateis, in agris, alii uno die, alii una hebdomada, alii pluribus. His Authoribus ſuffragantur viri Doctiſſimi Gaſſendus & Kircherus, quorum utrique ex propria obſervatione referunt, ſe taliter affectos noviſſe, aſſeruntque, ipſos haud quavis muſica indifferenter, at certis contilenarum generibus affici, excitari, ac ad numeros quoſdam præ aliis tripudiare.

*Symptomatum Tarantula demorſorum Ætiologia.*

In prædictorum accidentium rationes, ut, ſi quid conjectura aſſequi poſſimus, paululum modo inquiramus; imprimis extra dubium habetur, ab animalculi iſtius morſu miaſmata quædam venenata corpori humano infigi, quæ tamen ſanguini, & ſpiritui vitali minus infeſta, quamprimum ex ipſo in liquorem nervoſum tranſierint, per totam ejus maſſam, fermenti inſtar, ſtatim ſe explicant, atque ſpiritus animales, ubivis in ea ſcatentes inficiunt; ita quidem ut ipſi ab invicem diſtracti, & huc illuc inordinate agitati, affectiones ſpaſmodicas inducant, quas partium continentium

tium modo contractura, modo languor, & reſolutio comitantur.

*In ſedandis ſymptomatis muſicæ ratio in qua conſiſtit.*

Cur autem, quæ à Tarantulæ morſu convulſiones dolorificæ ſuſcitantur, ſtatim à muſica ſedatæ, in ſaltationem commutari ſolent, non ita plane conſtat. Quod nonnulli aſſerunt, animalculum hoc (ſiquidem teſte Ariſtotele σοφώτατον fuerit) muſica delectari, atque eapropter venenum ejus homini inditum, humores fermentando, parem muſicæ amorem inducere: hæc inquam conjectura animo veritatis avido minus ſatisfacit, utpote quæ in araneo naturam philomuſicam, eandemque poſtea cum homine, per metaſtaſin, ſeu velut μετεμψύχωσιν quandam communicatam ſupponit; quæ quidem utraque & gratis dicta ſunt, & minus arrident; quin potius dicendum videtur, venenum à morſu Tarantulæ liquori nervoſo inflictum, mitius eſſe, quam ut ſpiritus animales penitus extinguere valeat, aut diſtractos prorſus diſſipare, & in exploſiones immaniores cogere; ſed eos tantum in fugam conjicere, fugatoſque hinc inde in ſpaſmos leviores, ac fere tantum dolorificos, incitare; at vero muſicam, blanda mulcedine ſua, ſpiritus ita diſſipatos facile una congregare, ac mutuo aſſociare: quapropter cum iidem ſpiritus, ob miaſmata virulenta ipſis adhærentia, uſque in motus involuntarios, & convulſivos apti fuerint, melodia, eos ſimul allectatos, in tales ſpaſmos diſponit, ac dirigit, ut ſerie, ac ordine quodam, nervorum corpora ſubeuntes, certis velut in cancellis, ac orbitis ferantur, donec tandum veneni particulis penitus evaporatis, atque ſpirituum furore, ac impetu delaſſato, œſtrum illud omnino excuſſerint. Enimvero muſica homines ſanos & ſobrios etiam invitos, aut aliud cogitantes, in actiones modulaminis auditi æmulas facile rapit; ut primo ſtatim Tibicinis inflatu, adſtantes manus & pedes agitare incipiant, & vix, ac ne vix à ſaltando ſe contineant: ne quis ergo miretur, in hominibus, a Tarantula demorſis, ubi ſpiritus animales, velut ſtimulis agitati, huc illuc ſponte exilire,

exilire, & divagari coguntur, ſi ad citharæ impulſum, in ſaltationes, & motus compoſitos excitentur; adeo ut in hiſce affectibus muſica ſpiritus debacchantes velut incantans, eorumque motus convulſivos quodammodo regens atque commutans, antidoti loco habeatur: in quantum ſc. ſpiritus animales, ad hunc modum diu ac multum exerciti, copulam elaſticam à veneno aut alias contractam, penitus excutiunt, ipſique plurimum defatigati, demum ab œſtro ſeu incitatione ſua conquieſcunt.

*Chorea S. Viti deſcriptio.*

Huic affine eſt malum, quod Chorea S. Viti appellatur, de quo refert Gregorius Horſtius, ſe cum mulieribus quibuſdam locutum, quæ quotannis Sacellum S. Viti, quod eſt in finibus Ulmenſium, viſitantes, ibidemque ſaltu cum perturbatione mentis, eouſque ſeſe nocte dieque exercent, donec ecſtaticarum inſtar corruunt: qua ratione ſibi reſtitutæ videntur, ut parum vel nihil ſentiant per annum integrum, uſque ad Maii tempus ſubſequens, ubi membrorum inquietudine eouſque ſeſe torqueri referunt, ut viciſſim circa feſtum S. Viti ad prædictum locum, ſalationis gratia, ſeſe conferre cogantur. Horſt. Epiſt. med. ſect. 7. de admirandis convulſionibus.

*Ejus Ætiologia.*

Profecto uſitatum eſt (prout ſæpius obſervavi) tum viros, tum fœminas, interdum ea membrorum inquietudine, & velut œſtro quodam urgeri, ut neceſſe habuerint, uſque ad laſſitudinem ambulare, quin etiam ſaltare, huc illuc diſcurrere, ut hac ratione graviores moleſtias, & lipothymias alioquin invaſuras, evitare poſſint: Quorum ratio videtur eſſe, quod ſpiritus animales, quatenus in toto nervoſo genere a copula heterogenea incitati, efferi prorſus ac effrænes evadunt, quos quidem ita exerceri, atterique opus eſt, tum ut ipſi perdomentur, tum ut copula exploſiva excutiatur.

*Spaſmi univerſales a veneficio*

Affectiones convulſivas interdum a veneficio excitari, & vulgo creditur, & à multis fide dignis Authoribus paſſim aſſeritur: & quidem ut concedamus, admiranda in corpore humano pathemata

themata, à diaboli præſtigiis ſæpenumero produci; quatenus nimirum iſte, pro mira, qua pollet, agendi ſubtilitate, animæ ſenſitivæ, ſive ſpirituum animalium ſyſtaſi, atomos, ſive corpuſcula heterogenea inſinuat, adeoque functionibus ejus modo ſtimulos addit, modo vincula injicit, modo eas in perverſum rapit: quinetiam aliquomodo ipſe corpus humanum ſubit, & quaſi altera anima potentior ei coextenditur; ſingulas partes, & membra actuat, vigore inſolito inſpirat, ac pro libitu ſuo regit, ac ad facinora immania & ſupernaturalia perpetranda incitat: attamen omnia ſpaſmorum genera, quæ præter communem iſtius morbi morem prodigioſa apparent, non ſtatim ſagarum incantamentis inſcribi debent, aut Demon ἀπὸ μηχανῆς ſemper in ſcenam vocandus. Enimvero quoties è potentioribus cuipiam viro natus, aut affinis, ſpaſmis forte atrocioribus & inſolitis corripitur, plerumque fit, ut vetula mox proxima veneficii accuſetur, rea peragatur, laqueumque aut flammas vix ac ne vix quidem miſera èvadat; cum interim morbus, a cauſis mere naturalibus procedens, non alio exorciſmo, quam remediis contra affectiones convulſivas præſcribi ſolitis, facile curetur: Revera ſpiritus animales copula exploſiva immaniori præditi, & ab ea confertim eliſi, tantum roboris, ac vigoris, ſupra propriam ac ſolitam ſuam poteſtatem exerunt quantum flamma pulveris pyrii ſupra flammæ communis deflagrationem; adeo ut qui morbo huic obnoxii, extra paroxyſmum leviſſimo unius viri ductu regi, attolli, & quo libitum erit agi poterint, eodem urgente, quatuor ad minus robuſtorum hominum ultimos conatus, nixuſque eludant: Sin vero in cujuſquam laborantis caſu veneficii, aut faſcinationis ſuſpitio exoriatur, duo ſunt imprimis motuum genera, quæ hanc creare, & fovere ſolent, ſc. 1°. ſi patiens ejuſmodi membrorum, aut totius corporis contorſiones, aut geſticulationes perficiat, quas nemo ſanus ne quidem mimus, aut geſticulator quiſpiam, imitari ſolet. Dein ſecundo, ſi robur exerat, quod vim omnem

*Qui vulgo ſed falſo habiti.*

*Eorum Ætiologie.*

*Qui veneficium arguunt.*

mnem humanam ſuperat ; quibus ſi rerum monſtroſarum excretiones accedant ; uti cum aciculorum faſciculi, prout refert Henricus ab Heers, rejiciuntur vomitu, aut viva anguilla, prout refert Cornelius Gemma, per ſedem dejicitur; extra dubium ponitur, in hac tragœdia diabolum partes ſuas habere, & agere.

Obvium hic eſſet plurimas, & quidem admirandas hominum cujuſque ætatis & ſexus, more ſtupendo, & tanquam ſupernaturali, cum manifeſta veneficii ſuſpitione, affectorum, hiſtorias congerere: tales enim apud Authores tum medicos, tum philoſophos paſſim extant; quin & morbos a faſcinatione excitatos, in unaquaque fere regione ſæpius evenire, vulgaris rumor perſtrepit: attamen quoniam ejuſmodi caſus, vel impoſtura ſunt pleni, vel admirationis creandæ gratia, fictitiis narrantium commentis ſemper aucti, eos (ſiquidem & rarius ſub Therapeuſi medica cadunt) hic conſulto prætermittam. Quod ſupereſt, proximam convulſionum univerſalium ſpeciem, qualis nempe febribus malignis, aliiſve anomalis, aut male judicatis ſupervenit, explicare pergam.

## CAPUT VIII.

*De ſpaſmis univerſalibus, qui in febribus malignis, male judicatis, & quibuſdam anomalis, excitari ſolent.*

*Spaſmi univerſales febribus accidentes.*

COnvulſiones febricitantibus interdum accidere nullus e vulgo fere eſt, quin paſſim advertit, & exinde mortis, aut periculi inſigne prognoſticum deſumat: Enimvero in febribus malignis, item aliquando in ordinariis male judicatis, prout vertigo, aut delirium, a materia morbifica, e ſanguine in cerebrum depoſita oriuntur, ſic ab eadem in nervoſum genus delapſa, muſculorum, ac tendinum contracturæ & ſubſultus, nec non membrorum, ac artuum ſubitæ ſuccuſſiones, ac interdum in toto corpore rigores horrifici ſuccedunt: Cujuſmodi ſymptomatum ratio in eo conſiſtere videtur, quod liquor partium nervoſarum irriguus particulis heterogeneis, ac ſpirituum irritativis ubique ſcateat: propterea namque ſpiritus tum influi, tum inſiti ab æquabili ſuo effluxu & emanatione perurbati, in crebras exploſiones & continuos quaſi crepitus incitantur; non abſimili ritu, ac cum lampadis flamma, oleo fæculento & ſalito imbuta, cum ſtrepitu & ſcintillatione ardeſcit. Cujuſmodi tamen affectus ſpaſμώδεις ut plurimum accidunr circa febrium ἀκμὰς, cum materies morbifica; primo in ſanguine congeſta, illinc in cerebrum transfertur, eoque vel protinus trajecto, vel ſimul infecto, in ſyſtema nervoſum profertur; proindeque pathemata convulſiva, cum vel ſine delirio accientur.

*Symptomatum Ætiologia.*

At vero, præter hujuſmodi affectiones ſpaſmώδεις febribus ἐπιγινομένας, & ſecundario excitatas, obſervare eſt interdum, in maligna aeris conſtitutione, etiam a contagii peſtilentis afflatu, liquorem nervoſum ſanguine prius, aut ab eo ſeorſim infici, & propterea delirium ac convulſiones intemperiem febrilem prævertere.

Porro

Porro ſæpius obſervavi febres quaſdam anomalas increbuiſſe, in quibus ſanguine vix ebullire, aut ſupra modum efferveſcere viſo, primum in humore nervoſo febris lentæ ac valde periculoſæ initia jaciebantur; quæ ſenſim ad maturitatem evecta, affectus ſpaſμώδεις, cum delirio, aut mania, aliiſque ſpirituum animalium deliquiis, aut exorbitantiis inducebant. Ægrotantes enim de calore aut ſiti minime conqueſti, cito debiles, & quaſi enerves facti, crebræ vertigini, nec non artuum tremoribus, ac velut exilitionibus, inſuper muſculorum ac tendinum ſubſultibus, & contracturis, atque doloribus hinc inde vagis ſtatim obnoxii fiebant. Hujuſmodi ægritudo a quibuſdam medicis, ſiquidem in ſolidis partibus, potius quam in ſanguine conſiſtere videtur, febris maligna hectica appellatur; cum revera eadem in humore nervoſo potiſſimum defixa, lues νευρώδης convulſiva melius dicitur.

*Morbi convulſivi Haſſiæ olim epidemici deſcriptio.*

Apud Gregorium Horſtium mentio fit morbi convulſivi & maligni, qui olim Haſſiæ, Weſtphaliæ, & in locis vicinis epidemicus fuerat: illo correpti, ſine febrili æſtu, aut immodica ſanguinis effervеſcentia, dum circa negotia familiaria verſarentur, ſeſe vix modo ægrotare percipientes, circa manus, aut pedes, ac interdum in utriſque formicationis ſenſum, cum ſtupore, huc illuc tranſcurrentem, habere ſolebant: dein mox digiti, ſimulque brachia & crura, modo arcte contrahebantur, modo validiſſime, ac ſi obriguiſſent, extendebantur. Hujuſmodi contractiones & extenſiones ſe alternatim excipiebant, & ſubinde loca mutabant; ut nunc in hac parte, dein ſtatim in alia affectus reſideret: ſin (uti non raro contigit) morbus cerebrum una totum invaderet, convulſiones univerſales, & ſæpe inſultus epileptici ægrotos infeſtabant: inſuper laborantes per vices quaſdam delirio, maniæ, ac interdum lethargo obnoxii fuerunt. Ægritudo hæc ſine criſi, aut integra ſolutione diu perſeverabat, & vix in ſolidum ita curari potuit, quin cerebri, & partium nervoſarum diatheſes malæ ac morbidæ per totam poſtea vitam duraverint.

*Symptomatum Ætiologia.*

Quoad morbi hujus, & ſyptomatum, rationes, ſatis obvium eſt, eadem omnino à ſucci nervoſi vitio, ac inſigni depravatione pendere. Iſte formicationis ſenſus ægritudnem plerunque inchoans, propterea ciebatur, quoniam liquor iſte à miaſmate maligno venenari, ac in mixtione ſolvi incipiens, ſtatim ſpiritus animales in ipſo ſcatentes opprimebat, & ab expanſione ſolita ac libera inhibebat; quare illi ſemiobruti, ac velut inter vepretes, ac retinacula obrepere coacti, quaſi formicarum tranſcurrentium ſenſum excitabant: deinceps vero quoniam hoc morbo ingraveſcente, liquor nervoſus in craſi ſua adhuc magis pervertebatur, quæ in illo congerebantur particulæ heterogeneæ, ſpiritibus accreſcentes, eos huc illuc exagitari, & inordinate explodi fecerunt, propterea quidem ut in membris contractiones, diſtentioneſque horrendæ, ac in capite tumultus & inordinationes maximæ cierentur. Quod autem in hac febre νευρώδη ſolutio, ſive criſis difficilis, ceu potius nulla contigit, ratio erat, quia ſuccus nervoſus utpote lentus, & quaſi mucilaginoſus, proindeque in motu tardus, haud uti ſanguis, efferveſcenria eccritica defæcatur, nec ejuſmodi fermentationem facile concipit, qua purum ab impuro ſecernitur.

Profecto ægritudinem, ſimili prorſus typo inſignitam, non raro apud noſtrates excitatam, & per totas familias, ſaltem in pueros & juniores graſſatam fuiſſe, novi. Ante aliquot annos febris pupularis cerebro, & nervoſo generi plurimum infeſta in hac regione, imo fere per totam Angliam; plurimum increbuit: Cujus morbi hiſtoriam eo tempore quo ſæviit, ſc. anno 1661. deſcriptam, hoc in loco pathologiæ noſtræ ſpaſμώδη inſerere hic operæ pretium videtur: Hinc enim conſtet, quo ritu, & quibus de cauſis, ſymptomata convulſiva, quæ febribus quibuſcunque ſupervenerint, excitari ſolent.

*Febris*

*Febris epidemicæ cerebro & nervoſo generi potiſſimum infeſtæ, anno 1661. increbreſcentis deſcriptio.*

In hac regione, ante noviſſimam æſtatem ſc. anni 1660, morbo quovis populari, niſi qui tantum in quibuſdam locis ſporadice graſſabatur, ſupra biennium immunes degeramus; tunc autem, ante ſolſtitium æſtivum, morbilli (affectus hic raro epidemicus) variis in locis exorti, plurimum ſæviebant, Poſt æſtatem illam, quæ intenſe calida & ſicca fuerat, autumnus ſolito humidior inſequutus eſt: et quem poſtea hyems mitiſſima, & frigoris pene expers excepit: toto ejus ſpatio, vix erat tellus nive obtecta, aut unquam ſupra tres, aut quatuor dies continuos gelu conſtricta; adeo ut intra paucas à ſolſtitio brumali hebdomadas, arbores frondſcere, plantæ vernales è terræ ſinu erumpere & effloreſcere, quin & aves nidificare inceperint: tempeſtati huic miti, ac corpuſculis nitroſis a Borea ſufflari ſolitis, haud quaquam eventilatæ ſub initium veris, imbrium, fere continuo madentium, ſqualor maximus ſucceſſit. Poſt æquinoctium vernale, febris quædam anomala & inaſſueta nonnullos ſparſim inceſſit; quæ tamen intra menſem in tantum epidemica evaſit, ut pluribus in locis morbus novus appellari cœperit: in pueros & adoleſcentes potiſſimum deſæviens, eos longa, & velut chronica ægrotatione affligere ſolebat: quinimo interdum ſenes, & provectæ ætatis homines, licet rarius, infeſtabat, at eos citius, & quidem certius jugulabat. Affectus primo quempiam invadens, ita tacite obrepebat, ut ægrotationis initia vix perciperentur: nam ſine calore immodico, aut ſiti acriori exoriens, ſtatim in toto corpore, debilitatem magnam, cum ſpirituum languore, & functionis animalis torpedine, inducebat; ſtomachus eſculenta quævis faſtidire, & ab ingeſtis aggravari, nec tamen facile in vomitum proclivis erat. Laborantes ad motum

*Febris epidemica anno 1661. graſſantis hiſtoria.*

*Ejus cauſa procatarctica:*

*Symptomata.*

tum quemvis inepti, tantum lecto diſcumbere, & otio frui ambiebant: intra breve tempus, etiam aliquando ab ipſo morbi inſultu, de vertigine gravi, aurium tinuitu, ſæpe item de cerebri quaſi tumultu & preturbatione magna querebantur. Cujuſmodi ſymptomata ſæpiſſime hujus morbi ingruentis ſignum quaſi pathognomicum habebantur: ſi in quibuſdam hæc deeſſe, aut remiſſius habere contigit, vice capitis eo ritu affecti, morbus in pectore, cum tuſſi excitata, altiores radices egit, uti mox dicetur. Dum vero cerebro, ac appendice nervoſa ad hunc modum affectis, ſpiritus animales mox ab ægritudinis principio obtorpeſcerent, febris lenta ac velut hectica in toto accendebatur: attamen cruoris effervefcentia, quæ vix continua, ſed vaga & incerta fuit, juxta ipſius ſanguinis craſin, in aliis intenſius, inque aliis remiſſius habuit; proindeque ſitis, linguæ ſcabrities, aliaque ſymptomata, quæ ab intemperie febrili dependent, plus aut minus infeſtabant: ſudor haud ſponte ſucceſſit, nec facile aut cum levamine ab arte produci potuit: quinimo nec hujus, nec aliuſmodi, evacuatio, velut critica unquam ſuccedens, hunc morbum derepente ſolvebat; verum iſte per plures hebdomadas ac interdum menſes perſiſtens, in ſummam atrophiam ægrotantes redegit, & non raro eos tabe incurabili affecit.

Circa morbi incrementum, quod in pleriſque intra octiduum contigit, ſi affectus (uti ſæpius aſſolebat) cerebrum, ac ſyſtema nervoſum præcipue obſideret, in eorum regimine, ſymptomata graviora, ſc. aperta phreneſis, aut altus ſtupor, ſive ἀναισθησία infeſtabant. Nam ſæpius obſervavi, in pleriſque pueris, atque non raro in fæminis, poſt ſeptem aut octo a decubitu dies, ſenſionem & loquelam penitus defeciſſe, adeoque ægrotantes aliquandiu, immo interdum totius menſis ſpatio, ſine adſtantium notitia, cumque involuntario excrementorum profluvio decubuiſſe; ſin judicii & rationis uſus aliquatenus perſtaret, eos tamen crebro delirio, & conſtanter in ſomnis fabulatione abſurda

abſurda & incongrua laboraſſe. In viris autem, aliiſque temperamenti calidioris, a materia morbifica, vice criſeos, in cerebrum tranſlata furor, aut phreneſis periculoſa, ac ſæpe lethalis ſuccedebat. Sin neque ſtupor, neque diſtractio immanior ingruebat, ſcotomiæ, motus convulſivi, cum membrorum ſpaſmis ac tendinum ſubſultibus gravius infeſtabant. In quibuſvis fere ægrotantibus alvus ut plurimum ſoluta erat, modo flava, modo tenuia & ſeroſa cum inſigni fœtore copioſe dejiciens: raro erat quod vomitio quempiam inceſſeret: urina in toto morbi proceſſu (niſi cum materies morbifica uberius in cerebrum correpta, phrenitidem minaretur) fuit intenſe rubicunda, ita ut nonnulli propter ſaturatum lotii colorem, hanc febrem plane ſcorbuticam fuiſſe cenſerent: Quod tamen ſecus habuiſſe conſtitit, quoniam remedia antiſcorbutica (quorum ſane plurima, & cujuſcunque fere generis tentabantur) parum aut nihil profuere. Maxime admirandum erat, quam cito ab hujus morbi inſultu ægrotantium carnes contabeſcerent, ipſique in ſceleti marcorem redigerentur, cum interea nec adfuit calor immanis, qui partes ſolidas ſenſim abſumeret, nec evacuatio quævis violenta, que illas affatim deteréret.

Præter hæc mala capitis regionem infeſtantia, affectio non minus periculoſa ſæpenumero thoracem inceſſit. quippe in aliquibus, licet non omnibus, tuſſis valde moleſta, cum ſputo copioſo, ac craſſo excitabatur: hæc in nonnullis circa morbi declinationem ſucceſſit, nempe dum cerebri confinia ſerenum obtinerent, quaſi nubibus illinc in thoracem dimiſſis, catarrhus ingens ſubito in pulmones depluebat Verum in aliquibus, præſertim qui in capite morbi noxam minorem luebant, ſtatim a febris initio, tuſſis immanis, & fœda expuitio, cum diatheſi velut tabida ingruebant, & ægrotanres ſubito ac improviſo in phthiſin præcipitabant: e qua tamen, tempeſtiva remediorum ope, ſæpe inſperato emergebant. Adverti in nonnullis, poſt diutinam facultatis ſenſitivæ eclipſin,

& cerebri, à materia morbifica oppreſſionem, quod demum in glandulis juxta cervicem tumores ſucceſſerint, è quibus ægre maturatis & diſruptis ichor tenuis & fœtidus longo tempore emanavit, & levamen contulit. Vidi etiam puſtulas aquoſas in aliis partibus corporis excitatas, quæ in ulcera cava, & ægre ſanabilia tranſiebant: interdum maculæ exiguæ, & petechiales ſparſim apparuerunt: non audivi tamen latiores aut lividas hujuſmodi ægrotis unquam conſpicuas fuiſſe. Utcunque licet hæc febris exanthematis plurimum malignis rarius inſigniebatur, haud tamen contagio vacabat. Quippe in eadem familia, pueros, & juniores ſucceſſive fere omnes invaſit, etiam non raro provectioris ætatis homines, qui ægrotantibus miniſtrando, circa eorum cubilia & ſtragula familiarius verſabantur, eadem lue inficiebantur: at vero haud tanta ſuſpitionis cauſa erat, ut propter ea ægrotantium amici ab eorum commercio aut viſitatione omnino interdicerentur.

Quanquam hujus morbi decurſus (niſi cum cerebrum intime obſideretur) tantummodo mitis apparebat, ac ſine horrendo quovis ſymptomate peragebatur; tamen curatio ejus ſemper difficilis non niſi longo tempore ſucceſſit: Etenim laborantes raro intra tres aut quatuor hebdomodas, immo ut plurimum vix intra totidem menſes convaleſcebant. Quod ſi in homines præfractæ ætatis, aut virium, hic morbus inciderit, præſertim qui affectibus cephalicis, uti Lethargo, Appoplexiæ, aut ſpaſmo erant prius obnoxii, eos ſæpenumero breviori ſpatio interſecit: ſin vero convaleſcentiæ ſpes ulla ſuberat, iſta tarde admodum promoveri potuit (remediis quibuſvis vix levamen ſenſibile conferentibus) ut ægrotantes non citius extra febris hujuſce ſphæram evaderent, quam intra tabis confinia ſiſterentur.

*Eorum Ætiologia.* Si prædictæ ægritudinis ratio formalis, & cauſæ inquirantur; facile hic conſtat, liquorem cerebri & nervoſi generis irriguum, fere ſimul, atque ſanguinem in culpa, & ſymptomatum præcipue urgentium, cauſam immediatam fuiſſe: nempe in quantum

quantum iſte latex, ſtatim a primo morbi inſultu ſolito pauperior, & quaſi effœtus evaſerat, propterea in toto corpore languor & enervatio, cum laſſitudine ſpontanea, ac impotentia ad motum, cumque ſubita corporis intabeſcentia ægrotantibus accidebant. Porro quatenus idem liquor particulis heterogeneis, ſc. partim narcoticis, partim exploſivis referciretur, idcirco ſtupor, formicationis ſenſus, tendinum & muſculorum ſubſultus, & contracturæ, nec non vertigo, ſcotomia, aliæque affectiones cephalicæ graviores ſuboriebantur: Porro aliquatenus ob ſucci nervoſi labem, non cito aut facile emendandam, morbi ſolutio aut ſanatio tam ardua ac diuturna extitit. At vero ſiquidem laticis hujuſce vitium a ſanguinis dyſcraſia, etiam à cerebri conſtitutione prava, neceſſario dependet; quales eorum diatheſes morbidæ fuerint, & quo ritu febris modo deſcriptæ ſymptomatis ortum, vel fomitem præbuerint, jam proxime videamus.

Quoad prius, videtur, quod hac tempeſtate propter anni conſtitutionem calidam, & humidam, ac à Borea ( cujus nimirum corpuſcula, ſanguinem, & ſuccos corporis noſtri, conditura velut nitroſa imbuunt, eoſque exagitando contra putredinem muniunt ) minime perflatam, ſanguis in pleriſque hominibus, ac præſertim in pueris, adoleſcentibus, & fæminis, inſtar aquæ ſtagnantis, proindeque ſitum contrahentis, valde impurus, particulis heterogeneis refertus, atque ad lentorem & aquoſitatem vergens evaſerat; in quo ſc. ſpiritu, ac ſulphure puriori aliquantum depreſſis, particulæ aquoſæ cum ſale & ſulphure impuro ſimul evectis, nimis exaltarentur. Quamobrem ſanguis tum propter craſin ejus vitiatam, tum ob particulas heterogeneas in ſinu ejus uberius congeſtas, efferveſcentiæ febrili aut ſua ſponte, aut occaſionaliter, aut propter contagium ſuſcipiendæ habilior factus eſt, proinde ut plurimi hoc tempore febricitarent. Attamen ſanguis, à miaſmate febrili ſuſcepto efferveſcens, non ſtatim cum aperto incendio, ſed tanquam ligna viridia

foco impoſita, cum flamma velut ſuppreſſa, ac fumo plurimum obvoluta exardeſcebat. Quapropter materies morbifica, intra maſſam ejus aggeſta,non (uti in febre regulari)deflagrando abſumi,ejuſque reliquiæ ſtato tempore per criſin exterminari ſolebant: ſed tamen mox a febris initio,iſtius materiæ portio ingens, in caput vel thoracem,vel ſimul in utrumque ſuffuſa, & poſtea iiſdem partibus continuo ſuppeditata, aut predictas cerebri, & nervoſi generis affectiones,aut tuſſim cum diſpoſitione tabida, vel ſimul utraſque inducebat: atque ob hanc rationem circa initia hujus morbi, cum pulſus debito celerior, & urina rubicunda, & contentis ſaturata, ſanguinem ab intemperie febrili effervescere indicabant, ægrotantes de calore, aut ſiti minime conqueſti ſunt; quia nimirum ſanguis efferreſcens impuritates & recrementa ſua illico in liquoris nervoſi penum, aut in pulmones deponebat; quare intra hæc receptacula ſymptomata pejora ſtatim acciebantur; poſtea tamen, morbo in ſtatum evecto, calor nonnihil acris cum linguæ ſcabritie in aliquibus ſatis moleſtus eſſe ſolebat: quinimo in omnibus febris lenta, & velut hectica perdurabat, quæ nec ſudore, nec tranſpiratione inſenſili ita in totum amoveri potuit, quin illa quotidie, præſertim a paſtu, licet tenuiſſimo, redintegraretur: quod equidem ita contigiſſe videtur, quia ſuccus nervoſus fæculentiis a ſanguine depoſitis ſatur, eas poſtea haud in copia tam uberi excipiebat, quin recrementa iſtæc una cum humore nutritio (ſiquidem & hic particulis ſolidis alendis minime abſumeretur) intra maſſam ſanguineam reſtantia,ipſam uſque febriliter effervescere fecerunt.

2. Præter hanc ſanguinis diatheſin morbidam ab anni intemperie contractam, videtur & cerebrum ab eadem προφάσει in pathemata prædicta proclive factum. Cum enim longo temporis tractu venti auſtrini, cum humidiori aeris conſtitutione, jugiter ſpirarent; proinde cerebri meatus & pori plurimum laxati & aperti, ejuſque compages nimis diſſoluta, humoribus ſeroſis, & par-

ticulis

ticulis quibuſvis heterogeneis aditum facilius præbebant: quare ſanguis valde fæculentus & aquoſus, quamprimum a febre efferveſceret, recrementa ſeroſa, & ſordes ſuas ſtatim intra τῦ ἐγκεφάλυ fores nimis patentes ingerebat: enimvero quotuſquiſque eſt, qui non humido cælo de capite nimis oppleto, & ſpirituum torpore queritur quia ſc. excrementitii humores in cerebrum a taſi occaſione laxatum irruunt: e contra hujus poris a frigore intenſo, aut ſicciori aere conſtrictis, ſenſus & facultates omnes vegeti magis & expediti perſtant.

His ita de cerebri & humorum, nempe ſanguinis & humoris nervoſi apparatu, propter anni conſtitutionem morbido, præmiſſis, quo quidem plurimi tunc temporis in febrem lentam, inæqualem, diuturnam, ſymptomatis cephalicis & convulſivis ſtiparam, nec non ægre ſolubilem inciderint: hinc etiam facile erit reliquorum ſymptomatum & accidentium in iſto morbo præcipue notabilium rationes extricare.

Primo etenim, quod hæc febris anomala in pueros, adoleſcentes, fæminas, & viros phlegmaticos potiſſimum deſæviebat, in cauſa erat, quoniam in iſtiuſmodi corporibus, & ſanguis aquoſior, minus perſpirabilis, proindeque colluviem ſeroſam, & fæculentias heterogeneas congerere aptus eſt; quin & cerebrum humidius, debiliuſque exiſtens, ſanguinis recrementa quævis facile ſuſcipit. Quapropter obſervare licet, ejuſmodi perſonas in convulſiones, propter alias προφάσεις oriundas, magis proclives reperiri. *Cur morbus hic pueros, fæminas & viros phlegmaticos potiſſimum invaſit.*

Secundo, inſignis attrophia tam cito huic febri ſupervenit, quoniam ob ſucci nervoſi depravationem nutricatus munia ab eo pendentia (quæ, prout alibi oſtendimus, ſunt maxime activa) protinus defecerunt. Quamvis enim mininime concedimus, humorem nervoſum ſolummodo nutritium eſſe, ſed materiam partibus alendis diſtinatam, in maſſa ſanguinea præparatam, per arterias diſpenſari; attamen arbitrari fas ſit, liquorem cerebri, & nervoſi generis irriguum, ſub ratione cauſæ efficientis *Atrophia huic febri ſupervenientis ratio.*

cientis

cientis, alimentationi plurimum conducere; hic enim ſpiritu animali turgeſcens, ſuccum nutritium cuilibet parti a ſanguine allatum actuat, & vigorat, eumque in corporis alendi meatus ac intimos receſſus admittens, & velut intro manuducens, aſſimilat. Quare cum hic liquor œconomus adeo depravatur, ut ſpiritus animales, circa nutritionis opus requiſitos, haud rite ſuppeditet, membra quælibet ac partes, veluti ſtomachus in tono ſuo vitiatus, nutrimentum quodvis oblatum vel reſpuunt, vel proprium in uſum recipere nequeunt: propterea quidem in hoc morbo, moles, ſive habitus corporis utut plenior, aut obeſus, plus ac citius deterebatur, quam in febre cauſode, ubi à calore intenſo, aut ſudoribus copioſis, longe plus evaporat. Cujus ratio eſt, quoniam in febre ardenti, licet ſanguis valde efferveſcens copioſius exhalat, interea tamen aliquid nutrimenti jugiter apponit, quod ſingulæ partes, liquoris nervoſi beneficio adjutæ, facile excipiunt, & aſſimilant; verum in iſta lue νευρώδει, quanquam materia nutritiva ſatis appararetur, tamen ſpirituum θρεψιποιητικῶν defectu, nutritio prorſus inhibebatur.

*Cur febris hæc ægre ſolubilis.*

3. Ob prædictas rationes, etiam febris iſta diutiſſime protracta, vix unquam critice judicari. ac difficulter admodum medicamentorum ope curari ſolebat: materies enim febrilis ſtatim à morbi initio in liquorem nervoſum irrepens, ab ejus ſinu ægre poſtea, & non niſi longo tempore exterminari potuit: quippe hic latex motu ſegni, inque vaſis obſtrictis lente ſcaturiens, non uti ſanguis efferveſcentiam depurativam, ſive fermentationem ſponte concipit, neque medicamentorum vires ad eum facile ac illibatæ pertingunt: ſed aut aliis partibus prius impenduntur, aut ſiquidem heterogenea ſunt, à cerebro incongruum quodvis reſpuente, prorſus excluduntur. Equidem ob hanc rationem, quævis cerebri, & nervorum affectiones, medicinæ velut opprobrium facientes, difficillime ſanantur. Itaque in hac febre; ſi quando labes cerebro & nervoſo generi impreſſa tolleretur

vel

vel tuſſis immanis cum ſputo copioſo, vel tumores, & abſceſſus in collo ſuccedebant: ſc. materia morbifica, à ſanguine reſorpta, & rurſus depoſita, vel in thoracem, vel in glandulas, & emunctoria juxta cervicem conſita. Cæterum hic morbus contumacior extitit, quoniam & ſanguinis dyſcraſia non facile emendaretur: nam licet ab initio latex ejus recrementis uſque in liquorem nervoſum ſuffuſis, minus ac inertius effervreſceret; poſtea tamen receptaculis hiſce oppletis, & fæculentiæ morbificæ, ac inſuper materies nutritia partibus ſolidis alendis minime impenſa, uſque in cruore reſides, ipſum aggravabant, eique propter moleſti hujus non miſcibilis excluſionem, effervreſcentiam, non ſecus ac in febre hectica aſſolet, aut fere continuam, aut ſubinde repetere aptam inducebant. Enimvero ſæpius obſervavi, in hac febre, à juſculis avenaceis, decocto hordei, alioque victu tenuiori, non minus ebullitionis in ſanguine concitari, quam à jure carnium conſummato: nempe utrobique ſuccus nutritius, è chylo in ſanguinem ſuppeditatus, ſiquidem in nutritionis opus non impendebatur, velut quoddam heterogeneam, & non rite miſcibile ſanguini moleſtiam inferebat; atque ob hujus ſucci ſuperflui particulas cum ſero copioſe amandatas, urina valde craſſa, rubicunda, & contentis plurimum ſaturata exiſtebat: Etiam ob hanc rationem alvus plerunque ſoluta fuit, in quantum ſanguis ſucco nutritio ſatur, minorem chyli portionem è viſceribus exugebat, atque iſtius, quod ipſi inferebatur, partem inteſtinis reinfundebat, intemperies inſuper febrilis tamdiu cruori inherebat, quia donec regimine animali reſtituto, nutritio rite perageretur, materies iſta ſuperflua in maſſa ſanguinea congerebatur.

I. *Obſervatio*

Febris prædictæ typum, ejuſque Ætiologiam ideo fuſius tradidimus, quoniam idem morbus apud noſtrates etiam aliis temporibus ſporadiceincrebuit: eo quippe nuper in hac urbe cujuſdam famliæ juniores ſucceſſive omnes ægrotabant: quin & olim memini plures à tali febre laboraſſe. E variis, quæ

proſtant

proſtant ab ea, quando epidemica fuit, ægrotantium hiſtoriis & exemplis, libet hic unum aut alterum proponere.

1. *Obſervatio.* Juvenis robuſtus & floridus ſub initium veris Anni 1661. ſine cauſa evidenti ægrotans, abſque calore aut ſiti intenſis, cito debilis & quaſi enervis, cum appetitu dejecto, & ſpirituum languore evaſit. Remedia cathartica, antipyretica, digeſtiva, quin & antiſcorbutica, aliaque varii generis, ex medicorum celebrium præſcriptis, adhibita, nequicquam profuere: attamen æger uſque languidus, cum febre lenta & vaga, pulſu celeri & debili, urina intenſe rubicunda, per ſeſquimenſem decubuit: inſuper ad ſummum marcorem redactus de vertigine, aurium tinnitu, & ſonitus in capite velut fluctuatione conqueſtus eſt: Licet magno ſtupore afficeretur, tamen ſomni erant valde perturbati, ac interrupti, cum fabulatione delira. Poſt 40. dies, cum febris nondum declinabat, viſum erat, ſanguinis circiter ℥ iiij. vel v. e venis ſedalibus hirudinum ſuctu detrahere; hinc ſtatim febris plurimum exacerbari cœpit nam calor magis intenſus, cum ſiti, vigiliis, & corporis jactatione fere continua, etiam lingua exicca & ſcabra evaſit; dein brevi, tuſſis moleſta, cum ſputo copioſo & decolori, ſucceſſit: Huic amygdalata & hordeata, cum bechicis temperatis incoctis, aqua e lacte, cum limacibus, & herbis thoracicis deſtillata, pulveres teſtacei, nitrum præparatum, inſuper opiatæ cardiacæ ſedulo exhibebantur; quibus tamen vix ullum juvamen conferentibus, æger uſque debilior factus erat: Cumque hoc ritu, ſupra bimeſtre ſpatium ægrotans, febrili intemperie, & tuſſi etiam indies in pejus euntibus, obitui approximari videretur, tandem diaphoreſi ſponte oborta, noctibus modo ſingulis, modo alternis ſudore copioſo perfundebatur, & exinde paulatim ſemelius habens, prædictis remediis deinceps uſus, intra 6. hebdomadas integre convaluit.

Morbum hunc, donec plures eodem ritu ægrotaſſe cernerem, omnino febrem hecticam, cum tabida

tabida pulmonum diatheſi, ſuſpicatus fueram ; attamen cum multi alii tunc temporis ſimili modo paſſim decumberent, hujuſce febris Ætiologiam, qualis ſupra deſcribiturfacile inſtituebam: nempe quod ſanguis, propter anni intemperiem, & forſan errata in victu, procatarxin vitioſam contraxerat: dein iſte febriliter effervеſcens, atque impuritates ſuas ſtatim cerebro ingerens, ejuſque adeo, & nervoſi generis ſuccum irriguum depravans, affectus vertiginoſos, cum ſtupore, ſpirituum languore, & totius corporis attrophia inducebat: quamdiu autem ſanguis recrementa ſua e proprio ſinu in cerebrum, ac appendicem nervoſam transferebat, effervеſcentia febrilis blandius ac mitius peragebatur: Poſtea tamen, quando hæmorrhoidum apertio materiæ morbificæ ῥοπὴν a cerebro avocarat, eadem primo intra maſſam ſanguineam retenta febrem auxit; dein pulmonibus ſuffuſa, tuſſim immanem cum ſputo copioſo excitavit: quatenus autem pulmonum caro uſque a putredine immunis perſtitit, quamprimum colluvies ſeroſa per uberiorem diaphoreſin foras amandaretur, ægrotans a tum febre, tum a phthiſi deplorata viſa, incolumis evaſit. *Ejus Ætiologia.*

Interea dum iſte decubuit, alium 12 circiter annos natum pari modo affectum inviſi. Hic autem cum primo accerſeret, ſupra menſem ægrotans in ſceleti marcorem redigebatur: porro vertigine, cum aurium tinnitu, & ſurditate, ac inſuper tuſſi violenta, cum ſputo flavo, ac velut tabido afficiebatur: fuit pulſus celer, & debilis, urina rubicunda, & craſſa, appetitus plurimum dejectus, ſpiritus ita languidi, ac vires proſtratæ, ut lecto abſtinere nequiret. Huic aquam e lacte cum limacibus & herbis temperatis deſtillatam ſæpius in die propinavi: inſuper decoctum aperitivum, quale in rachitide uſitatum eſt, vice potus ordinarii quotidie aſſumendum præcepi. Cujuſmodi remediorum ope intra menſis ſpatium ſanitati reſtituebatur. Hoc tempore ad plures alios cujuſque atatis, & ſexus homines, eodem morbo tunc plane epidemico affectos, vocabar: nam iſte *2. Obſervatio.*

per

per totas familias graſſatus, non tantum in hac urbe, ejuſque vicinia,ſed in regionibus longe diſſitis, prout à medicis aliorum locorum incolis, audivi, increbuit. Plerique ab hac febre laborantes, modo alioqui eſſent ſani, idoneo circa medicinam & diætam regimine uſi,convaleſcebant:Illis ſæpenumero male ceſſit, qui aut ſenio fracti, aut invaletudinaria cerebri & nervoſi generis conſtitutione præditi fuerunt; cæterum non raro ægrotantium caſus aleæ ptriculoſæ ſubjiciebantur; quia Medici non ſtatim à morbi initio, quinimo vix antequam hujus radices altiores jaciebantur, ipſaque medendi occaſio præterierat, accerſi ſolebant.

3. *Obſervatio.* Propterea namque hæc febris in viri cujuſdam prænobilis familia, inter natos ejus, affectionibus cephalicis originaliter obnoxios, admodum funeſta evaſit. Circa æquinoctium vernale, puer in ætate circiter undecim annorum ægrotare cœpit: Imprimis abſque calore, aut ſiti intenſis, appetitus dejectio & viriumlanguor acceſſerant: Inſuper, vertigo fere continua moleſtabat, cum crebro lipothymias metu, ut ſæpius animi deliquium inſtare putaverit. Huic ex mulieris cujuſdam miniſtrantis conſilio clyſteres quotidie injiciebantur: dein cum ex linguæ, oriſque ſpurcitie, febris ſigna manifeſta apparerent,Empirica iſta,die quintovomitorium ex infuſione croci metallorum propinabat, atque die ſeptimo pulvere cardiaco exhibito, ægrotum ſtragulis coopertum ad ſudandum incitabat: vix cutis madefieri cœperat,quin ſtatim hic delire loquutus, de pileo ſuo in aquas delapſo conqueſtus, mox ἄφωνος factus, intra quatuor horas,dummodo egomet accerſerer, ante adventum expirabat.

4. *Obſervatio.* Brevi poſthæc, ſororem ejus ætate minorem, idem morbus inceſſit: cujus tamen ægritudo, quoniam tuſſi crebra, & humida ſtipata fuerat, primo tantum frigoris ſuſceptio putabatur; verum intra paucos dies, iſta tuſſis plane convulſiva evaſit: adeo ut inter tuſſiendum, diaphragmate ſurſum elato,& cum ſyſtole repetita ita aliquandiu

retento,

retento, ſtridor ingens, & velut ſuffocativus ederetur: dein puellula hæc apertius febricitans, ac de ſiti & calore conqueſta, noctes inſomnes cum inſigni corporis agitatione ducebat, atque propediem delire loquuta, uti prius frater ejus, de veſte ſua in aquas delapſa querebatur; cumque omnia in pejus ruerint, motibus convulſivis, primo in artubus, mox in facie, & ſubinde in toto corpore tentari cœpit: paroxyſmi crebra vice, nempe bis, aut ter intra horam repetentes, graviſſime urgebant, adeo ut miſella hæc, intra nycthemeri ſpatium, à quo affectiones ſpaſmodicæ graviores exortæ fuerint, ſpirituum animalium tenore penitus labefacto, fatum obierit. Dum paroxyſmi convulſivi urgerent, pulſus erat plurimum inordinatus, ac ſæpe intermittens, etiam vomitione crebra afficiebatur. Ad hanc inviſendam, etiam ſero nimis, ſc. paulo ante obitum, accerſitus, cum nihil vitæ prorogandæ contribuere potuiſſem, quantum licebat ex morte ejus, in prædicti morbi diagnoſin inquirere ſatagebam, proinde cadaveris diſſecandi venia impetrata, ſymptomatum in hac ſebre præcipue urgentium rationes & veſtigia clarius patebant.

*Morbi diagnoſis a diſſecto cadavere inveſtigata.*

Itaque ventrem inferiorem primo aperiens, viſcera omnia in eo contenta ſatis ſana & ſarta tecta inveni: Ventriculus, licet inani vomitione crebro laceſſitus, nihil præter liquorem nuper ore ingeſtum continebat: etenim neque in ipſo, nec in appendice ejus lumbrici, aut acres humores (qui ſæpe ejuſmodi convulſionum cauſæ perhiberi ſolent) reperiebantur: inteſtina tenuia pluribus in locis mutuo involvebantur: nempe partis unius ſuperficies convexa, in alterius concavam, tanquam in vaginam fuit intruſa, & alte recondita quod quidem a viſcerum iſtorum motibus convulſivis omnino contigiſſe arbitror; dum enim ob ſpaſmum vehementem ab origine nervoſa excitatum, fibræ oppoſitæ ſimul convulſæ, idem inteſtinum una in motus contrarios agerent, facile eveniat, ut inteſtini ilei pars una ſurſum lata, alterius deorſum raptæ, cavitatem incurreret.

Thorace

Thorace aperto, pulmonum caro valde rubicunda, & velut cruore ſuffuſa, immo in quibuſdam locis quaſi livida,& fere nigra apparebat: ex eadem ubivis diſciſſa ichor tenuis & ſpumoſus exudabat. Certe hoc indicio conſtitit, materiam febrilem, ſive ſeroſas ſanguinis efferveſcentis impuritates illico pulmonibus impactas,eorum poros & meatus adeo inferciviſſe, ut ipſe ſanguis, ſolito, & liberiori ejus circuitu præcluſo, ibidem ſtagnans, & extravaſatus, inflammationem quandam excitarit.

Nec minus clara morbi hujus adeo funeſti veſtigia in capite deteximus: nam calvariæ olla amota, ſtatim vaſa meningas perreptantia, ſanguine plurimum turgeſcere conſpiciebantur, quaſi fere tota cruoris maſſa, in capite aggereretur: venis enim circa viſcera imi ac medii ventris ſectis aut diſruptis, parum ſanguinis effluxit: porro membranæ iſtæ, ubi cerebellum inveſtiunt, atque altius inſtratæ ipſum a cerebro dirimunt, ſanguine pluribus in locis extravaſato ſuffuſæ, colore atro-purpureo inſigniebantur; ut minime dubitandum eſſet, quin phlogoſis, ſive inflamatio illic circumcirca excitata, convulſionum adeo atrociter infeſtantium cauſa fuerit. Integumentis hiſce ablatis, cerebri ſubſtantia prorſus madida, & humore aquoſo ſupra modum irrigata videbatur: quinimo ejus cortice exempto, ventriculi omnes aqua limpida erant repleti, cujuſmodi pellucidi liquoris pluſquam libræ ſemiſſem eximere licuit.

*Prædicta febris pathologia.*

Ex his phænomenis prædictæ febris pathologia facile colligitur: Nempe in hac ægrotante, ſicut etiam in pleriſque aliis, ſanguis febriliter efferveſcens, ſtatim recrementa ſua tum in pulmones, tum in cerebrum deponebat; quare ſeroſa colluvies utriuſque compagem illico inundabat; dein proptcrea ſanguis, & hic & illic a debita circulatione præpeditus, circa partium affectarum confinia plurimum coacervari, demum ſtagnare, & quaſi phlogoſin inferre cœpit: hinc ob ſerum in pulmonibus copioſe aggeſtum, & calore aſſatum,

tuſſis

tuſſis moleſta, cum ſputo craſſo & decolori, plerunque iſti morbo ſupervenit; atque ob ſimilem affectionem intra ἐγκέφαλον excitatam, vertigo, ſcotomia, ſtupor, aliave pathemata cephalica, laborantes fere conſtanter inceſſebant: Cujuſmodi affectus in hac puellula ac in fratre ejus, propter cerebri conſtitutionem in utroque prius invaletudinariam, graviores facti, in apoplexiam terminabantur. In promptu hic eſſet plures alias ab hac febre tunc temporis ægrotantium hiſtorias proponere; verum ex his modo citatis morbi prædicti typus ſatis innoteſcat: Quoniam vero eadem febris quoſdam prædiſpoſitos fere quotannis inceſſit, & propter malam anni conſtitutionem forſan aliquando poſthæc epidemica evadet, ex re fore videtur, circa curationem ejus methodum quandam adumbrare.

*Methodus therapeutica,*

De qua imprimis annotetur, in hac febre dies criticos, prout in ſynocho vulgari, nequaquam obſervandos eſſe: etenim ſanguis, quamprimum efferveſcere incipit, materiæ morbificæ partem adhuc crudam, ac minime ſubactam, e complexu ſuo ſtatim capiti aut thoraci ſuffundit: Quapropter incaſſum eſſet expectare, ut ſanguis particulas heterogeneas in maſſa ſua ad plenitudinem congeri ſinat; dein ut efflorescentia ſtatis temporum intervallis oborta, eaſdem ſubtiliatas foras excernat: Quinimo iſte efferveſcens, haud magno, & aperto incendio gliſcit: verum inſtar ignis ceſpitibus cooperti, fumum ſive halitum madidum, potius quam flammam emittit: ita tamen ut exinde propter ſuccum nervoſum ſtatim in craſi depravatum, & non raro ob pulmones materia tabifica infarctos, ſymptomata aut convulſiva aut phthiſica in toto morbi decurſu præcipue urgerent.

*Initio morbi ſanguis mittendus.*

Intentiones curativas juxta varia morbi tempora & ſymptomatum præcipue urgentium diverſitates deſignare oportebit. Circa febris hujus initium, ſanguinis miſſio fere omnibus convenire videbatur: Hoc remedii genus ſæpe parvulis cum fructu expertus ſum: Quippe hoc modo, cruoris

maſſæ

maſſæ tacite ac cooperte effervefcenti, fuliginefque ſuas in partes nobiliores obtrudenti, ſpiraculum quaſi aliud aperitur, proindeque efflorefcentiæ ejus impuræ a cerebro & pulmonibus evocantur: quanquam igitur hæc febris mali moris aliquatenus maligna audiat, attamen in quantum ſanguis haud ſtatim coagulari, ſed fundi nimis, & ſeroſitates ſuas in partes nobiliores, nempe cerebrum & pulmones ſuggerere aptus fuerit, idcirco phlebotomia, modo in principio morbi celebretur, fere nulli non convenit.

Propter eandem juvaminis rationem, medicamenta cathartica, ac imprimis vomitoria, ſtatim a morbi principio adhibentur; hæc enim non modo coctionis viſcera evacuant, adeoque & morbi fomitem primum, & quaſi originalem ſubducunt, verum inſuper a ſanguine ſeroſitates emulgent, adeoque purgamenta ejus potius in ſtomachum & inteſtina, quam in caput aut pulmones ſuggeri faciunt. Porro ab emeticis, in quantum glandulæ lymphæductuum exceptrices, cum ſucuſſione magna vellicantur, ſucci nervoſi ſuperfluitates, ne cerebrum, ejuſque appendicem male afficiant, in viſcera inferiora exprimuntur: etiam in hunc finem, crebro enematum uſu, alvus continuo ſoluta teneatur. Interea tamen dum ſanguis hujus morbi labe inquinatus, cerebro, aut præcordiis malum minatur, haud tutum erit, aut diaphoreticis, aut diureticis, aut etiam catharticis fortioribus quidpiam moliri: hujuſmodi enim pharmaca, quatenus ſanguinem valde fundunt, & ſeroſitates ejus in exitus aperriores adigunt, recrementa quævis a cruoris maſſa abſcedere apta, cerebro, aut pulmonibus, ſi quando debilioris ſint conſtitutionis, facile obtrudunt: Ita in juvene ſupra citato, ſudore intempeſtive citato ἀφωνία ſupervenit: Novi etiam in morbida pulmonum diatheſi ſudorifica, non ſecus ac chalybeata, tabem intuliſſe.

*Emetica & cathartica exhibenda.*

Itaque phlebotomia, & ſi opus fuerit, vomitione, aut catharſi, ſc. altera, aut utraque mox ab initio morbi celebratis, cæteræ intentiones erunt,

runt, ſanguinis ſeroſitates morbificas, in caput & thoracem exundare aptas, avocare, perque alias evacuationum vias leniter derivare, & foras excernere. In hunc finem veſicatoria circa nucham aut parotidas, juxta alas, aut inguina, circa femora, aut ſuras, ſc. modo in hac parte, modo in iſta applicare debent; nimirum ut ulcuſcula hic illic excitata, & continuo manantia, ſerum particulis heterogeneis & morbidis imbutum copioſe profundant. *Veſicatoria.*

Cæterum remedia ſerum in renes & vias urinarias blande ducentia, ſæpiſſime cum fructu adhibentur: In hanc rem Apozemata, & Julapia diuretica juxta formulas ſequentes inſtituantur. *Diuretica.*

℞. *Radicum ſcorzoneræ, cherefolii, graminis, eryngii condit. an.* ℥ vj. *pomum* j. *inciſum, folior. pimpinellæ, Ulmariæ. an.* M. j. *paſſular.* ℥ j. ß. *C. Cervi uſti* ʒ ij. *inciſ. & contuſ. coquantur igne claro in aq. fontana* ℔ iiij. *ad tertiæ partis conſumptionem, colaturæ claræ* ℔ ij. *adde ſyrupi acetoſitatis citri, aut violar.* ℥ ij. *ſalis prunellæ* ʒ j. ß. *f. Apozema. Doſis* ℥ iiij: *ad* vj. *ter in die.* *Apozema diureticum.*

Vel colatura iſta ſuperaffundatur amygdalar. dulcium excorticatar. no. 15. & 4. ſem. frigid. an ʒ j. contuſis. ſ. a. fiat Emulſio. *Emulſio.*

℞. *Aq. Dracontii, ceraſor. nigror. an.* ℥ iiij. *ſcordii compoſiti* ℥ ij. *Theriacalis* ℥ j. ß. *ſyr. Caryophyllor.* ℥ ij. *ſp. vitrioli* gut. xij. *f. Julapium.* *Julapium.*

Sal prunellæ ſæpius in die ad ʒ ß. vel ℈ ij. propinetur in cerevìſia tenui, vel ſero lactis. *Pulvis.*

Porro in hac febre medicamenta blande diaphoretica, ejuſmodi imprimis, quæ ſpiritus animàles reſtaurant, eoſque copula quavis heterogenea vindicant, egregii ſunt uſus: quare aut margaritarum pulvis, aut ſpiritus C. Cervi, vel ſanguinis in modica doſi bis in die, ſc. mane & veſperi, exhibeantur. *Blande diaphoretica.*

Enemata quolibet fere die injiciantur, & ſi opportunum videatur, pharmaca leniter ſolutiva, ſemel aut bis in ſeptimana repetatur. *Enemeta.*

Victus non niſi tenuis, qualis nimirum in aliis febribus aſſolet, inſtituatur, carne, aut brodio ejus penitus interdictis, ſolum juſculis avenaceis *Victus.*

aut

aut hordeaceis æger veſcatur, potus ſit cereviſiæ tenuis aut ſeri lacti's.

Quod ſi non obſtante προφυλάξει quavis medica, materies morbifica cerebrum, aut pulmones, vel ſimul utrumque occuparit, ita ut functionis animalis deliquium & inordinatio, aut etiam tuſſis violenta ingruerint; conſiderare oportebit, quid in utrolibet morbi ſtatu, in conditionem malam ad hunc modum evecto, agendum fuerit, tunc autem indicationes curativæ reſpicere debent ſtuporem, aut inſaniam, aut tuſſim: atque demum ſi morbo in declinatione poſito, hæc ſymptomata remittent, contra Atrophiam, velut ultimum hujus febris popugnaculum, remedia appropriata adhibeantur.

*Methodus therapeutica in ſtupore & inſania.*

1. Itaque ſi materia morbifica, uti crebro aſſolet, cerebro illata, ſtuporem aut affectus ſoporoſos intulerit, remedia ipſam alio deducentia, & quoquomodo a capite derivantia, inſuper quæ ſpiritus animales exuſcitant, & copulam impuram exuunt, ſedulo adminiſtrari debent. Quare in hoc caſu exterius Epiſpaſticorum uſus plurimum augeatur, ſpiritus C.Cervi fere ſexta qualibet hora in doſi paulo majori exhibeatur, ſanguis adhuc amplius e venis Jugularibus ſalvatella, aut etiam ex venis ſedalibus hirudiuum ſuctu detrahatur. Si affectus minime remittit, capillitio deraſo, fotus emollientes capiti ſæpius applicentur: porro cucurbitæ, emplaſtra, & cataplaſmata plantis pedum admovenda, aliique adminiſtrationum modi, quales pro ſtupore curando vulgo indicantur, adhiberi debent: pariter, ſi malæ, aut nulli hujus febris criſi, phreneſis, aut mania ſupervenit, remedia in iſtis affectibus appropriata uſurpentur.

*In tuſſi.*

2. Sin vero, cum vel ſine hujuſmodi plaga capiti illata, etiam pulmones morbi noxam luunt, ita ut ægrotantes, necdum febre immunes, cum tuſſi moleſta, ſputo copioſo & craſſo non, raro item diſcolori, in tabem, ſive phthiſin incidiſſe videantur, medicamenta in hujuſmodi affectibus communiter indicata, ſatis conveniunt; quare deco-

cta

cta pectoralia, Eclegmata, ſyrupi, aquæ lactis & limacum deſtillatæ, aliaque hujus farinæ remedia diligenter uſurpari debent, quorum formulæ in caſibus ſupra deſcriptis reperiuntur.

Hactenus febrem continuam, maxima ex parte convulſivam, atque ex ſucci nervoſi non minus quam ſanguinis vitio oriundam deſcripſimus: Inſuper hic ſubeſt morbi, febris intermittentis typum referentis, atque in ſucco nervoſo potiſſimum radicati exemplum proponere; cujuſmodi affectus, ſiquidem oppido rari, atque ad pathologiam ſpaſmodicam rite pertinentis, natura ex ſequenti hiſtoria elucefcet.

Mulier lectiſſima, tenera admodum, atque cerebri & nervoſi generis conſtitutione imbecilliori prædita, proindeque affectibus ſpaſmodicis valde obnoxia, poſtquam utero conceperat, circa quartum gravidationis menſem, a frigore ſuſcepto paroxyſmis aſthmaticis, inſuper crebris ſpirituum deliquiis graviſſime affligebatur: Verum ab hujuſmodi pathematis remediorum ſale volatili præditorum uſu intra binas ſeptimanas convaluit; attamen deinceps poſt ſeſquimenſem affectio inſolita & plane admiranda hanc dominam inceſſit. *Obſervatio oppido rara.*

Quodam mane, poſt ſomnum ea nocte minus tranquillum evigilans, in toto corpore levem rigorem, tamquam urgente febris tertianæ paroxyſmo patitur: ſuccedunt crebræ oſcitationes & pandiculationes, cum frequenti vomendi nixu: dein urina, quæ modo fuit citrina cum hypoſtaſi laudabili, pallida & aquoſa evadit, & crebra vice, ſc. fere quovis horæ minuto excernitur: porro circa lumbos & hypochondria, aliiſque in locis dolores cum ſpaſmis levioribus huc illuc tranſcurrentes excitantur: Cujuſmodi ſymptomata plane ſpaſmodica, cum crebrourinæ limpidæ mictu a mane fere ad veſperam perſiſtunt; quotemporis ſpatio, lotii quantitas ingens, nempe triplex ad minus ſupra liquorem aſſumptum redditur; interim nec calor intenditur, nec ſitis urget, neque pulſus augetur: veſperi affectus prædicti ceſſant, atque urina rurſus citrina, ac modica evadit; toto inſuper nocte

ſomno

ſomno moderato fruitur; dein mane ſequenti juxta eandem horam redit paroxyſmus, ſimili prorſus ſymptomatum apparatu ſtipatus, & quotidie eandem omnino tragœdiam peragit.

*Ejus Ætiologia.*

Hanc Dominam, poſtquam per duodecim dies hoc ritu ægrotarat, inviſens, prædicti caſus hujuſmodi Ætiologiam inſtituo: Nempe quod morbus iſte in nervoſo genere potiſſimum radicatus, ab humoris partes nerveas irrigantis efferveſcentia & fluore dependeat: Enimvero ſuſpicari licet hunc laticem a ſanguine, propter catamenia ſuppreſſa degeneri facto, in cerebrum, & nervoſum genus diffuſum, plus debito acrem ac ſeroſum, proindeque partibus continentibus incongruum evadere: quare a ſomno nocturno ad plenitudinem aggeſtus, eas propter ſui expulſionem ubique in corrugationes, contractioneſque irritat: hinc in toto corpore rigores, pandiculationes, oſcitatio crebra & dolores vagi excitati; porro a partibus ſolidis hoc modo contractis & concuſſis non tantum liquor nervoſus, ſed etiam nutritius partibus ſolidis ubique appoſitus, necdum vero aſſimilatus excutiuntur: ac dein uterque latex receptaculis ſuis exterminatus, & per lymphæductus aut venas exceptus, maſſæ ſanguineæ redditur: e cujus ſinu, priuſquam ab eo tincturam lixivialem acquirat, per renes denuo ſecretus urinam limpidam & copioſam conſtituit: quod autem affectus iſti periodos adeo exactas obſervant, ratio eſt, quia latex nervoſus inæquali dimenſo ſuppeditatus, ſtato quotidie tempore ad turgeſcentiæ plenitudinem aſſurgit: propterea item urina ante & poſt paroxyſmum concocta & citrina apparet, quia tunc materia ejus tantum e ſanguinis ſero conſtat: poſtea durante acceſſione ſpaſμωδει humor limpidus a partibus nerveis & ſolidis excuſſus, & ſanguinem cito trajiciens, lotii quantitatem & colorem alterat. Huic gravidæ phlebotomiam ac inſuper pulverem e corallio, margaritis, ebore, aliiſque cardiacis compoſitum in liquore appropriato ter in die ſumendum præſcripſi; mane & veſperi cepit tincturæ antimonii (cujus affectum in nimio urinæ pro-

profluvio ſingularem aliquoties expertus ſum) gut. 12. Horum uſu intra breve tempus ſymptomata omnia remittebant.

## CAPUT IX.

### *De ſpaſmis univerſalibus, qui propter ſucci nervoſi diathesin ſcorbuticam excitari ſolent.*

HActenns de ſpaſmis univerſalibus per totum genus nervoſum diffuſis, qui febribus ſuperveniunt; ac ſpeciatim de convulſionibus, quæ in febre maligna hectica vulgo dicta, excitari ſolent. Reſtat adhuc(quod tertio erat propoſitum)oſtendere, quo ritu, & quibus de cauſis, ſpaſmi univerſales, abſque veneno,aut miaſmate febrili, propter ſucci nervoſi dyſcraſiam ſcorbuticam, aut alias vitioſam inducuntur. Enimvero liquor tum nervos, tum partes nerveas irrigans, interdum a craſi naturali ac idonea deſciſcens particulis heterogeneis & exploſivis in tantum refercitur, ut ſpiritus animales copulam incongruam, ſibimet ubivis accreſcentem, admittentes, in continuos velut crepitus,ſive exploſiones couvulſivas irritentur: cujuſmodi ſpirituum affectiones aut ſunt diviſæ, ſive diſcretæ, inter quas nulla communicatio aut dependentia intercedit, ſc. quando multæ partes corporis ſimul totidem ſpaſmis ſibi propriis afficiuntur, qui ſe invicem ſucceſſive non excipiunt, ſed in eodem muſculo aut membro ubi incipiunt, terminantur: quo ritu novi quoſdam ægrotantes, quibus muſculi & tendines ſimul omnes in toto corpore totidem diſtinctis convulſionibus perpetuo ſubſilirent. Vel ſecundo affectiones convulſivæ,quæ in toto genere nervoſo ſimul excitantur, ſunt continuæ, ſive connexæ, quæ perpetua quadam viciſſitudine inter ſe continuatæ invicem ſuccedunt: in quantum membrorum fere omnium motus inordinati ſeſe mutuo excipientes, ab una parte exorſi, mox in alias

*Spaſmi univerſales propter ſucci nervoſi diathesin ſcorbuticam*

*Horum dua ſpecies, ſc. diſcreta & connexa.*

F tranſeunt.

tranſeunt. Ita nimirum Horſtius refert puellam motibus convulſivis obnoxiam, cujus non tantum membra, & artus in diverſimodas flexiones; ac diſtortiones urgebantur, verum inſuper illa, tanquam malo ſpiritu agitata, eodem loco ſtare impotens, in hypocauſto hîc inde diſcurrere, & ſaltare uſque neceſſe habuit; neque ulla vi, aut increpatione detineri potuit, quo minus hinc inde curſitaret; ſe modo in pedes conjiceret, modo alias ſe impetuoſe jactitaret; nam ſi vel paululum tantum ſubſiſtere conaretur, ſtatim præcordia graviſſime affligebantur. Quare præſentis inſtituti res eſt in utriuſque affectionis convulſivæ, nempe tum illius quæ per tendinum & muſculorum unâ plurium ſubſultus, tum hujus, quæ per membrorum, aut totius corporis œſtra & inquietudines peragitur naturam, & cauſas paulo exactius inquirere: exinde ut conſtet qualis medendi methodus in utroque caſu adhiberi debeat.

*Affectionis convulſionis intercisæ natura.*

1. Quod itaque ſpectat ad ſpeciem priorem, facile occurrit ejuſmodi affectus non ſimplices, ſed complicatos eſſe, nimirum ex ſpaſmo & paralyſi: Nam licet muſculi, & tendines motibus convulſivis perpetuo urgentur, tamen ægrotantes enerves facti, membra quævis, aut totum corpus ſtrenue movere nequeunt: quinimo his pathematis, dolores per ſingulos artus æque diffuſi adjunguntur. Hinc inferre liceat, ſpiritus animales copula multiplici, ſc. particulis tum exploſivis tum narcoticis, tum etiam aliquatenus irritativis imbui: adeo ut quamvis ſemper onuſti, exploſiones ineunt, tamen nec plures ſimul, ob particulas alias alius generis interjectas, nec quidem ulli expedite ac vegete explodantur; quare impetus motivus haud longe pergit, ſed brevis uſque & interuptus exiſtit: Res fere ſimili modo habet, ac cum pulvis nitratus humore limoſo ſubactus ignitur: quippe non tota ſimul maſſa cum fragore eliditur, nec unu acervus illico alium accendit, ſed pauca tantum grana, eaque ſucceſſive, ſc. alia aliquandiu poſt alia, cum exiguis crepitibus exploduntur: pariter & liquor nervoſus, particulis ſpaſmodicis quæ

ſpiritibus

ſpiritibus uſque accreſcunt, per totum refercitur: in quantum vero quædam narcoticæ, aliæque dolorificæ illis admiſcentur priorum vis elaſtica, utut perennis, & valde diffuſa, tamen multum refringitur, ac ubique interciditur.

Pro illuſtranda hujuſmod affectione σπασμώδει intercisa, libet hic generoſi cujuſdam in hac vicinia nuper degentis, caſum maxime notabilem deſcribere; cui quidem plane ſtupendo vix medicorum ſcripta; aut obſervationes ullæ parem ſuggerunt. Vir Illuſtriſſimus quem refero, parentibus proaviſque aut cerebri, aut nervorum diſpoſitioni alias morbidæ obnoxiis oriundus, circa ætatis ſuæ τὴν ἀκμὴν ſeminii iſtius νοσεροῦ fructus luere cœpit: primo enim artuum debilitate, ſtupore, & ſpaſmis levioribus tentari ſolebat, cujuſmodi affectibus cum diu laboraſſet, demum curationis gratia Bathoniam adiens, thermis calidioribus nimis crebro uſus, vice remedii, tantam morbi exacerbationem retulit, ut ab iſto tempore prædicta ſymptomata non amplius per vices, ſed fere conſtanter urgerent, nimirum ſingulos artus, imo quamvis partem corporis motus convulſivi, & tenſiones dolorificæ inceſſanter exercebant, ita ut muſculi ſimul omnes ſubſultibus repetitis perpetuo convellerentur, idque non ſine inſigni cruciatu: cujus unica ſedandi ratio in hoc ſita erat, ut corpus modo totum, modo aliqua ejus membra motu locali perpetim exercerentur: quamdiu enim evigilabat, in lecto vel ſedili agitari, aut in curru vehi, aut membra comprimi vel fricari neceſſe habuit; in quem finem illi parabantur cathedræ & lecti cum baſi arcuata, uti ſunt puerorum incunabula, in quibus cum decumberet vel erectus ſederet, huc illuc, motu verſatili, continuo agitaretur; quod ni fieret, immani dolore & muſculorum tenſionibus atrocioribus infeſtabatur: Hujuſmodi diurnam affectionis ſpaſmodicæ moleſtiam tempore nocturno, & ſtatim a ſomno ſymptomata longe graviora excepere: nam recens expergefacto, illico totum corpus horreſcere, muſculi tenſionibus dolorificis plurimum exerceri,

*Obſervatio.*

ri, ſinguli artus, velut inſtanti mortis agone,ſudore ſqualido perfundi ſolebant, qui in tantum corroſivus erat, ut inſtar aquæ fortis, lintea, ni ſtatim abluerentur, cito exederet, & corrumperet. Æger durante hoc conflictu, ſudores inter & horrores per plures horas torquebatur, donec penitus defatigato ſomnus obrepens levamen aliquod afferret; quod ſi paroxyſmo ingruente protinus e lecto excitaretur, melius habuit,adeoque ſolitam affectus ferociam præcavebat: idcirco quamprimum a ſomno expergiſcererut, licet hoc intra horæ ſemiſſem contingeret, illico ut torturam evaderet, domeſticis aſcitis, ſtatim lecto eximebatur: quantum ad appetitum ſatis valens, abſque nauſea comedebat, neque a comeſtis ſtomachus turbabatur: ſæpe tamen de cardialgia querebatur, ac interdum ſputatio moleſta cum fœtore oris, velut ab aſſumpto mercurio,per plures dies eum exercuit. Calidiora quævis tum alimenta, tum pharmaca conſtitutioni ejus minime congruebant; vinum, aut cereviſiam generoſiorem ne pitiſſare audebat, Primis ægrotationis ſuæ annis ad conſpectum ignis horreſcebat poſtea imbecillior factus,licet urgente bruma; prope focum ſedere renuebat; urina ſemper fuit citrini coloris, quæ ſi in vaſe fictili ſupra prunas evaporaretur, fœculentiæ ſalinæ, ſupra dimidium liquoris, in fundo reſidebant; alvus continuo aſtricta, niſi a pharmacho, aut enemate irritata ſarcinam nunquam depoſuit. Quinimo præter motus convulſivos paralyſis ſpuria totius corporis membra quævis occupabat, nec enim manus attollere, aut pedes greſſui accingere potuit,linguavacillans verba non niſi imperfecta protulit, interdum vero cum ex occaſione gaudio repentino geſtiret animus,ſpiritibus, & robore mire exuſcitatis, e cathedra ſubito ſurgere, & ſine alterius ope recte incedere, & ſalire valebat, quod tamen intervallum,vix horæ minutum durabat, quin membra denuo vacillarent, & ſolito languore & tremore afficerentur.Cum ſupra duodecim annos Dominus inſignis ad hunc modum ægrotabat, Medicorum in tota

Anglia

Anglia maxime celebrium conſilia adhibuit, & remedia quamplurima; ac fere nullius non generis tentavit, ſc. antiparalytica, antiſcorbutica, diætas exiccantes, ſudoriferas, purgantia, cauteria, balnea, linimenta, quin & ſalivationem bis expertus eſt, verum nulla ejuſmodi medendi methodo ſanari potuit, quare dimiſſa penitus curationis ſpe,per ſeptem poſteriores vitæ ſuæ annos, tantum remedia, quædam ſyptomata præcipua reſpicientia uſurpavit; ſc. ter in ſeptimana medicamentum ſolutivum ex ſenna & rhabarbaro, cum correctivis, in forma modo ſyrupi, modo extracti cepit; opiatæ ex conſervis & ſpeciebus temperatis doſin qualibet nocte ſumere ſolebat: porro Julapium pro data occaſione, cum ſpiritus fatiſcerent, ſumendum præſto habuit: inſuper cereviſiam avenaceam, herbis temperatis & diureticis alteratam, continuo bibebat. Horum uſu ſeptem ut minus annos, ſine magna in pejus alteratione, tranſegit; tandem ingraveſcente ſenio, ſimul ac morbo, ſpaſmorum paroxyſmi atrociores, non uti prius, ſomno peracto, ſed quamprimum lecto incaleſceret, ipſum invaſerunt, ut neceſſe habuerit lecto ſuo omnino abſtinere, atque veſtimenta raro, niſi ut lintea mutarentur, exuere: hinc tranſpiratione impedita, recrementa ſeroſa, aliaque evaporari ſolita, in pulmones defigebantur,quæ primo reſpirationemcrebram,poſtea affectionem aſthmaticam, ac denique tabemlethalem intulere.

Si prædictorum affectuum rationes inquirantur, obvium erit univerſa hæc mala a prava cerebri & nervoſigeneris conſtitutione,ac immediatius ſucci iſtas partes irrigantis dyſcraſia, ac vitio deducere. Nam cum liquor iſte, in quo ſpiritus animales ſcaturiunt, quoad temperiem ſumme acris, & inſtar aquæ ſtygiæ corroſivus eſſet, & quoad mixtionem particulis tum narcoticis, tum exploſivis referciebatur; haud mirum eſt, propterea ſpiritus plurimum onuſtos, proindeque a debita expanſione cohibitos, ubique in minutas exploſiones, ſeu velut crepitus urgeri, quin & corpora *Symptomatum præcipue urgentium rationes.*

continentia, a debita tenſitate, & robore exoluta. etiam in corrugationes dolorificas continuo irritari.

*Exacerbatio mox a ſomno unde proceſſit.*

Affectiones iſtæ ſpaſmodicæ mox a ſomno acrius infeſtabant, quoniam calor lecti heterogeneas ſucci nervoſi particulas exuſcitat, eaſque rarefaciens velut in exploſiones adigit; tum etiam quia partes nervoſæ in ſomno ſuccum ſuum, ac cum eo ſimul allatæ materiæ morbificæ penum uberiorem, imbibunt; quibus ad plenitudinem ſaturæ, primo evigilationis inſtanti, protinus quod moleſtum eſt excutere nituntur. Propter hanc rationem, obſervare eſt ſcorbuticorum dolores, & aſthmaticorum paroxyſmos a lecti calore, atque a ſomno plurimum ingraveſcere; ideo ſtatim lecto eximi, ut his, ita ægroto noſtro levamen conferre ſolebat: Quod autem moleſtia a continuis muſculorum ſubſultibus, & tenſionibus dolorificis excitata corporis, aut membrorum motu loćali aliquatenus ſedaretur, ratio eſt quia ſpiritus animales, dummodo in actiones diverſas ab extra coguntur, inordinationes quaſvis ab intra ſuſcitatas remittunt: etenim ut in dolore & pruritu, qui leviores ſunt ſpaſmi, partem affectam comprimere, fricare, aut ſcalpere juvat, ita muſculorum, ac tendinum motus convulſivi, a totius corporis, aut membrorum agitatione inordinata aliquatenus placantur.

*Cur motu ſedatur.*

*Ptyaliſmi ratio.*

Quod ſpectat ad ptyaliſmum, ſive copioſam oris ſputationem, cum fœtore anhelitus, quæ incertis intervallis redire ſolita eſt; ſuſpicari eſt, eam forte a mercurio clanculum aliquando exhibito proceſſiſſe; quanquam & multos viderim affectibus tum convulſivis, tum ſcorbuticis laborantes, quibus hujuſmodi perpetua ſputi ex ore defluxio, citra omnem Mercurii ſuſpitionem moleſta fuit; nonnullos etiam (uti mox infra dicetur) quibus ſalivatio ſuperveniens (materia exploſiva ad hunc modum critice evacuata) morbum ſolvit: porro veriſimile eſt, hunc affectum a meris ſucci nervoſi recrementis productum fuiſſe, ductuſque ſalivales, cum plures & ſatis patentes

tentes

tentes fuerint, ſuperfluitates a nervis, ac æque arteriis in glaudulis copioſe depoſitas excipere, & foras convehere.

Quoad lucida intervalla quibus æger inducias quaſdam, licet breves mitigata quaſi morbi ſerocia, obtinere ſolebat; ut quem modo ægritudo cathedræ alligabat, derepente exilire, & circumcirca deambulare potuerit; inſperato tamen atque evanido hoc robore, mox iterum in priſtinum languorem deſinente: Dico ejuſmodi motus naturæ laborantis, & ſub gravi onere proſtratæ, fortiores quaſdam nixus, & ultimos conatus eſſe, quibus ſc. ad momentum temporis ſe recolligit, & quaſi morbi jugum excutere tentat; verum quia huic certamini diu ſuſtinendo impar ſit, denuo ſtatim relabitur, & priſtinæ ſuccumbit ſarcinæ. Profecto mirum eſt quantum ſupra naturæ vires, ira ac timor, aliæque animi paſſiones quædam, nervoſum genus intendant, atque impetus plane ſtupendos edere cogant: ſunt vero exiguæ tantum durationis hæc conatuum prodigia.

*Cur æger hic inducias quaſdam obtinuit.*

Deſignata ad hunc modum morbi prædicti cauſa conjuncta, & ſymptomatum præcipue urgentium rationibus oſtenſis; adhuc inquirendum reſtat, circa cauſam προηγουμένην, nempe ob quas προφάσεις ſuccus nervoſus ita degener factus, primo paralyſin, ac deinde muſculorum omnium ſubſultus, ſive ſpaſmos inteſtinos intulerit: porro explicare oportet, quamobremmorbi hujus fructus paulatim accreſcentes, thermarum uſu tam cito ad maturitatem pervenerint, item quare ægritudo iſta nullis remediis cedens incurabilis extiterat.

*Prædicti affectus cauſa προηγουμένη*

Quoad prius, dicendum eſſe videtur quod ægrotans parentibus, qui morbis cephalicis graviter obnoxii fuerunt, oriundus, malam cerebri & nervoſi generis conſtitutionem originaliter contraxerat, adeo ut intra ſextum ætatis ſuæ luſtrum paralyſi ſpuria laborare inceperet; dein cum procatarxi huic hæreditariæcauſæ evidentes ſanguini & humoribus majorem indies labem affigentes

accederent, (erant enim varii caſus atque infortunia quæ viro eximio mœſtitiam & melancholiam continuo intulere) propterea quidem liquor nervoſus ſale fixo, & ſcorbutico ſupra modum imbutus, inſtar aquæ fortis, aut ſtagmatis vitrioli, ſumme acris, & irritativus evaſit; proindeque ſpiritus, & corpora eos continentia, non ſecus ac prædicti liquores lumbricis ſuffuſi, in corrugationes, & contracturas ſpaſmodicas continuo incitaverit.

*Cur affectus hic thermarum uſu ingraveſcebat.*

Quod autem hic morbus, primo ſenſim accreſcens thermarnm calidiorum uſu, in ſtatum longe deteriorem cito evehebatur, ratio facile patet; experientia enim conſtat balnea calida, & ſulphurea in corpore humano ſalinas, aliaſque morbidas, quæ intra viſcera; aut humores ſcatent, particulas, plurimum exaltare, & cito ad ἀκρότητας perducere; eas ſc. exagitando efferatiores reddere, e primis viis in ſanguinem, & exinde in cerebrum & nervoſum genus urgere, quinimo prius ſecretas & otioſas conjungere, ac in ζύμωσιν quandam incitare: quare qui aut arthritidi, aut calculo hæreditaro obnoxii, iſtorum affectuum paroxyſmos nondum perpeſſi fuerunt, a thermarum uſu ſæpiſſime alterutrius morbi fructus in ſe ſtatim maturari ſentiunt: Cum itaque in hoc ægrotante & ſanguis, & liquor cerebrum nervoſum irrigans particulis tum narcoticis, tum ſpaſmodicis imbuerentur: quin & a craſi dulci, & balſamica, iſte verſus ſalſum, atque hic in acetoſum, & ſtagmatis vitrioli ciæmulum degenerarent, tantum abfuit aquarum calidarum mineralium uſus ab auxilio ferendo contra hæc mala, ut propterea ſtatim omnia plurimum exacerbarentur: atque morbus ab humoribus, quoad temperiem & mixturam ita depravatis procedens, nullis uſpiam remediis curari potuerit; nihilo facilius ſc. quam acetum in vinum reducatur.

Cum Illuſtriſſimi hujus viri a phthiſi demum extincti cadaver aperuiſſem, pauca admodum ejuſmodi graviſſimorum pathematum veſtigia detegere licebat. Hinc ut conſtet, paralyſin & ſpaſmum

non tam

non tam a craſſa & copioſa materia,alicubi in mineris congeſta,quam a mala ſpirituum animalium, qui ſubtiliſſimi ac inviſibles ſunt, affectione pendere. Quæ circa hujus anatomen notatu digna occurrebant, paucis exponam.

Abdomine aperto omentum (prout in pleriſque a tabe, aliiſque morbis chronicis interemptis aſſolet) putridum erat, & fere conſumptum. Interim ventriculus, inteſtina, pancreas, & meſenterium ſatis recte habuerunt; ſc. membranæ erant firmæ, bene coloratæ, & abſceſſu quovis aut tumore ſcirrhoſo liberæ: inteſtinis majoribus excreſcentiæ quædam carneæ,inſtar auricularum muris adnaſcebantur;hujuſmodi cum plurimæ fuerint, ex utroque inteſtinorum coli,& recti latere, ad certa quaſi ſtadia; inſtar ramorum arboris, gemellæ prodibant: Simile quiddam in tabido olim reperi: Hujus ratio videtur eſſe, quod in phthiſicis nutritio (licet circa partes ſolidiores & exteriores deficiat, aliquando tamen) interius prope ſucci nutritii fontes plus debito perficitur, proinqe ut epiphyſes nonnaturales, & ſuperfluæ excreſcant. *In diſſecto cadavere notatudigna.*

Lien, qui ſemper peſſime audierat, & a pleriſbue medicis, velut ſcorbuti, & cæterorum omnium affectuum cauſa principalis damnatus fuerat, prorſus inſons, & quavis culpa immunis apparebat: nam prout in maxime ſanis obſervamus, fuit ſubatri coloris, mollis, & ſuperficiei æqualis, obſtructione, aut ſcirrho quovis liber, fibris, & vaſis ſatis diſtinctis, & firmis præditus: e compage ejus diſſecta, ſanguis nigricans effluxit.

Hepar (quod equidem mirari ſubeſt) mediocriter ſe habuit, nec a tam gravi & diuturna ægrotatione ſolito durius, aut ſcirrhoſum, aut tuberculis obſitum evaſerat, erat tantum grandius, & coloris nonnihil obſuſci.

Renes, licet calculo ac ulcere quovis immunes, tamen culpa non vacabant: nam in medio dextri renis cavitas ingens a pelvi diſtincta, eoque multo amplior, aqua limpida impleta, conſpiciebatur:

tur: talem in hydropicis ſæpenumero comperi: Atque hæc quidem fortaſſe ex ſero in renem iſtum depoſito, quod haud facile per meatus, & poros ejus percolaretur, orta eſt; quippe ſerum inibi ſubſiſtens, ab initio ſpecum ſibi exiguum procuderat, qui ſenſim poſtea dilatabatur, cumque ob hanc rationem ſeri ſecretio,& per ureterem exitus aliquatenus præpedirentur, latex ejus in ſanguinem reſtagnans, capiti noxam graviorem intulit, quod quidem eo magis ſuſpicari fas erat, quia ren etiam ſiniſter valde extenuatus, & abſumptus, plures hydatidas, & cavitates aqua limpida repletas continebat.

Pulmones ſterno, & coſtis,& diaphragmati undequaque adnati, ſine ulla fere diſtinctione loborum, una tantum compages carnis ſpongioſæ, putridæ, & materia ichoroſa per totum infarctæ videbantur. Proculdubio ægrotans hoc malum non ita pridem contraxerat, ſc. cum nullo corporis exercitio defungi, nec intra lectum, ut liberius perſpiraret, commorari potuerit, ſanguinis fæculentiæ, & recrementa, quæ per cutim evaporare ſolita ſunt, in pulmones depoſita, in cauſa erant quod hi & inter ſe. & cum aliis partibus concreſcerent, eorumque tonum & conformationemprorſus vitiarunt, ita ut phthiſis demum exorta cæterorum affectuum, quibus diu ac miſere affligebatur,affectus,& productum,ac minime cauſa fuerit.

In utroque cordis ventriculo ſanguis in ſubſtantiam ſolidam, albidam. & carnis coctæ æmulam concreverat, quæ juxta cordis, & vaſorum cavitates, & proceſſus effigiata, ſerpentis, cum cauda multiplici & diviſa, figuram nonnihil referebat: quo quidem in multis, poſt longam invaletudinem defunctis, nihil uſitatius occurrit: Cujus ratio eſt, quod ſanguis a longa ægrotatione effœtus, atque hinc circa præcordia pigre circulatus, in corde & vaſis appenſis ſtagnare incipit, proindeque in concreta ejuſmodi carnea ſenſim congelatur.

Dum cranio aperto præcipuam morbi cauſam inter

inter contenta ejus perquirimus: primo occurrebat, cerebri molem juſto minorem,& gyris paucioribus inſtructam fuiſſe, unde ſpiritus animales non ſatis copioſe productos ſuſpicati fuimus: porro univerſa τοῦ ἐγκεφάλου compages juſto humidior, latice aquoſo madida & prorſus immerſa videbatur, ut integumenta ejus, ſc. meninges integræ divellerentur, atque anfractus & ventriculi omnes aqua limpida inundarentur. Probabile eſt hoc cerebri diluvium nuper accidiſſe, nempe quatenus ob διαπνοὴν impeditam, & lotii ſecretionem parcius habitam, ſeroſitates in maſſa ſanguinea aggeſtæ, capiti traderentur: ideoque cerebri ſubſtantia, & imprimis corpora ſtriata uliginoſa prorſus & tam madida erant, ut diſciſſa eorum ſubſtantia vix compacta maneret, quin liquidorum inſpiſſatorum more aliquatenus difflueret intra ſinus cerebro ejuſque appendici ſuperſtratos ac inſertos,atque vaſa ex iis prodeuntia ſanguis in glomeres duriuſculos,ac velut carneos, non ſecus ac intra cordis ventriculos,& vaſa iis appenſa, concreverat; quod etiam nuperrime cum ſanguis pigre circularetur, propter eandem rationem,qua ſanguis intra præcordia coagulabatur, accidiſſe putamus.

Spinalis medullæ truncus aquæ limpidæ immerſus, valde extenuabatur, ut vix dimidium oſſeæ cavitatis impleverit: quod equidem a ſeri ſalſi, cui velut incoquebatur, colluvie, effectum cenſemus.

Hæc de ſpaſmis univerſalibus,qui affectioni paralyticæ ut plurimum conjuncti,ſimul in pluribus locis diviſim excitantur: reſtant alii quos continuos appellavimus, quia ſc.a partibus aliis in alias ſubito tranſlati,ſe mutuo excipiunt, atque membra modo hæc, modo iſta, & non raro totum corpus involuntarie moveri, diverſimode flecti aut agitari cogunt. In hujuſmodi caſibus ſpiritus animales non tantum inſiti in privatis quaſi focis & mineris copulam exploſivam ſibimet aſciſcunt, & eam quatenus vel ſaturati,vel irritati per vices quaſdam elidunt; ſed cum tota liquoris nervoſi

*Affectionis convulſiva continua natura, & fiendi modus.*

maſſa

maſſa particulis elaſticis abunde ſcateat: Hæ quidem ſpiritibus tum influis, tum inſitis ubique accreſcunt; quos propterea in ſpaſmos fere continuos cient: in quantum vero ſpiritus non ſimul omnes, utcunque prædiſpoſiti, explodi queant (quia ſc. tantis illorum agitationibus intra ductus nerveos ſpatium ſatis amplum non conceditur;) idcirco impetus exploſivus in his aut illis partibus exorſus, inde mox in alias, & ſubinde in alias transfertur, adeoque inſtar pyroboli, aut ignis miſſilis e pulvere tormentario conflati, ſeſe huc illuc ocyſſime proripientis ex artubus his in illos, & dein ſtatim ex omnibus in præcordia, aut viſcera, ac vice verſa vage tranſcurrit. Quo hujuſmodi affectionum typi innoteſcant, libet hic ægrotantium, quibus olim ſanandis operam navavi, caſus quoſdam rariores proponere.

1. *Obſervatio.* Virgo lectiſſima & piiſſima, procera & gracilis, patre valetudinario, ſc, graviſſimis nervoſi generis affectibus obnoxio, genita, circa viceſimum ætatis ſuæ annum cephalalgia valde atroci, & periodica, per plures dies affligebatur, inſtanti demum ſolſtitio brumali 1656. dolor capitis remiſit, ſed in vicem ejus, ingens catarrhus, cum ſputo tenui & copioſo, nec non ulceroſa narium oris, & gulæ affectione ſucceſſit; cum hujus moleſtiam aliquandiu pertuliſſet, tandem ex mulieris cujuſdam præſcripto, fumum ſuccini per tubulum ore excipiens, derepente ſanata eſt, catarrhus nempe ſubito ſiſtebatur, ſubinde vero conqueſta erat, de vertigine inſigni cum capitis dolore & aurium tinnitu: die tertio, cervicis tendines convellebantur, ut caput modo antrorſum, modo retrorſum, modo ad latus deflecteretur, modo rigidum & immotum perſtaret; brevi-poſt hæc totius corporis membra exteriora, & artus ejuſmodi affectio ſpaſmodica invaſit, brachia & manus mire contorquebantur, ut eorum flectiones & convolutiones haud quiſpiam agyrta aut geſticulator imitari potuerit; crura & pedes huc illuc divaricare, mutuo concutere, & alternatim tranſponere neceſſe habuit: adhunc modum aut in cathedra

dra ſedens, aut lecto commiſſa, niſi a ſomno obrueretur, motibus convulſivis perpetuo afficiebatur; cumque ſummo muſculorum nixu membra paululum cohiberet. ſtatim reſpiratione difficili & anheloſa, cum præfocationis ſenſu corripiebatur; interim vero oculi, fauces, os, & viſcera inferiora ſpaſmo quovis immunia perſtabant; nec vomitu, rugitu, neque ventris hypochondriorum inflatione tentabatur: porro animo uſque conſtitit, memoriæ, intellectus, & phantaſiæ munia rite obivit, nihil delire aut inſipienter loquuta eſt, aut egit; quin inter ſtupenda hæc mala verbis uſque piis, & probis, fortitudinis & patientiæ Chriſtianæ ſpecimen admirandum exhibuit; appetitus cito dejiciebatur, ut cibos, & alimenta quævis niſi valde averſaretur; ſitis autem continuo urgebat, vires admodum debiles fuerunt, ut nec ſtare, nedum pedibus incedere potuerit, urina erat coloris citrini, ſalſedine plurimum ſaturata, in cujus ſuperficie pellicula tartarea concreſcebat.

Cum ſexto ægrotationis die ad hanc Dominam accerſerer; admirandi iſtius affectus hujuſmodi Ætiologiam inſtituebam: Etenim ne cum multis aliis ſtatim omnia ad ſagarum præſtigias referrem patris ejus conſideratio effecerat, qui in eadem domo paſſionibus ſpaſmodicis tunc temporis graviſſime laborabat: quapropter ut ſymptomatum iſtorum cauſas naturales inveſtigarem, imprimis obvium erat ſuſpicari, dominam illam hereditario affectionum convulſivarum ſeminia contraxiſſe, quæ tandem circa ætatis ſuæ ἀκμὴν in ejuſmodi fructus eruperunt: cum enim ſanguis particulis heterogeneis & exploſivis plurimum imbueretur, iſtæ demum (prout in tali diatheſi aſſolet) in caput ſuffundi, ibidemque affigi cœperunt: primo igitur in meningas depoſitæ, cephalalgiam immanem & periodicam induxerunt, dein poſtea eadem materies, metaſtaſi accidentaliter facta, in gulæ ac oris emunctoria decumbens, cephalalgiam in catarrhum commutavit: cum denique intempeſtivo remedii adhibiti uſu defluxio ſiſteretur, materies

materies morbifica in cerebrum regurgitans, vertiginem intulit, & exinde in nervoſum genus detruſa, prædictas affectiones σπασμώδεις excitavit.

*Prædicti caſus Ætiologia,*

Quod vero ſpectat ad rationem formalem, ſeu generationis modum, quo materies ſpaſmodica in nervoſum genus decumbens ſymptomata iſtæc admiranda produxiſſe videatur opinari fas ſit, quod eadem ab ἐγκεφάλῳ, utpote firmioris, confinio, in medullam ſpinalem ejuſque appendicem detruſa, ac inſtar fermenti maligni habens, imprimis ſucci has partes irrigantis maſſam integram particulis heterogeneis & ſumme exploſivis infecerat; quæ ſpiritibus per totas eorum ſeries ubique diſpoſitis accreſcentes, ipſoſque velut œſtro quodam agitantes in exploſiones contiuuas irritabant: revera cum ſuccus nervoſus, uti dictum eſt, a materiæ ſpaſmodicæ influxu ita fermentatur, qui partes continentes alioqui blando allapſu irrigaret, atque ſpiritus animales cum expanſione æquabili per eaſdem trajiceret, nunc idem fibras nerveas in varias contractiones, & corrugationes torquebat, atque ſpiritus tum influos, copula nimirum heterogenea onuſtos, a debita irradiatione inhibebat, tum partis cujuſque inſitos varie exagitans, afflatu velut diabolico incitabat, adeo ut appetitus imperio minime obſequentes, motus inordinatos iniverint, eoſque huc illuc rapide tranſlatos, reciprocatione perpetua iterarint.

Quamvis autem particulæ heterogeneæ e ſanguine in cerebrum ſuffuſæ, indeque in genus nervoſum protruſæ, haud ex æquo nervorum omnium origines, ſed ſpinalem medullam, ejuſque propagines nerveas præcipue, ac fere tantum ſubiere; ita ut viſcera interna, inſuper oculi, oris, & faciei partes ſpaſmo quovis immunes perſtarent: iſte tamen impetus exploſivus, quo minus a membris exterioribus obiretur vi quadam inhibitus, illico velut ignis miſſilis, qua data via, in præcordia, ac imi ventris viſcera incurrere ſolebat: quia ſc. ſpiritus influi œſtro quodam perciti, & ſpatium amplius in quo baccharentur exigentes, ab

uno

uno loco excluſi, mox alium alicubi patentem ſubeunt: quapropter œſtrum illud, ſi tum a membris, tum a viſceribus fuiſſet repulſum, nullus dubito, quin cerebrum regurgitaſſet, furorem ibi aut ἀναισθησίαν quaſi epilepticam illaturum. Quæ quidem ſymptomata abeſſe contigit, eo quod Dominæ hujus ingenioſiſſimæ cerebrum conſtitutione firmiore præditum, e liquore nervoſo recens inſtillato, quicquid congruum & ſpirituoſum fuerat, in penum proprium arripiebat, eoque fruebatur: interim particulas quaſque morbificas in ſpinalem medullam deprimebat, a quibus membrorum motus involuntarii, eo quo dictum eſt modo excitabantur,

*Methodus therapeutica in hoc caſu obſervata.*

Præclaræ hujus virginis curationem moliri rogatus, facta imprimis levi corporis præparatione potionem ſolutivam ex infuſione ſennæ & rhabarbari, adjectis ſantalo citrino, & ſale abſynthii, propinabam, qua duodecies cum magno levamine purgata fuit; die ſequenti e brachio ſiniſtro ſanguinem ad ℥ viij. detraxi, quovis veſperi opiatam ex aqua & ſyrupo florum verbaſculi cum pulvere margaritarum exhibui: inſuper ſemel intra 6 horas doſin ſpiritus C. Cervi cum hauſtulo Julapii ſequentis ſumendam præſcripſi. ℞. *Aq. ceraſorum nigrorum, juglandum, florum pæoniæ an.* ℥ iij, *antiepileptic. Langii* ℥ ij. *ſyrupi e floribus pæoniæ maris* ℥ ij. *margaritar. pul.* ℈. j. *miſc. f. Julapium*, quia purgationem multam ferre nequibat, enemata ex lacte ſaccharato erant crebro in uſu: præter linimenta antiſpaſmodica cervici & ſpinæ applicata, frictiones membrorum affectorum cum pannis laneis oleo appropriato madefactis, & excalefactis frequenres inſtituimus.

Horum uſu, intra 6 dies ægrotans plurimum alleviari viſa fuerat; nam motus convulſivi fere in totum ceſſabant, membra in debito ſitu, & quiete continere potuit, ſolummodo caput contractione leviori interdum huc illuc leniter deflectere cogebatur; porro cathedra exurgere & parum incedere valuit, ſed dum greſſum faceret, non recta, ſed in latus oblique procedebat: Hoc

tempore

tempore diſcedens, eam multo melius habere viſam, in manifeſto convaleſcentiæ ſtatu reliqui: poſt alteram vero ſeptimanam, cum Boreas inclementior nocturno tempore exortus, feneſtra haud firmiter occluſa, ægrotanti lecto commiſſæ vehementius afflaret; illa ſtatim a frigore ſuſcepto, ejuſmodi recidivam paſſa fuit, ut non modo pathematis ſpaſmodicis, verum & paralyſi univerſali periodicæ obnoxia evaſeret: nam deinceps a mane uſque ad veſperam capite & membris (uti prius) huc illuc viciſſim flexis atque jactatis artus ſucceſſive omnes circumagere, deflectere, ac varie detorquere coacta eſt; donec ſub noctem, motibus ejuſmodi prorſus ſedatis, membrorum reſolutio, ſive paralyſis ſuccederet, ita ut nec manus aut pedes, neque ullam præterea partem movere, aut corporis nixum quemvis motivum exercere potuerit, intra lectum inſtar ſaxi, fere immobilis jacens; at aliquanto ſomno refecta, circa mane prout facultatis motivæ regularis virtutem quandam, ſc. brachiis & cruribus huc illuc, imbecillius licet, deflectendis parem recuperavit, ſic etiam motus convulſivi & involuntarii, per totum exinde diem perdurantes conſtanter redibant; qui veſperi rurſus in artuum reſolutiones commutabantur.

Ex his liquido conſtet, Dominam ægrotantem, & duplici morbo, ſc. paralyſi ac ſpaſmo laboraſſe, & utriuſque cauſam materialem aliquatenus diſtinctam fuiſſe: videtur enim, quod ſpiritus animales ubique ſcatentes, a particulis narcoticis onuſti fere continuo ligarentur: præterquam quod inter dormiendum, una cum ſucco nervoſo, particulæ ſpaſmodicæ ubertim influentes, etiam ſpiritibus accreſcerent: quarum exploſionibus ſpiritus incitati motus involuntarios produxerunt: quin & copula narcotica eo tempore aliquatenus excuſſa, etiam voluntarios, ſeu regulares quadantenus perficere valuerunt: Præter remedia modo citata, alia quamplurima cujuſque fere generis, ſc. antiſcorbutica, antiparalytica, decocta, ſudorifica, aquæ deſtillatæ, ſpiritus, elixires, tincturæ,

balnea

balnea, linimenta, cum multis aliis ſedulo adhibebant; quorum uſu ſymptomata nonnihil remittebantur, haud tamen morbus integre ſanabatur; paralyſis univerſalis brevi ceſſabat, ita ut omni tempore artus movere, & huc illuc deflectere potuerit; quin & membrorum motus involuntarii, eam rarius moleſtabant, uſque tamen languida & imbellis perſtitit, Cumque illa conſtitutionis terioris, ac in tabem procliuis, & nunc quidem nulli exercitio habilis eſſet, ob tranſpirationem impeditam, ſanguinis recrementa in pulmones depoſita, tuſſim inferebant, qua indies ingraveſcente, demum phthiſica interibat.

Ante plures annos accerſebar ad virginem nobilem, ſimili fere ritu & aliquanto gravius ægrotantem: Hæc enim capitis & membrorum motus involuntarios, nempe aut ſuccuſſiones, aut huc illuc deflectiones, vel circumactiones fere perpetua vice redeuntes perpeſſa fuerat: inſuper diaphragmatis, & muſculorum reſpirationi inſervientium, ſpaſmo admodum moleſto, & plane ſtupendo afficiebatur: Etenim quovis horæ minuto, & ſæpius ſpina dorſi circa medietatem ejus ſubito incurvabatur, ſimulque pectore antrorſum exiliente, & hypochondriis introrſum contractis, ſingultus valde ſonorus, idemque modo duplicatus, modo triplicatus, minus tamen, & uſque minus ſtridulus edebatur: per plures horas hujuſmodi motus, & ſtridoris reciprocationes obire ſolebat, ut per totas ædes exaudiretur; ſi quando breve hujus interſtitium contigit, illico brachia & manus, modo crura & pedes valde concutere, aut contorquere, quin etiam caput modo rapidiſſime conjectare, mox cervicem quaſi rigidam, & immobilem tenere cogebatur: quandoque inter loquendum lingua eo ritu corripiebatur, ut idem verbum ſæpius immo aliquando vicies ut minimum repeteret: Cum in membris exterioribus motus convulſivi fortius urgerent, ab affectu iſto ſtridulo, & ſingultuoſo aliquantulum vacabat, atque hoc ſpatium intermiſſionis, & levaminis ſui tempus dicebat; licet interea caput ac membra motibus violentis huc

2. *Obſervatio.*

illuc

illuc proriperentur: ſi quando in latus ſiniſtrum decumberet, ſtatim dextri hypochondrii introrſum contractio, cum ſingultu ciebatur. Intra paucos dies, hujuſmodi pathematum aſſiduitate viribus plurimum dejectis, tantam in lumbis & crurum artubus imbecillitatem contraxit ut nec ſtare, nedum pedibus incedere potuerit: ventriculus ſive languore, ſive ſpaſmo affectus, quidvis ingeſtum vomitu reddebat.

*Caſus deſcripti natura & cauſa.* In hoc caſu, ſicuti in priori plane conſtat, ſpiritus animales non modo huic aut iſti parti vel regioni inſitos copulam heterogeneam per vices quaſdam elidendam contraxiſſe, ſed & ſpiritus nervorum quorundam influos particulis exploſivis imbutos, motus convulſivos perpetuos & vagos intuliſſe. Cumque ab initio contigit ſpiritus ita affectos, non omnes ſimul nervos nec quoſvis indifferenter, verum ſpinalis medullæ appendices atque ad diaphragma pertinentes, fere tantum ſubiiſſe, ita ut intra horum ſpatia, ſpirituum continuo exploſorum debacchatio limitaretur, propterea quidem accidit, affectiones ſpaſmodicas, in una qualibet iſtarum parte cohibitas, in alia ſtatim ferocius erupiſſe; cumque ex proprio inſtinctu, illorum impetus motivus in una regione intenderetur, in altera idem interea remitti ſolebat. Porro in hac ægrotante, materies morbifica, particulis tum narcoticis tum ſpaſmodicis conſtans, affectionem una paralyticam ac convulſivam inferebat.

Die quarto adveniens pharmacum emeticum propinabam, a quo ſepties evomuit pituitam viſcidam cum bile flava copioſa, ſine quovis tamen levamine: die poſtero ſanguinem e brachio detrahebam ad ℥ vj. exinde ſtatim ſanguine verſus caput impetuoſius rapto, de cephalalgia, & vertigine plurimum conqueſta erat. intra triduum vero phlebotomia in pede celebrata, ſe melius habuit: ſumpſit poſtea remedia nervorum affectibus dicata, ſc. ſpiritum C.Cervi, & ſanguinis, pulveres

veres teſtaceos,& bezoarticos, julapia, & electuaria antiſpaſmωδικα: Horum uſu ſymptomata nonnihil remittere viſa, uſque tamen aliqnatenus, juxta typos modo deſcriptos, perdurabant: Poſt duas ſeptimanas, ex præſcripto mulieris cujuſdam ruſticæ, cepit ſanguinis, ex aure aſini detracti, cochlearia 6 in hauſtu cereviſiæ, a quo derepente ſanari videbatur: nam motus convulſivi illico omnes ceſſabant, iiſque per 24 horas immunis degebat; attamen morbus cum ſolita ferocia propediem revertens, neutiquam iſti remedio, nec quidem facile aliis quibuſvis cedebat: Itaque in poſterum cepit medicamenta methodice præſcripta: ſemel intra 6 dies blande purgabatur, præterea ſumebat pulverem ex bezoar, margaritis, & corallis cum rad. & ſem. pæoniæ compoſitum, item electuarium, ab Horſtio ad convulſiones hujuſmodi admirandas præſcriptum; inſuper julapia, & decocta iu affectibus ſpaſmodicis appropriata: Enemata erant crebro in uſu, frictiones, veſicatoria & linimenta cum fructu adhibebantur: Intra alteram hebdomadam affectio ſingultuoſa prorſus ceſſabat, quin & reliqui motus convulſivi ſenſim mitiores facti plurimum remittebant: ab iſtis vero pathematis convaleſcens, catharro in fauce decumbente, in tantum moleſtabatur, ut ſalivam acrem, & velut corroſivam fere continuo expueret, ac ſi ab aſſumpto Mercurio ſalivatio induceretur: quod equidem remedii genus, in hoc caſu peridoneum fuiſſe eventus comprobavit: ab eo tamen adhibendo, quia cum ægrotantis, & amicorum ejus venia minime licebat, prorſus abſtinebam.

Poſtquam ſputatio iſthæc copioſa, & valde moleſta per plures dies perſtitiſſet, morbus fere in totum ſanari videbatur: adeo ut domina illuſtris motibus convulſivis libera, foras incederet, & viribus, & ſtomacho valeret: ſolummodo querebatur quod aliquoties in die, ſubito totius corporis horrore circiter horæ minutum afficeretur; qualis etiam affectus, quandoque noctu ſuperveniens ſomnum abrumpebat: Intra menſis ſpatium,

hoc

hoc etiam ſymptoma, ac inſuper catarrhus prorſus ceſſabant: deinceps vero illa, interdum ſummo acore in ventriculo & æſophagi ductu, quandoque etiam iu faucibus & palato affligebatur, ut vereretur ne partes iſtæ, cute interiori detrita, diatheſin ulceroſam contraherent; porro ſæpius in ſomnis aliquando etiam evigilans incubo tentari ſolebat. Huic, vere & autumno, blandam catharſin cum remediorum antiſcorbuticorum, & nonnunquam chalybeatorum uſu adhibendam præſcripſi: Cujuſmodi methodum tanto ſuo commodo obſervavit, ut per plures annos ſatis recte valuerit, & etiamnum valeat.

Inter multa remedia, quæ contra iſtum palati & æſophagi acorem, & diatheſin quaſi ulcerosam ſumebantur, preſcripſi ut quolibet mane propriam urinam recens excretam ebiberet; hæc ut plurimum valde ſalſuginea, levamen ingens conferre ſolebat; quibuſdam vero temporibus urina tenuis & copioſa, quæ tamen minime ſalſa, verum inſtar aceti plane acida effluxit, a cujus potu parum aut nihil commodi recepit.

Caſus modo deſcripti Ætiologia, priori non multum abſimilis videtur, niſi quod in hac ægrotante particulæ exploſivæ, plurium nervorum ductus, ſc præter iſtos medullæ ſpinalis appendices, quoſdam inſuper reſpirationis muneri, ac per vices quaſdam linguæ motui dicatos ſubierint, atque ſpiritus in ipſis ſcatentes, œſtro fere perpetuo affecerint.

Quod autem morbi hujus ſolutio per humoris acerrimi in oris & gulæ emunctoria decubitum contigerit; hinc colligere licet, hujus cauſam materialem fuiſſe particulas heterogeneas, & quaſi nitroſas in ſanguine progenitas; quæ cum exinde, cerebro trajecto, in nervoſum genus deferrentur, pathemata prædicta intulerant: quam primum vero remediorum ope, uberior iſtius materiæ proventus inhiberetur, atque particulæ morbificæ, jamjam productæ, cum a ſanguine, tum a cerebro & ſucco nervoſo in iſta capitis emunctoria derivarentur, affectio convulſiva ſtatim remiſit, atque intra

breve

breve tempus, tali ἐκκρίσει uſque perdurante, morbi ſolutio perfecta ſequebatur.

Quandoquidem urina, ex ſe plurimum ſalſa & quaſi lixivialis, per vices quaſdam acetoſa evaſit, quæ contra gulæ acorem, non uti prior, juvamen præſtitit: hinc colligere datur, ſanguinis & humorum particulas ſalinas per urinam decedentem duplicem ſtatum, nempe fixitatis & fluoris, ſubiiſſe; quare ſerum, iis imbutum, modo hujus, modo iſtius indolis extitit: videtur enim quod particulæ ſalinæ, intra maſſam ſanguineam degeneres, fixiores manent, & urinam plerunque lixivialem reddunt: quæ tamen extra ſanguinem in ſucco nervoſo ſcatent, aut circa partes ſolidas deponuntur, in fluorem, ſive acetoſitatem degenerant: Itaque ab his, in oris emunctoria derivatis, inſignis iſte oris & æſophagi acor procedebat: porro cum ejuſmodi particulæ in ſucco nervoſo, ac partibus ſolidis ad plenitudinem aggeſtæ turgeſcerent ac fluxione oborta, in ſanguinem ebullierint: hæ ſtatim exinde confertim per renes amandatæ, urinam quantitate auctam acetoſam reddebant. In quantum vero particulæ ſalinæ, diverſi ſtatus ac minime quæ ſunt ejuſdem, invicem commiſſæ, in ſe mutuo agunt, & vires ſuas refringunt, idcirco urina ſalſa ac neutiquam acetoſa gulæ acorem ſanabat. Experimento ſatis vulgari conſtat ſpiritum vitrioli acerrimum, ſalis tartari aut cujuſvis alius lixivialis mixtura, plurimum mitiſcere: quinimo & humorem acidum in Dominæ hujus oris & gulæ partes exudatum, prope ad aceti calcanthini indolem acceſſiſſe inde conſtat; quia nicotianæ fumus ægrotantis ore acceptus mire dulceſcebat, prout nimirum in quibuſvis a vitriolo præguſtato aſſolet.

Quoniam hic de convulſionibus admirandis, quæ non paſſim eveniunt, & quarum natura & cauſæ in abſtruſo latent, agimus; pro meliori ejuſmodi affectuum illuſtratione, libet hic caſum adhuc unum & alterum, & prioribus haud minus ſtupendos proponere.

Decem

Decem abhinc annis, nobilis cujuſdam filiam ad motus convulſivos eo ritu incitatam, ut nonnulli eam a ſpiritu malo obſeſſam putaverint, in viſebam: Virgo hæc 16 circirer annos nata, pulchra & εὔσαρκος, patre tamen paralytico progenita, ſine cauſa evidenti, circa brumæ ſolſtitium, male habere cœpit: primo per aliquot dies cephalalgia & vertigine,haud gravi tamen modo afficiebatur;deinde in brachio uno, & mox in altero tremorem, & ſubitam contractionem perſenſit; cujuſmodi ſpaſmi iſto die ſæpius repetentes, vix punctum temporis durabant; poſtridie juxta ſororem ſuam in cathedra ſedens, ſubito exiliens ſaltum unum & alterum, multoſque alios ſucceſſive ad diſtantiam plurium pedum mira agilitate perficiebat; dein cum cameræ extremum limitem attigit, aliquandiu in eodem loco, & qualibet vice ad miram altitudinem ſaliens perſtabat; cum ſaltationi ulteriori crura deficerent, in terram concidit ac ſtatim caput cum mira violentia huc illuc conjecit, quaſi illud collo excuteret: quamprimum ab hoc motu præ laſſitudine ceſſaret, ſtatim manus, & pedes idem furor invaſit, ut neceſſe haberet membra hæc parietes, aut poſtes percutiendo, vel pavimentum contundendo validiſſime exercere: Quando, ob pudorem, aut verecundiam, amicis aut aſtantibus debitam, ſe magna vi ab his motionibus cohiberet, (uſque enim animo conſtabat, & ſobrie loquuta erat) ſtatim affectu interius tranſmiſſo, inſigni cordis oppreſſione, cum gemitu, & ſingultu valde ſtridulo, plurimum infeſtabatur; dein cum ſe relaxaret, ſtatim, œſtro ad artuum exteriorum muſculos tranſmiſſo, aut ſaltare, aut caput, vel brachia immaniter huc illuc conjicere, aut etiam in camera rapidiſſime curſitare, vel humum pedibus contundere cogebatur: quippe hujuſmodi vehementes artuum, aut viſcerum commotiones, affectus tragœdia, velut in orbem, revertente,ſe mutuo excipiebant.

Die

*Methodus therapeutica*

Die quinto a quo hæc domina primo ægrotaverat adveniens, vomitorium ex infuſione croci metallor. vino ſcillitico, & ſale vitrioli propinabam, a quo ſepties evomuit bilem æruginoſam, in magna copia, cum admiſtione humoris acerrimi, & quaſi vitriolici: poſtridie ſanguis e vena ſaphæna ad ℥ x. detrahebatur; præterea ſumebat bis in die antidota ex pulveribus lapidum pretioſorum, cranii humani & rad: pæoniæ maris. Horum uſu intra ſeptimanam ſanari viſa, per plures exinde dies affectionibus prædictis immunis degebat, Attamen poſt binas hebdomadas, inſtanti plenilunio, ejuſdem morbi recidivam ſolito atrociorem patiebatur; nam præter ſaltus admirandos, capitis & membrorum contorſiones, convolutioneſque vehementes, inſuper intra cubilis ſpatia curſum huc illuc rapidiſſimum iterare cogebatur. Cepit hoc tempore, ex aliorum præſcriptis, remedia antihyſterica, & ſtatis quibuſdam intervallis purgantia, ſine quovis tamen juvamine: Denuo accerſitus, ſiquidem rubuſto corporis habitu, & ſpirituum efferatione inſigni prædita videretur, emeticum fortius propinabam, a quo decies evomuit bilem inſtar æruginis virideſcentem, cum pituita inſtar aquæ ſtygiæ acerrima, & ſubito alleviabatur: Exhibui poſthæc, quovis mane, hauſtum vini albi cum aqua ceraſorum nigrorum dilutum, aſellis contuſis ſuperaffuſum, & fortiter expreſſum: Horum uſu ſtatim curari viſa, per menſem & amplius integre valebat: Cumque poſtea affectus redituri quævis præludia unquam perſenſit, mox vomitorii & ejuſdem millepedum expreſſionis uſu, morbi inſultum avertebat: Intra tres menſes ſanitatem priſtinam ita recuperabat, ut plures nunc annos affectionibus ejuſmodi ſpaſmodicis immunis degeret: attamen a quo tempore pathemata convulſiva prorſus ceſſarunt, quandoque circa oris & gulæ partes humoris acidiſſimi ac inſtar ſtagmatis vitriolici, defluctione afficiebatur; inſuper interdum malaciæ & picæ, aliquando etiam tuſſi, cum ſputo decolori phthiſin minante obnoxia fuit, quæ tamen remediis in e-

juſmodi

*Prædicti caſus Ætiologia.*

juſmodi caſibus uſitatis facile ſanabatur.

Quod ſpectat ad prædicti caſus Ætiologiam: non eſt cur vereamur hujus morbi, & ſymptomata tum cauſas, ad particulas exploſivas e ſanguine (cerebro uſque impune trajecto) in genus nervoſum continuo ſuppeditatas referre: quæ ſiquidem copia ingenti ſuffuſæ, intra privatas mineras tantum per vices elidendæ, minime coercerentur, ſpiritibus ubique tum influis, tum inſitis accreſcentes, eos, velut æſtro afflatos perpetim explodi, & per manipulos huc illuc inordinate efferri cogebant: ita nimirum ut intra partes continentes paulatim regulari nequirent, quin eos impetuoſe tumultuantes, & hic illic, turbinis inſtar, corripi aptos, exercitio valido, ac admodum violento ſubigi, & perdomari opus fuit: Revera in hac ægrotante non aliter res ſe habuit, quam in organis muſicis, quæ ſi vento nimis inſufflato ſupra modum impleantur, ni ſtatim plures fiſtularum aperturæ recludantur, breui totius machinæ compages concutitur, ac in partes diſſilire periclitatur: pariter in hac domina cum ſpiritus animales nervorum quorundam ductus & fibras appendices actuantes, ultra debitum tenorem exagitarentur, neceſſe erat eorum impetus, dum corpora nervoſa ſupra modum inflarent, in motus locales una plures & vehementiores impendi: quapropter cum eorum rabies ab una parte cohiberetur, mox uti ventus occluſus alio ſe proripiens, in quadam alia parte violentius erupit.

In hac ægrotante vomitorii uſus ſemel, atque iterum juvamen præſtitit, eo quod cyſti fellea, quin & glandulis & emunctoriis, quæ circa coctionis viſcera conſita ſunt, hoc modo inanitis, ſanguinis & ſucci nervoſi purgamenta, in eadem copioſius allicerentur; propterea quidem, ut ſpiritus animales intra ductus nerveos affectos ſcatentes, ab iis minus inficerentur: Hac ratione etiam ſuccus aſellorum profuit; quatenus materiam morbificam e nervoſo genere ad vias urinarias derivarit: Præter hæc remedia materiæ morbificæ radicem & ramos magna ex parte amputantia, cum &

alia

alia velut antidota, ejus vegetationem ubique impedientia ſedulo adhiberentur, quicquid ejus reliquum fuit, natura demum ſuperior facta (ſolita in his caſibus ἐκκρίσει) ad oris & gulæ emunctoria ablegabat:

Dum hæc ſcriberem, virginem illuſtrem inviſebam, quæ aliuſmodi motibus convulſivis, iiſque univerſalibus & non minus admirandis afficiebatur: Hæc circiter annum ætatis 18 εὔχροος, venuſta, & antehac ſatis ſana, cum graſſante in hac vicinia peſtilentia ejus contagii periculum incaute ſubiret, in terrorem panicum, cum crebra leipothymia incidit, ſequenti nocte, tanta ſpirituum deliquia, & ἀταξίας paſſa erat, ut plane moribunda videretur: iſto tamen malo ægre eluctata, deinceps quolibet die paroxyſmos convulſivos, horis tamen primo incertis, & ſub ſpecie multiformi redeuntes habuit: verum intra breve tempus morbi acceſſiones regulares factæ, bis in die, ſc. hora undecima ante & quinta poſt meridiem, conſtanter repetebant, ut nulla febris intermittens periodos ſuas exactius ſervaverit; quin & ſingula paroxyſmi accidentia ſimili ritu quotidie obtingebant. 4. Obſervatio

Cum per tres ſeptimanas hoc modo laboraſſet, quodam die accerſor, ut ſymptomata quævis ac integrum morbi typum advertere poſſem: Hora decima matutina lecto excitata, recte valuit, vultu, inceſſu, colloquio optime ſe geſſit, ut nullas eam quoquomodo ægrotare ſuſpicaretur: hora undecima de ἐγκεφάλου plenitudine & ſpirituum torpore cum levi ſcotomia queri cœpit; mox in hypochondrio ſiniſtro pulſationem inſignem, & quaſi vivi animalis exilitionem perſenſit: hunc motum lateri manum meam admovens, plane percepi; dein pandiculatio & rugitus ſuccedebant; quo facto illico ad lectum ducebatur, & ancillæ ſuper pulvinar ſedenti tenenda tradita eſt: Hæc ægrotantem in gremio ſuo, brachiis circa medium corpus ejus complicatis, durante paroxyſmo arctiſſime conſtringit: inſuper præſto ſunt miniſtræ, affineſque adſtantes, quæ modo ejus brachia &

manus cohibent, modo ventrem & hypochondria in molem ingentem elevata, & ſurſum nitentia comprimunt. Præcipua morbi ſymptomata, quæ viciſſim excitata, fere totum paroxyſmum dividebant, erant hæc duo, ſc. modo immanes viſcerum ſpaſmi infeſtabant, ita ut abdomen in molem ingentem aſſurgens, obtentis aſtantium manibus contraniteretur, ut vix, ac ne vix comprimi potuerit; ſimulque præcordiis ſurſum contractis, cordis & ſanguinis motus pene ſiſterentur: quo temporis ſpatio virgo hæc caput reclinans, cum pulſu diminuto, & fere nullo ἄφωνος, & fere inſenſilis jacet; poſt duo aut tria horæ minuta hi ſpaſmi ceſſant: & dein ægrotans ſeſe erigens, alacriter circumſpicit, & aliquandiu morbi impetum in colloquia & cantilenas convertit, quorum utraque lepidiſſima, & ſupra propiam indolem elegantiſſima indeſinenter effundit: ejuſmodi effatis, & dicteriis adſtantes quoſvis proſequitur, ut nihil uſpiam in commœdia facetius occurrat; dein harmoniæ modulos ſuaviſſimos, & jucundiores quam aut alius quiſpiam poteſt, aut ipſamet alio tempore profert: poſtquam ita jocando, canendoque circiter ſex aut ſeptem horæ minuta tranſegit, denuo viſcerum & præcordiorum ſpaſmos, & ἀφωνίαν uti prius incurrit: atque his brevi remittentibus ſpirituum ὁρμὴ a nervis inferioribus in cerebrum reſiliens, denuo loquelæ cantuſque facetiis impenditur; quoties cum adſtantibus colloquitur, ſi quid ab his acerbius aut ignominioſum reponitur, illa viſcerum ſpaſmos graviores & diuturniores ſubit: Ad hunc modum, ſc. alterna viſcerum & cerebri affectione circiter horæ unius ſpatium moleſtari ſolet: dein paroxyſmo verſus finem vergente viſcerum ſpaſmi leviores facti ter aut quater cum minima intermiſſione repetunt; dein his in totum ceſſantibus, morbi impetus in membra exteriora erumpit, unde ſtatim penitus evaneſcit: nam brachia & crura per horæ minutum contracturas, ſubſultuſque patiuntur, illico dein ægrotans excitata, e lecto deſcendit, omni ſpaſmo, uſque dum novus redit

parox

paroxyſmus, immunis; quin & viribus mediocriter valens, circa ædes obambulat, & durante affectus interſtitio, conſueta vitæ munia alacriter obit, excepto tamen quod ſtomachus langueſcens toto die alimenta faſtidit, veſperi poſt ſecundum morbi paroxyſmum, modice cœnat.

Hic præſens morbi ſtatus eſt: in cujus paroxyſmis quarundam facultatum uſus illuſtrior aliarum anomalias quadantenus compenſare videtur: Verum circa ægrotationis initia paulo ſecus habuit: quippe viſcerum ſpaſmi longe graviores fuerunt, iiſque ἀναισθησία adjungebatur: illorum inſuper interſtitia, fabulatio abſurda, cantus inconcinni, quin & riſus, aut fletus, ratione haud conſcia erumpentes, excipere ſolebant: nunc autem ſpiritns animales in exploſiones diuturnas coacti, eas tam regulariter modo hac, modo illac, qua data via commodior, peragunt, ut quodammodo rationis & voluntatis imperio fieri videantur.

Itaque ut juxta noſtram hypotheſin hujuſce affectionis Ætiologiam inſtituamus: Videtur imprimis, quod timor vehemens ſpiritus cerebri & præcordiorum incolas in magnas ἀταξίας adegiret: ita ut iſtis extra ordines ſuos perturbatis, & amentia quædam & leipothymiæ crebræ ſuccederent: Porro ſuſpicari licet ab eadem impreſſione cerebro ipſi noxam illatam fuiſſe, ita ut conformatione ejus nonnihil vitiata, particulæ heterogeneæ & morbificæ, una cum ſucco nervoſo admitterentur: dein licet ſpiritus ab initio confuſi atque perturbati, poſt breves inordinationes ſeſe denuo recuperarent, & functionis tum animalis, tum vitalis ſolita munia exequerentur: attamen ob labem cerebro impreſſam particulæ heterogeneæ conſtanter admiſſæ ſpiritibus accreſcentes iis, δυνάμεις exploſivas inducebant; quamprimum enim ſpiritus copula extranea ad plenitudinem ſaturantur, ad ipſam excutiendam, ſive elidendam irritati, exploſiones ſpaſμώδεις inibant.

*Prædicti affectus Ætiologia.*

Circa morbi principia,cum et cerebri,& ſpirituum incolarum diatheſis a noxa recens ſuſcepta magis perverſa & vitioſa eſſet, copulæ heterogeneæ plenitudo citius contigit, proindeque exploſio ejus crebrius & inordinatius ſuccedens, cum majori tumultu peragebatur; poſtea vero cum regiminis animalis noxa remittente, iſtius copulæ, non ſecus ac liquoris nervoſi ſupplementa æquali dimenſo quotidie ingerebantur, ſpirituum exploſiones, regulares mitioreſque factæ, juſtas obſervabant periodos.

Quod ingruente paroxyſmo in capite plenitudinem, ac velut inflationem,cum ſpirituum torpore & ſcotomia ægrotans perſenſit: ratio eſt, quoniam hoc tempore, ſpiritus cerebri incolæ, jam jam in exploſiones parati, primo exagitari, & velut turgeſcere ſolent; dein pulſatio iſta in ſiniſtro hypochondrio ſucceſſit, in quantum ſpiritus, plexus fibraſque nerueas, circa lienem denſiſſime conſitas,incolentes,explodi incipiunt: poſtea cum ſpiritus intra plexus tum meſentericos,tum cardiacos ſcatentes,una exploduntur,iſtæ abdominis & thoracis elevationes, & quaſi ſubſultus induntur: cumque in hac affectione, cordis & ſanguinis motus fere in totum ſiſtuntur, ideo pulſus diminutus & fere nullus, cum ἀφωνίᾳ & aliquali ἀναιϑησίᾳ evadit.

Remittente viſcerum & præcordiorum ſpaſmo, garrulitas & cantus ſuccedunt, quia ſpirituum adhuc exploſorum ῥοπὴ e nervoſo genere in cerebrum facta,ſpaſmos in phantaſiæ exaltationem,& promptiora phantaſmatum exercitia commutat: Quamdiu ſpiritus intra cerebri meditullium regulariter ac ordinate exploduntur, facultatum & habituum actus tantum nobiliores, & quaſi ſupra naturæ vires & tenorem eduntur, prout in hac ægrotante: e contra autem, cum in iſta regione ſpirituum exploſiones inordinatæ contingunt ut plurimum amentia, aut ſaltem potentiarum iſtarum exercitia incongrua, ac abſurda peraguntur.

Viſcerum

Viſcerum ſpaſmi & actiones phantaſticæ ſeſe mutuo,& alternatim excipiunt; quia ſc. ſpirituum copiæ ad explodendum diſpoſitæ, velut undulatione directa & reflexa, tendentiam ſuam modo in hanc partem, modo in iſtam viciſſim faciunt: dein ultimo, cum fere omnes exploduntur, viſcerum ſpaſmi crebriores excitantur; cumque explodendorum manipulus tantum exiguus ſupereſt, iſte denuo tum a capite, tum a viſceribus excluſus, in ſpinalem medullam excurrit, ultimoſque morbi impetus in brachiorum & crurum convulſiones impendit.

In hoc caſu difficultas adhuc inſignis reſtat, quare morbi hujus paroxyſmi, cum ſtatis ſemper horis exacte repetant, periodos tamen adeo inæquales habent: nimirum ut acceſſio prima tantum ſex horas antecedat ſecundam,& dein ſecundæ reditus ad primam non niſi 18 horarum ſpatio contingat. Propter hujus ſolutionem, ſupponendum erit paroxyſmos iſtos pendere a liquore nervoſo particulis heterogeneis ad plenitudinem referto: quæ particulæ huic e maſſa ſanguinea omnino convehuntur, atque ſanguis eaſdem e ſucco nutritio a viſceribus ſuppeditato imbibit. His ita ſuppoſitis, conſiderare oportebit quo temporis ſpatio maſſa ſanguinea particulis iſtis morbificis ſaturatur, & dein quali dimenſo eas in liquorem nervoſum ſuffundit. Super his, in ægrotantis hujuſce caſu ut melius conſtet, quo ritu habent, ſciendum eſt, eam in toto nycthemero unica tantum vice victum plenum aſſumere: nempe paroxyſmo ſecundo finito circa horam ſeptimam mediocriter cœnat, reliquo die appetitu carens, vix quidquam alimenti ingerit; itaque probabile eſt materiem morbificam, una cum penu nutritio potiſſimum tempore nocturno in maſſam ſanguineam ſuffundi; idque uberius quam ut totum exinde ſtatim in liquorem nervoſum derivari poſſit: particulæ heterogeneæ, quæ primo e ſanguine recens ſaturato in liquorem nervoſum convehuntur, ad plenitudinem aggeſtæ paroxyſmum primum excitant, cujus acceſſio ideo diutius pro-

ſelatur, quoniam & ſpatium unum requiritur quo ſanguis, & dein aliud quo cerebrum & nervi impleantur: poſt exactum hunc paroxyſmum, quia ſanguis adhuc ſatur plures alias ejuſmodi particulas in ſe continens, eas ſucco nervoſo e veſtigio ſuffundit; idcirco paroxyſmus alter ſub triplo iſtius ſpatii quo prior inducitur: hoc autem finito, quia tum maſſa ſanguinea tum ſuccus nervoſus ſarcina ſua prorſus liberantur, ægrotans melius quam alio quovis tempore ſe habens, alimenta ſatis avide capeſſit; deinceps vero, cum ad paroxyſmum proxime ſequentem primo maſſa ſanguinea, & tunc ſuccus nervoſus materia morbifica ſaturari debent; ideo gemino huic penſo horæ octodecim requiruntur: ſiquidem vero ad ſecundum paroxyſmum tantum opus, eſt particulas alias e maſſa ſanguinea adhuc plena in liquorem nervoſum derivari, ideo huic effectui ſpatium longe minus, 6 ſc. horarum, ſufficiat.

*Methodus therapeutica.*

Poſtquamhanc dominam per plures ſeptimanas ejuſmodi paroxyſmis periodicis laborantem, denuo inviſeram, præcepi ut tres horas ante ſecundum paroxyſmum ſanguis e vena pedis ad ℥ x. detraheretur, quo facto acceſſio veſperi expectata prorſus eam deſeruit, neque unquam poſtea repetebat: alter vero paroxyſmus priſtinam vicem obſervans quotidie redibat, donec phlebotomia paulo ante acceſſumejus celebrata, patiens iſto die morbo immunis perſtitit, qui tamen poſtridie rediens, juxta eundem typum eam per plures menſes exercuit: interim illa quia brumæ frigus graviſſime urgebat, remediorum uſum aliquandiu diſtulit: attamen ineunte vere, Illuſtriſſima Domina Oxonim aadducta ſequenti methodo ſanabatur.

Imprimis hoc catharticum exhibui, atque ſexta aut ſeptima qualibet die idem repetendum curavi. ℞. *Sulphuris Antimonii* gr. vj. *Mercurii dul.* ℈ j. *reſin. jalap.* gr, iiij. *Zinziberis* gr. v j. *ſimul terantur in marmore, dein addendo conſervæ violar* ʒ j. *f. bolus: bis aut ter vomitum, atque tres aut quatuor ſedes provocare ſolebat. Catameniorum fluxus*

ei

ei ſtatis temporibus, in magna copia conſtanter eveniebat: quare cum ſanguis valde copioſus, & calidus videretur, medio inter periodos menſtruas tempore phlebotomiam bis aut ter inſtituebam: porro ſingulis, quibus a purgatione vacabat, diebus cepit bis in die quatuor pilulas maſſæ ſequentis, ſuperbibendo hauſtulum julapii infra præſcripti. ℞. *Radicum pæniæ maris* ℥ ß. *ſerpentariæ virginianæ, contrayervæ,, dictamni cretici an.* ʒ ij. *cranii humani præpar.* ʒj. ß. *ungulæ alcis* ʒ j. *corallii rubr. præpar. Margarit. pul. an.* ʒj. *ſalis abſynthii* ʒ ij *ſalis corallii* ʒ j. *cum ſ.q. ſyrupi de floribus pæoniæ maris, f. maſſa.*

℞. *Aq. florum pæoniæ maris, ceraſorum nigrorum juglandum an.* ℥iiij. *aq. antiepilepticæ Langii* ℥ ij. *ſyrupi de floribus pæoniæ* ℥ j. ß *caſtorei nodulo ligati & in vitro ſuſpenſi* ʒ j. *miſce, f. julapium.*

Quando pilulas faſtidire cœpit, iis omiſſis ſumpſit bis in die, ſc primo mane, & ſero veſperi circiter ℈ j. pulveris ſequentis in cochleari julapii, ſuperbibendo 4 aut 5 cochlearia ejuſdem. ℞. *Lapidis Bezoar, utriuſque ſuccini albi, margaritarum præpar. corallii rubr. an.* ℈ j. *cranii humani* ℈ ij. *rad. ſerpentariæ virginianæ, ſem. rutæ an.* ʒ ß. *miſc. f. pulvis, capiat* ℈ j. *mane & veſperi cum doſi julapii ſupra præſcripti.*

Dein cum & hoc medicamentum tædio eſſe cœpiſſet, pilular. aut etiam elixiris proprietatis, quandoque etiam per plures dies ſp.C.C.uſus ſuccedebat. Poſtea demum ab iſto pulvere aliquanto ſpatio quotidie aſſumpto juvari cœpit.

Interea dum hæc medendi methodus inſtituitur, capillitio deraſo, caput tenui ſolum amictu cooperiebatur: Emplaſtrum hyſtericum cum Galbano admixto ſuper abdomen geſtavit: pro potu ordinario bochetum ex ſarſa & china, rad. pæoniæ maris, aliiſque appropriatis in aq. fontana infuſis, & decoctis bibebat. Intra menſem paroxyſmi aliquantulum remittebantur. dein mitiores ſenſim minoreſque facti tandem fere in totum ceſſabant: niſi quod inſtante catameniorum fluxu ejuſdem morbi in-

ſultu uno aut altero affici ſolebat: porro vertigine fere conſtanti & anorexia laborabat, media æſtate bibit acidulas aſtropenſes per ſeſquimenſem, & perfecte convaluit.

Quod vero ſpectat ad Therapias rationem in genere pro convulſionibus ejuſmodi admirandis adhibendam; non facile erit aut remedia morbo huic Herculeis paria, aut curationis methodum certam & crebris experimentis comprobatam aſſignare: præterquam enim quod caſus iſti ſimiles raro occurrunt, inſuper obſervare eſt, quod eadem medicamenta, quæ huic ægrotanti hoc tempore profuerunt, alteri, aut eidem, alio tempore adhibita, ne hilum juvarent: cujus ratio videtur eſſe, quod morbi cauſa in ſucci nutritii dyſcraſia conſiſtat, qui liquor non uno ſemper eodemque modo pervertitur: verum a multiplici ſalium ac ſulphurum combinatione, indolem varii moris, ac generis morbidam adipiſcitur, eamque ſubinde commutat: quapropter in graviſſimis ejuſmodi affectibus, medicamenta haud vulgaria & ex pharmacopeia deprompta, ſed magiſtralia, & pro re nata, juxta ſymptomatum admirandorum apparentias præſcribantur, Vomitio lenis, purgatio, & phlebotomia imprimis celebrari, ac aliquoties, prout opportunum videbitur, iterari debent. Quoad medicamenta autem ſpecifica ac in caſibus iſtis appropriata, cum præcipua indicatio fuerit, ſucci nervoſi craſin emendare plurima tentare; & ab effectu eorum virtutes rimari liceat: itaque experiri fas ſit, quid remedia ſale volatili aut armoniaco prædita efficiant. In hanc rem ſp. & ſales C. Cervi, ſanguinis, fuliginis, flores & ſpiritus ſalis armoniaci aſſumantur: His nihil juvantibus ad chalybeata deveniendum eſt, tincturæ & ſolutiones corallii, ac antimonii præbeantur; cujuſmodi medicamenta in tali doſi & forma, & tam crebra vice exhibeantur, ut ex iis alteratio quædam toti ſanguini & ſucco nervoſo inducatur: porro ſi talibus deerit ſucceſſus, ad alexipharmaca, quæ contra venena & malignitatem humoribus impreſſam juvant, procedere oportebit;

bit, ſc. ex his vegetabilium decocta, deſtillata, pulveres, conſervas, aliaque præparata inſtituere, & alia cum aliis varie componere, & diverſimode adminiſtrare. Veriſimile eſt, quod ejuſmodi medicamina, quæ demorſis a vipera, aut cane rabido, etiam quæ contra aconita & toxica ore aſſumpta prodeſſe ſolent, etiam in convulſionibus ſupradictis ex uſu eſſe poſſunt. Licebit hic, juxta exemplum Gregor. Horſtii in tractatibus ſuis de morbo convulſivo maligno, item de convulſionibus admirandis remedia magiſtralia ſub forma electuarii purgantis, item pulveris & antidoti convulſivi præſcribere, eademque ex ſimplicibus partim alexipharmacis, partimque antiepilepticis varie componere.

---

CAPUT.

## CAPUT X.

### *De paſſionibus quæ vulgo dicuntur hyſtericæ.*

PAſſio hyſterica, inter morbos muliebres, peſſimæ adeo famæ exiſtit, ut ſemidamnati in ſtar, plurium aliorum affectuum culpas gerat: ſi quando enim ægritudo inuſitati moris, aut occultioris originis in corpore fœmineo occurrat, ita ut cauſa ejus lateat,& indicatio therapeutica ſit prorſus incerta, ſtatim uteri (qui plerunque inſons eſt) malam influentiam accuſamus, & in ſymptomate quovis inuſitato aliquid hyſtericum ſubeſſe pronunciamus, proindeque ad hunc ſcopum, qui ſæpe tantum ignorantiæ ſubterſugium eſt, intentiones medicæ ac remediorum uſus diriguntur.

*Paſſionis hyſtericæ deſcriptio.*

Pathemata, quæ ad hunc cenſum referri ſolent, varia & multiplicia reperiuntur, quæ raro in diverſis fœminis conveniunt, aut ad eundem prorſus modum contingunt: communiſſima,& quæ vulgo affectionis hyſtericæ rationem formalem conſtituere dicuntur, ſunt hæc; ſc. motus in imo ventre,ibidemque velut globi cujuſdam aſcenſus, dein rugitus,autvomendi nixus,hypochondriorum diſtentio & murmur cum flatuum eructatione, reſpiratio inæqualis ac utplurimum impedita,præfocatio in gutture,vertigo,oculorum inverſio aut rotatio,ſæpe riſus,aut fletus, fabulatio abſurda,quandoque ἀφωνία & ἀκινησία cum pulſu obſcuro aut nullo, & aſpectu cadaveroſo, interdum motus convulſivi in facie, ac artubus, & nonnunquam in toto corpore excitati: verum ſpaſmi univerſales rarius contingunt, & non niſi morbo hoc in ſtatum peſſimum evecto: quippe ut plurimum ſine membrorum contractione tantum in ventre inferiori,thorace & capite,ſc.in eorum aliquo, aut ſucceſſive in omnibus paroxyſmi tragœdia peragitur. Hujuſmodi affectionibus obnoxiæ ſunt fœminæ cujuſque ætatis&.conditionis, ſc.divites & paupe-

res,

rës, virgines, uxores & viduæ: obſervavi ſymptomata iſtæc in puellis ante pubertatem, etiam in vetuſtis poſt catameniorum defectum; quinimo ejuſmodi paſſiones interdum viros infeſtant, uti plane conſtat exemplo ſuperius allato.

*Symptomatum cauſa inquiruntur.*

Quod ſpectat ad ſymptomatum iſtorum cauſas, eas Medici plerique veteres & quidam neoterici ſolummodo in uteri aſcenſum & vapores ab eodem elevatos retulere: Prior opinio, licet antiquum obtinet, minus veriſimilis videtur; quippe in virginibus & viduis uteri corpus adeo exigua conſtat mole, & partibus circumquaque vicinis ita ſtrictim alligatur, ut nec ipſe loco moveri, & aſcendere, nec motus ejus, ſi quis fuerit, perſentiri poterit: quoad αἰτιολογίαν iſtam vulgarem a vaporibus deſumptam, eam uti prorſus vanam, & futilem alibi juſtis de cauſis ſæpe rejicimus: paſſiones autem modo deſcriptas neque ſemper, neque omnino ab uteri aſcenſu aut vaporibus procedere judicamus: idque prius quidam alii celebriores medici ſtatuerunt, Quippe olim Carolus Piſo, & nuper doctiſſimus Highmorus uterum ab omni culpa vindicarunt, atque pathemata, quæ vulgo dicuntur hyſterica, hic a ſanguine in pulmones impetuoſius irruente, atque iſte a colluvie ſeroſa juxta nervorum origines congeſta, oriri excogitarunt; Poſterior hæc opinio quantum probabilis videtur, e ſequentibus patebit. Quoad doctrinam vero ſuper hac re a D.D. Highmoro traditam, quanquam a more noſtro abſit cujuſquam placita convellere, & mihi pene religio ſit a Clariſſimo hoc viro diſſentire: quia tamen pathologia noſtra baſi contrariæ innitens (ſc. affectus hyſterici cauſa ad genus nervoſum immediatius quam ad ſanguinem imputata) gratis aſſerta videbitur, niſi rationes, quæ contra iſtam hypotheſin & pro noſtra militant, proferam; idcirco venia hic detur, utramque ſententiam, velut in bilance poſitam, exactius trutinare.

*D. Highmori opinio examinatur.*

In paroxyſmo igitur vulgo dicto hyſterico ſupponit vir egregius, ſanguinem, utpote tenuiorem & flatulentum cum efferveſcentia quadam in vaſa pneumonica & cordis nimis confertim irruere, & in

in iis impetuoſe ebullire, adeoque pulmones infercire, & plurimum aggravare, ut nec illi motum ineant, neque ſanguis e cordis ſinubus lacunari poſſit: hinc a ſanguine in præcordiis ſtagnante, magna oppreſſio, reſpiratio difficilis,& ſæpe nulla, cum ſpirituum vitalium deliquio inferri ſolent: dein ſeptum tranſverſum,ut pulmonibus magis magiſque diſtentis, locum cedat,& reſpirationem aliquo ſaltem modo perficiat,cum diaſtole immani & diutius continuata deorſum fertur, adeoque inteſtina deprimendo,abdomen & hypochondria attollat, & motum, velut globi aſcendentis ſimulet: poſtea vero functione vitali ad hunc modum laborante, facultas animalis in ſuppetias ejus inſurgit, quapropter urgente motuum in variis partibus neceſſitate, ſpiritus animales in principia nervorum impetuoſe propulſi convulſiones diverſimodas, hinc inde vagas, edunt.Hanc opinionem a magno juvamine in hoc affectu per ſanguinis miſſionem, nec non ab inſigni læſione propter excretionis cujuſque ſanguineæ retentionem, tum a juvantibus, tum nocentibus in hac paſſione, Author confirmare ſatagit.

Verum licet doctrinam hanc de ſuffocatione uterina, prout valde ingenioſam, & affabre excogitatam, non poſſim non laudare; tamen quo minus huic per omnia conſentiam, rationes quædam magni momenti plane evincunt. Equidem fateor me non intelligere quomodo in quibuſdam hyſtericis, quæ ſc. temperamenti frigidioris ſunt, ſæpe etiam pica & malaſia afficiuntur, ſanguis ita in pulmones immodice ebulliat, ſine quibuſvis effervescentiæ ſuæ notis alibi conſpicuis. Novi puellas ob χλώρωσιν quaſi exangues,quarum nempe cruor, utpote effœtus, a quovis exercitio in corde ſtagnaret, & exinde difficulter admodum in pulmones exantlaretur, quæ tamen paſſionibus dictis hyſtericis erant graviter obnoxiæ:certe haud probabile eſt,quod harum ſanguis immodice effervescens in vaſa pneumonica impetuoſe irruat, eorumque poros & meatus confertiſſime infarciat; cum interea tales anheloſæ fiunt, propter ſangui-

nis

nis a pulmonibus abſentiam, aut admiſſionem difficilem: præterea quo pacto evenit, ut violentus iſte ſanguinis in pulmones incurſus, qui circa paroxyſmum fieri ſupponitur, haud inflammationem in iis pariat? quippe ſanguis parti cuipiam rapide & nimis confertim impactus, facile extravaſatur, & φλόγωσιν ægre diſcutiendam excitare ſolet. unde igitur in affectu hyſterico cruor pulmones violenter ſubiens & diſtendens peripneumoniam minime inferat? aut quare non peripneumoniæ, alias inductæ, affectus quaſi hyſterici ſuperveniunt? Quamobrem improbabile videtur, quod ſanguis, proprio orgaſmo turgeſcens, in pulmones irruat, eoſque infractione nimia immobiles reddens diaphragmatis, aliarumque partium convulſiones ſecundario & conſequenter inducat: quin potius videtur quod ob diaphragma, aliaque reſpirationis organa prius ſpaſmo affecta, ſanguis in præcordiis ſtagnare cogatur: Inſuper obſervare licet, quod pulmones haud ſemper ante alias partes afficiuntur; ſæpe enim ſymptomata ſpaſmodica alibi incipiunt, & non raro pectoris regionem omnino intactam demittunt. Quippe in aliquibus vertigo, & oculorum coruſcationes paroxyſmum inchoant, quibus fletus, aut riſus, aut artuum motus convulſivi ſine thoracis anguſtia, aut cordis oppreſſione ſuccedunt: in aliis antequam reſpiratio quovis modo laborat, infimi ventris intumeſcentia cum vomitu, aut rugitu, paroxyſmum ordiuntur, & non raro finiunt; utcunque reſpirationis difficultas ſymptomata iſta ſæpe longo intervallo ſequitur, eamque faſciarum in hypochondriis arcta conſtrictio præcavere ſolet: porro videtur quod iſte, velut globi cujuſdam ab hypogaſtrio aſcenſus, a ſepti depreſſione neutiquam procedat: quoniam ſc. in paroxyſmo hyſterico, hæc pars haud ſemper verſus inferiora derpimitur, ac ſæpenumero ad ſuperiora contracta, pulmones ſurſum propellit, adeoque ſpiritu fere præcluſo, ſuffocationis periculum minatur. His aliiſque rationibus perſuaſi in ea demum ſententia ſumus, quod affectio dicta uterina, præcipue, ac primario ſit convulſiva.

*Affectio hyſterica adcerebrum & nervoſum genus præcipue ſpectat.*

vulſiva, atque a cerebro & nervoſo genere affectis potiſſimum dependeat quicquid inordinationis, aut anomaliæ exinde circa ſanguinis motum contingit, tantum ſecundario,& dependenter a viſcerum ſpaſmis fiat.

Enimvero paſſio quæ vulgo perhibetur hyſterica,ſicut alii motus convulſivi, omnino a ſpirituum animalium exploſionibus producitur; diſcriminis ratio,qua tum morbi hujus ſpecies ab invicem,tum ab aliis affectibus ſpaſmodicis differunt, a varia cauſæ morbificæ origine &potiſſimum extenſione de ſumitur: nam origo hujus, ſicut plurium aliuſmodi ſpaſmorum,utero prorſus inſonte,ſæpenumero in capite conſiſtit:quandoque tamen hic affectus ab uteri culpa, & nonnunquam ab aliarum partium vitio dependet. Quoad morbi extenſionem a quacunque origine procedit, utplurimum nervos interiores,nempe ad viſcera & præcordia ſpectantes,eorumque appendices præcipueafficit,ſpirituſq; in iis ſcatentes potiſſimum exercet: interdum vero, licet rarius, etiam ſpiritusqui nervisexterioribus,item qui cerebro & cerebello præſident,eodem affectu involvuntur. Primo dicemus de morbi hujus origine.

Hanc autem ſæpiſſime περὶ τὸν ἐγκέφαλον conſiſtere, & ſymptomatum quæ in vivis accidunt comparatio, & defunctorum obſervationes anatomicæ aperte indicant: quippe obſervare licet hunc affectum a ſubito terrore, ingenti triſtitia, aut indignatione,aliave paſſione violenta,in qua ſpiritus cerebri incolæ potiſſimum afficiuntur, crebro exortum ducere; porro nonnullis mala victus ratio, & varia accidentia, quibus humores vitioſi intra caput uberius congeruntur, hoc malum primo intulerunt:quin & paroxyſmorum ritus idem manifeſto evincit, in quantum ſc. capitis plenitudo,vertigo,oculorum coruſcatio,aurium tinnitus in multis paroxyſmum hyſtericum ordiuntur, eumque non raro concludunt: præterea mulieres quaſdam ab aliis morbis defunctas, paſſionibus interim hyſtericis dum ægrotarent valde obnoxias, aperui, in quibus utero ſatis recte habente, in occi-

pite

pite nervorum principia ſero acri madida, ac prorſus immerſa deprehendi, prout infra fuſius declarabimus.

*Cauſa morbi ſapiſſime circa nervorum principia incipit.*

Has aliaſque rationes perpendentes, non dubitemus aſſerere paſſiones, vulgo dictas hyſtericas, crebertime oriri, eo quod ſpiritus animales, nervorum principia intra ἐγκέφαλον occupantes, labe quadam afficiuntur; illi nimirum aut in confuſionem acti, aut humoribus vitioſis perfuſi, copulam heterogeneam& exploſivam ſibimet aſciſcunt, quam una ſecum in canales nerveos longe deducunt: cumque iidem ſpititus, per totas eorum ſeries ſive ordines copula iſta ad plenitudinem ſaturantur, aut ſponte ſua, aut occaſionaliter commoti exploſiones ineunt, adeoque motus convulſivos cient: quod vero talis copula ſpiritibus adhærens una cum iis in nervos interiores potiſſimum derivatur, ratio eſt, quoniam in hoc verſus præcordia & viſcera commeatu ſpiritus animales propter animi affectus plurimum perturbantur; quare noxas quaſvis aliunde illatas, facilius admittunt, & anomalias promptius concipiunt. Spiritus enim animales ob hanc præcipue occaſionem diatheſin ſpaſmodicam contrahunt: quatenus nimirum illi, ab impreſſione violenta, extra orbitas ſuas, ac ſolitum influentiæ & actus modum pervertuntur; hinc inordinationes ſuas non modo poſtea repetunt, quin & particulas heterogeneas in amplexus ſuos ſuſcipiunt, cumque iis facilius combinantur: quapropter in quantum ſpiritus animales nervos paris vagi & intercoſtalis permeantes, appetitus tum concupiſcibilis, tum iraſcibilis perturbationibus quibuſvis continuo implicantur, nihil mirum eſt, ſi illi præ cæteris diſpoſitionem convulſivam acquirant,

*Eadem cauſa poſtea per totos nervorum ductus diſponitur,*

Suppoſito igitur (quod revera ſupponi debet) ſpiritus animales, juxta origines nervoſas copulam heterogeneam & exploſivam contraxiſſe, eamque in nervos interiores una ſecum vexiſſe, & per totos eorum ductus explicaſſe, non difficile erit paroxyſmi hyſterici omniumque ejus ſymptomatum rationes aſſignare. Imprimis enim morbo ingruente,

ente,ſæpenumero vertigo, oculorum rotatio & cerebri velut inflatio quædam,quaſi velitationes præviæ excitantur,quia tota ſpirituum cohorte in exploſiones parata,leves eorum copiæ verſus cerebrum reſilientes primo eliduntur; deinde ſtatim in imo ventre, aut hypochondriis perturbatio ſuccedit, in quantum ſpiritus intra plexus hic aut illic conſitos proxime afficiuntur: nam alibi oſtendimus, ſi quando ſpiritus animales in tota quadam ſerie exploduntur, qui in extremis partibus reſident;affectionem iſtam primo inire: quare morbi hujus initia in capite & viſceribus plerunque habentur: quod autem convulſiones modo in imo ventre, ac modo in hypochondriis primo ſentiuntur, ratio eſt, quia materies morbifica, interdum nervi intercoſtalis ductu, in plexus ultimos meſentericos provehitur; quandoque tamen eadem non ultra paris vagi fines delapſa, multo citerius,nempe circa plexus lienares autſtomachicos ſubſiſtit.

*Symptomatum hyſtericorum rationes explicantur.*

Cum itaque ſpiritus animales (prout oſtenſum eſt) intra nervos paris vagi & intercoſtalis ab eorum origine, uſque ad fines ultimos copula heterogenea & exploſiva imbuuntur; illi tandem vel mera plenitudine,vel ab irritatione alicubi facta in exploſiones cientur;in qua affectione ſi qui ſpiritus verſus cerebri meditullium exiliant,vertiginem,capitis inflationem,aliaque accidentia prævia inducunt: attamen ſpiritus, nervoſi caudicis extremitatem alteram; ſc. plexus meſentericos incolentes, præcipue explodi incipiunt; qui ſtatim eliſione ſua, imas hypogaſtrii partes attolli & ſurſum contrahi cogunt, adeoque molis cujuſdam, quaſi uteri aſcenſum inducunt: dein cum plexus meſenterii ſuperiores eodem affectu ſenſim implicantur; idcirco in quantum tota meſenterii compages, viſceraque eidem annexa elevantur, & verſus ſuperiora impetuoſe corripiuntur, abdominis intumeſcentia violenta,velut cum exilitione quadam ſuccedit: porro ventriculus, non tantum ſitu ejus mutato elevatur; quin fibris ejus omnibus, ſc. obliquis, rectis & tranſverſis una ſpa-

ſmo

ſmo affectis, ſæpe tanquam veſica inflata diſtenditur: hinc non raro vomitus, aut ſaltem rugitus & hypochondriorum murmura excitantur: quamprimum vero ſpiritibus ſerie quadam exploſis ad thoracis regionem pervenitur, diaphragma modo diaſtole immani convulſum deprimitur, adeoque viſcerum aſcenſioni occurrens, inflationem, & ſummam intumeſcentiam, cum ingenti lucta infert; ita ut in affectis illico ligamenta veſtium ſolvi debent, ſecus illæ in leipothymiam incidere periclitabuntur: interim ſepto ita depreſſo, ejuſque diaſtole continuata, ſanguis fere immotus in præcordiis ſubſiſtit: adeoque ſtagnatione ſua magnam oppreſſionem ac non raro functionis vitalis deliquium ciet: porro ſepti convulſio modo verſus ſuperiora contingit; adeoque illud pulmones ſurſum impellens, thoracis ſyſtolen violentam, & diutius quam par ſit protractam inducit; cumque hac ratione ſanguis in vaſa pneumonica propellitur, nec denuo a cordis ſinu excipitur, ibidem ac in toto præterea corpore ſtagnat, unde cordis oppreſſio, & ſæpe leipothymia, immo interdum ἀφωνία, ἀσφυξία modo cum livore faciei, modo cum aſpectu cadaveroſo inſequuntur: poſtquam hæc in ima mediaque regione peraguntur, demum affectio ad caput, nervorum, quaſi fomitis ignarii ductu, pertingit, atque ſpiritus ibidem exploſi modo verſus cerebri meditullium reſilientes, ſcotomiam, & non raro ſymptomata epilepſiæ æmula producunt; modo ſpiritus illic exploſi in nervorum aliorum principia irruunt, ibidemque pares exploſiones cient: quapropter hyſtericæ circa finem paroxyſmi ſæpe rident aut plorant, aut delire fabulantur; nonnunquam faciei ac oris partes, quinimo interdum brachia, aliaque membra motibus convulſivis afficiuntur; cumque adeo demum ſpiritus omnes, qui copulam heterogeneam contraxerant exploduntur; paroxyſmus finitur, verum exinde ſtatim alterius paroxyſmi materies congeri incipit.

*Symptomatum diverſitas unde contingit.*

Quandoque accidit diſpoſitionem ſpaſmodicam non ita longe lateque protenſam eſſe, præterquam

enim

enimquod ſæpe nervi tantum paris vagi & inter-coſtalis eadem plectuntur, ut neque cerebrum,nec membra exteriora quicquam afficiantur; quinimo interdum,nec ipſi nervi interiores per totos eorum proceſſus cauſa morbifica occupantur: nam diatheſis convulſiva (prout modo innuimus) ſæpe non ultra plexus lienares,aut ſtomachicos pertingit, & tunc paroxyſmus a ventriculi, aut hypochondrii ſiniſtri inflatione incipiens, non uteri ſed lienis vitio oriri creditur: cujuſmodi affectio mox ad thoracem traducta, ibidemque ſeptum,& pulmones ſpaſmo involvens,reſpirationem, & cordis motum ſiſtit, aut quodammodo pervertit: ſubinde vero paroxyſmus iſte modo cum, modo ſine capitis perturbatione inſigni pertranſit. Hæc quidem vario modo contingunt, juxta quod materiem morbificam,ſive copulam exploſivam a capite deſcendentem, velut pulveris pyrii acervos modo in hac, modo in illa parte plus aut minus congeri accidit: de qua tamen materia, quo ritu eadem in capite producta, nervorum origines primo afficit,adeoque paſſionis dictæ hyſtericæ cauſam procatarcticam conſtituit, jam proxime inquirendum reſtat.

*Morbi cauſa procatarctica vel juxta nervorum origines ſubſiſtit.*

Quod itaque ſpectat ad materiam morbificam, ſive copulam exploſivam, quæ ſpiritibus intra ἐγκέφαλον ſcatentibus accreſcens, cumque iis in proceſſus nerveos derivata, non raro affectuum, qui vulgo perhibentur uterini, cauſa exiſtit: dicimus hanc, ſicut in aliis convulſionum ſpeciebus, eſſe particulas heterogeneas,e ſanguine ſuffuſas, quæ tamen ob duas potiſſimum προφάσεις ſpiritibus in nervorum principia influxuris affigi ſolent: nempe aut ſpirituum ipſorum culpa, aut ipſius materiæ præpollentia, utriuſque generis inſtantiæ paſſim occurrunt. Interdum accidit ſpiritus animales intra cerebrum, inque commeatu ab ipſo ad præcordia ducente, conſitos, a ſubita paſſione,puta timoris,iræ,triſtitiæ, plurimum perturbari, ac in ἀταξίας cogi; proindeque illos extra ordines propulſos, particulas heterogeneas quaſcunque obvias ſibimet aſciſcere, cumque ipſis com-

combinari ; ut propterea mox diatheſin exploſivam acquirant, eamque aliquandiu poſtea retineant, prout ſupra declaravimus. Inſuper ſecundo ipſa materies morbifica interdum magis effera & potentior facta, invitis œconomiæ animalis præſidiis, e maſſa ſanguinea in cerebrum, ejuſque appendicem ſuffunditur, quæ ſpiritibus adhæreſcens, eos ſtatim in exploſiones diſponit: hoc paſſim cernitur in malis febrium criſibus, nec non in affectibus quibuſvis malignis, etian ſcorbuticis, aliiſque chronicis perperam judicatis, Has cauſas plurimum fovet, ſuſcitatque mala aut debilis cerebri & nervoſi generis conſtitutio, ſive eadem hæreditaria, ſive ob malam victus rationem acquiſita fuerit: namque in corporibus ita diſpoſitis, & ſpiritus animales a levi quavis occaſione in confuſionem aguntur, atque cerebri, & ſyſtematis nervoſi meatus materiæ heterogeneæ, & exploſivæ incurſibus facilius pateſcunt. Revera propter hanc rationem fœminæ præ viris, illarumque aliæ præ aliis, affectibus convulſivis obnoxiæ fiunt, prout infra fuſius oſtendetur.

Quanquam autem hujuſmodi mulierum paſſiones dictæ hyſtericæ ſæpiſſime a capitis vitio, ſive a cauſa morbifica intra ἐγκέφαλον oriunda procedunt: attamen aliquando tales affectus propter cauſam alibi incipientem, ſc. modo in utero, modo in aliis viſceribus, ſuſcitantur; atque hujus pathologiæ ſpaſmodicæ duo ſunt præcipue capita, ſc.

*Vel juxta uterum aut alia viſcera.*

1. Interdum accidit tumorem, aut ulcus, aut humorum acrium congeſtiones, in partibus membranoſis circa uterum, aut alia viſcera conſitis excitari, atque partes ita affectas, ob ſolutionem continui in ſpaſmos dolorificos crebro irritari: deinde in quantum ſpiritus animales circumcirca diſpoſiti, influique in crebras ἀταξίας adiguntur, illi demum particulas heterogeneas aut a parte affecta, aut aliunde dimiſſas ſibimet aſciſcentes, ad impetus exploſivos diſponuntur: cumque imprimis motus convulſivi tantum in loci affecti vicinia contingunt, nempe ut moles in hypogaſtrio aſcendens, aut ventris intumeſcentia, ſolummodo

*Tosterius hoc duplici modo contingit.*

*vel ob ſolutionem continui.*

per cipi-

percipiantur; poſtea corporum nerveorum ductu, & conſenſu ſpaſmi ibidem incepti ſenſim in alia ventris imi viſcera; dein ad præcordia, ultimoque in ipſum caput propagantur; atque affectu ita paulatim ad ſpiritus cerebri incolas delato, illi inſuper in propria officina copulam heterogeneam nacti, eam in viſcera retorquent, adeoque cauſa morbifica reciproca facta, ab utraque caudicis nervoſi extremitate inchoatur. Vidi olim virginem prænobilem, in qua tumor exiguus ſubter os pubis cum dolore atrociſſimo exortus, convulſiones immanes primo in ventre infimo, ac poſtea ad præcordia & caput aſcendentes, ac demum in membra exteriora protenſas ciebat: nam ſemel aut bis in die, poſtquam in parte affecta cruciatus inſignes urgerent, abdomen, & mox hypochondria attolli ſolebant: dein reſpirationis difficultas & ἀναισθησία ſuccedebant, atque ſtatim affectu exterius tranſlato, membrorum & artuum contractiones, convulſioneſque horrendæ ſequutæ ſunt. Nonnunquam etiam accidit puerperis, ob noxam utero illatam ſymptomata ſpaſmodica induci: Refert Harveus ab injectione uterina acriori convulſiones mirandas excitatas fuiſſe: ita interdum licet rarius accidit, ſpiritibus circa nervorum extremitates, & prope uterum degentibus, materiam morbificam ſive copulam exploſivam immediate a loco ibidem affecto, & abſque cerebri culpa affigi.

2\. *Vel ob ſucci nervoſi obſtructionem.*

2\. Reſtat adhuc alter caſus, ſive afficiendi modus, quo diſpoſitio ſpaſmodica partium longe a cerebro diſſitarum vitio producitur (licet interim labes, quæ iſtius affectionis cauſa exiſtit, non raro ipſi cerebro mediate communicetur:) nimirum, ſi quando ſuccus nervoſus, alicubi in motu ſuo, ſive circulatione impeditur, exinde in partes nervoſas reſtagnans, eaſque aggravans, ſæpe diatheſin ſpaſmodicam infert: Ita cum evacuatio quædam ſolennis, qua liquoris nervoſi ſuperfluitates excerni ſolebant, cohibetur, uti a fontanellis ſubito occluſis, aut ulceribus vetuſtis ſine catharſi exiccatis, plures in affectiones convulſivas

inciderunt;

inciderunt: quinimo aliquatenus hic locum obtinet, quod vulgo in virginibus & viduis pro cauſa paſſionum hyſtericarum aſſignari ſolet, nempe humoris ſeminalis, quem περὶ τὰ ἀφροδίσια impendi oportuit, intempeſtiva cohibitio; ſaltem ſi quando iſtæ a conjugali vitæ ſtatu juvamen recipiunt, ideo accidit, quoniam humoris nervoſi reſtagnationes, quæ cerebro & nervoſo generi ſæpe labem affigunt, hac ratione præcaventur: Porro ſuccus nervoſus verſus principium ſuum regurgitat, quia tranſitus ejus alicubi a tumore aut ſcirrhoſo aut cancroſo præcluditur. Nuper in hac urbe iſtiuſmodi affectus inſignis inſtantia contigit, ſc. puella quædam 12 annos nata herniam contraxerat, hinc ex præſcripto matris ſuæ, faſciam male adaptatam, cum fibula duriuſcula glandulas inguinales valde comprimente, non ſine magno dolore & cruciatu per binas ſeptimanas geſtabat: intra hoc ſpatium (cum prius integre valebat) de vertigine & gravi capitis torpore queri cœpit; ac paulo poſtea affectiones convulſivas & quaſi hyſtericas crebro ingruentes paſſa erat; ſimulque ſcrophulæ ingentes pone aures ac in cervice ejuſdem lateris ſubnaſcebantur, quibus antehac in tota vita haud quaquam obnoxia fuerat. In hoc caſu minime eſt quod dubitem, quin a glandulis iſtis, quæ ſunt liquoris nervoſi emunctoria, nimis compreſſis humoris iſtius ſuperfluitates, inde per vaſa lymphatica amandari ſolitæ, in caput reſtagnantes mala iſta pepererint: quippe ſymptomatum prædictorum, a ſubligaculi iſtius inguinalis geſtatione, ortus, ita ſubito & manifeſto ſucceſſit, ut in hanc occaſionem vel mater ejus morbi cauſam retulerit. Inſuper etiam in aliis obſervavi humoris nervoſi, alicubi in decurſu ſuo obſtructi, recrementa verſus caput reſtagnantia, non modo ſymptomata ſpaſmodica, aſt deinde affectus ſtrumoſos intuliſſe.

Hæc de affectionis dictæ hyſtericæ ratione formali, diverſimoda origine, nec non de ſymptomatum ejus cauſis genuinis: e quibus liquido conſtare videtur, paſſiones iſtas non ſemper ab utero, quin *Objectiones contra prædictam hypotheſin ſolvuntur.*

quin longe crebrius a cerebri, aliarumque generis nervoſi partium, vitio pendere : At vero contra hæc multa objiciuntur , quæ juxta veterum opinionem culpam omnem in uterum rejiciunt: Nimirum ita fieri videtur , quoniam hujus morbi inſultus fere tantum fœminas invadit; quin & mulieres circa uterum male habentes,ſc. puerperæ, aut quibus catamenia ſiſtuntur, ei potiſſimum ſunt obnoxiæ: porro ex juvantibus hoc arguere licet; quia ſcil. emplaſtra ſuper abdomen geſtata , item arcta ventris & hypochondriorum conſtrictio , quibus ſc. uteri aſcenſus inhibetur, paroxyſmum ingruentem non raro arcent; hoc etiam iudicat , quod ſuaveolentia naribus admota paroxyſmum inducunt , atque fœtida eundem abigunt , e contra accidere perhibetur , ſi eadem ventri aut pudendo imponuntur.

Ut has objectiones diluamus,dicimus imprimis ſymptomata quæ videntur hyſterica, haud tantum mulieres inceſſere : nam hiſtoria ſuperius allata oſtendimus virum quendam ejuſmodi Paroxyſmis , cum molis in imo ventre aſcenſu obnoxium fuiſſe: quod autem fœminæ multo crebrius quam viri affectibus iſtis convulſivis tentantur , duæ rationes proferri poſſunt: ſc. primo quod illarum conſtitutio animalis ſit longe debilior: nempe cerebrum & nervos molliores , & minus firmæ texturæ obtinent , ut nihil fortiter ſufferre , nec injuriæ cuivis reſiſtete queant; quin & in illis ſpiritus animales magis in fugam & diſtractionem proclives, copulam heterogeneam & exploſivam facilius admittunt : hinc fœminæ a ſubito terrore , aut ingenti triſtitia maximas ſpirituum inordinationes ſubeunt , cum viri a tali occaſione vix omnino perturbantur. Secundo fœminæ diatheſin ſpaſmodicam promptius ſuſcipiunt , quia materiæ morbificæ copiam uberiorem congerunt : quippe cum vitam ſedentariam plerunque degunt , ſanguis ob ventilationis defectum impurior evadit : inſuper in hoc ſexu , iſte particulis hoterogeneis, & fermentativis originaliter ſcatet ; quapropter eum catameniorum fluxu

ſæpius

ſæpius expurgari expedit, quo tamen haud ſemper, quod extraneum & incongruum eſt, e maſſa ſanguinea iu totum eliminatur, quin ſuperſtes ſit, quod pro data occaſione in cerebrum & appendicem ejus ſuffuſum, affectionum convulſivarum cauſa exiſtat: porro cum fluxu menſtruali cohibito, diatheſis ſpaſmodica accerſitur, haud igitur putandum eſt, tales affectus ab utero ſuſcitari, verum quod maſſa ſanguinea, particulis heterogeneis plus ſolito imbuta eas, una cum ſucco nervoſo capiti ingerat: quinimo potiſſimum ob hanc rationem etiam purperæ paſſionibus quaſi hyſtericis obnoxiæ reperiuntur; præterquam enim quod læſis uteri membranis, ſpaſmus illic, ob ſenſionem moleſtam inceptus ſurſum perreptat, ac denuo cerebro communicatur; ſæpiſſime accidit, ſanguinem a lochiis retentis infectum, febrili incendio efferveſcere, ac dein criſeos loco, miaſmata maligna cerebro ingerere; unde affectus convulſivi, & non raro ſoporoſi excitantur.

Quod vero arguitur, morbum hunc videri hyſtericum, quia remedia circa abdomen applicata non raro levamen conferunt, facile erit referre, cauſam morbificam in meſenterio ſæpius quam in utero conſitam, interdum hac ratione aut tolli, aut ab iufluentia ſua cohiberi: præterea ejuſmodi circa hypogaſtrium applicationes nihilominus prodeſſe, licet affectus origo ab ipſo capite derivetur: nam ſupra oſtendimus, quod cum materies heterogenea & exploſiva ab ἐγκέφαλῳ deſcendens, ſpiritibus intra totos nervorum interiorum proceſſus diſpoſitis, diatheſin ſpaſmodicam intulit; motus convulſivi propterea excitati, a nervorum extremitatibus incipiunt, & exinde ſurſum verſus illorum initia perreptant: adeo ut imprimis viſcera imi ventris, dein præcordia, ac ultimo cerebrum ipſum afficiantur; ſin vero ſpiritus extimi, ſc. in meſenterii plexibus degentes, ab exploſionibus ineundis cohibentur cæteri omnes in reliquo ductu nervoſo intra ordines ſuos permanent: hoc autem emplaſtra ſuper

per umbilicum geſtata, non raro efficiunt: namque odore ſuo ſpiritus ab exilitione reprimunt, ac in ordines cogunt, quinetiam copulam illis accreſcentem non raro excutiunt, abiguntque: quare cum explofiones illic ineundæ inhibentur, paroxyſmus convulſivus omnino præcavetur: quod adhuc amplius conſtat, in quantum ſi ſpaſmus in imo ventre inceptus, indeque inſtar globi aſcendens, ſtatim ſupprimitur, ac iſtarum partium conſtrictione valida impeditur, ne ſuperius perreptet, ſæpenumero paſſio convulſiva, præcordiis, & cerebro intactis abrumpitur: quapropter vulgo in more eſt, mulieres laborantes, faſciis, aut brachiis circa epigaſtrium complicatis arcte conſtringere, adeoque ſymptomatum verſus ſuperiora progreſſum ſiſtere: cum enim ſpiritus animales velut fomite ignario, ſpaſmos ſucceſſive ineunt, ubicunque fomes abſcinditur, aut intercipitur, affectio iſtæc prorſus inhibetur,

Quod ſpectat ad varios odoratorum effectus, nempe quod ſuavia paroxyſmum accerſunt. fœtida vero eundem abigunt, dicendum eſſe videtur, priora ſpiritus animales demulcendo, reſolvere, ac a ſolitis influentiæ penſis nimis relaxare, adeoque ipſos ad explodendum paratos, in tales inordinationes provocare, quinimo velut flammula admota aliquatenus accendere; e contra autem graveolentia ſpiritus reprimunt, ab excurſibus & exorbitantiis retro cogunt; inque ordines compellunt, quin velut ſulphur auro fulminanti admixtum, virtutem exploſivam iis adimunt.

Quæ hactenus de paſſionibus vulgo dictis uterinis fuſe diſſeruimus, adhuc clarius eluceſcent, ſi in confirmationem hypotheſeos noſtræ, argumenta ab anatomicis obſervationibus deſumpta, adjiciantur: Itaque libet hic caſum inſignem, quo affectionum convulſivarum ratio formalis & cauſæ plurimum illuſtrantur, in medium proferre.

Domina perilluſtris, forma elegantiſſima, optimaque animi & morum indole prædita, nuper in hac vicinia degebat, quæ per multos annos affe- *Obſervatio.*

ctibus

ctibus ſpaſmodicis obnoxia, ſiquidem valetudinariam hanc diatheſin originaliter, ſive hæreditario contraxerat, atque hos morbidi ſeminii fructus, fere quovis ætatis ſuæ luſtro experta fuit, potiſſimum vero quoties utero conceperat (crebros enim conceptus & abortus paſſa) pathematis convulſivis, quaſi hyſtericis, ſupra modum tentari ſolebat: quippe ſtatim a menſibus cohibitis, particulæ heterogeneæ ad cerebrum & nervoſum genus tranſlatæ atrociſſimi affectus paroxyſmos intulere.

Poſtquam noviſſime conceperat, primis menſibus, juxta priſtinum morem, affectibus convulſivis ſubinde moleſtabatur, circa nonam graviditationis hebdomadam, a frigore ſuſcepto, in febrem periculoſam incidit, in qua dolores valde acuti per plures dies in lumbis, & juxta hypogaſtrium graviſſime urgentes abortum minari videbantur: attamen dolores iſti, prout ab eventu conſtitit, potius colici cenſendi, ab humore acri per nervorum ductus, a cerebro in iſtas partes decumbente procedebant; nam circa febris declinationem, materia iſthæc alibi tranſlata, diarrhœa, pedum dolores, & diſpoſitio velut ulceroſa ſucceſſerunt.

Quamprimum hæc Domina a febre & doloribus iſtis convaluit, affectus convulſivi redibant, nam quolibet mane e ſomno evigilans, circa oris & faciei partes, nec non in brachiis & cruribus ſpaſmos & contracturas immanes pati ſolebat; quæ ſymptomata proculdubio a ſeroſa colluvie, in capite circa nervorum origines aggeſta; ab iiſque una cum ſucco irriguo in ſomnis altius imbibita, oriebantur & cum poſtea eadem materies nervorum interiorum ductu, iterum in meſenterii plexus, ac lumbos ferebatur, iſtarum partium dolores atrociſſimi, ac inſuper paroxyſmi quaſi hyſterici eam graviter infeſtabant.

Enimvero iſti faciei & membrorum motus convulſivi brevi tempore ceſſabant; uſque tamen imbecilla, ac enervis, cum vultu pallido, greſſu infirmo ac tremulo, atque alimenti tantum incongrui, & liquorum calidiorum appetens per-

 ſtabat

ſtabat : ſub finem tertii menſis, quo tempore conſtanter abortire ſolebat, menſtrua eruperunt, quibus per duos aut tres dies, una cum membranarum laceratarum fruſtulis deſcendentibus, abortum expectabat : attamen fluxu iſto ceſſante, dolores, velut parturientis, in abdomine & lumbis, uti prius exorti ſunt, eamque hebdomadæ ſpatio die & nocte miſerrime torquebant ; tandem balneo herbarum emollientium uſa, & exinde lecto ad ſudandum commiſſa, uteri ſarcinam depoſuit : conceptus ita cum ingenti cruciatu decedens, galli Indici ovum & magnitudine & figura æquabat : hujus tunica exterior fuit lacera & diſrupta, interior integra manens, aquæ limpidæ circiter ℔. ß. & nihil præterea continebat ; nulla quidem fœtus aut formati, aut uſpiam futuri rudimenta apparebant : poſtea per quatuor aut quinque dies lochia cum aliquibus membranarum fruſtis effluebant ; interim dolores cum ſolita atrocia urgebant ; cumque elapſo hebdomadæ ſpatio, haud ſponte deſierint, demum iis ſedandis remedia expetuntur.

Propter hunc finem, imprimis linimenta, fotus, balnea, & clyſteres crebro adhibentur ; etiam medicamina uteri ſordes expurgantia, in quas totius mali cauſa rejicitur, intus ſumuntur : priorum uſum, torminum breves intermiſſiones ſequutæ ſunt ; ſubinde vero affectus cum inſigni moleſtia redibat ; quinimo intra tres hebdomadas, morbus plurimum ingraveſcens, multa alia horrenda ſymptomata aſcivit : nam præter dolores in abdomine & lumbis, qui indies atrociores fiebant, inſuper in dorſo, cervice, ſcapulis, nec non in brachiis & cruribus magno cruciatu mox afficiebatur, idque acerbius quoties lecto incaleſcebat ; cæterum crebra vertigine, vomitu & nauſea, atque ſæpius in die paroxyſmis convulſivis graviſſimis affligebatur ; ſc. primo moles in hypogaſtrio aſcendere viſa, illico totum ventrem cum impetu attollebat, mox reſpiratione cohibita ἀναισθησία cum vultu cadaveroſo ſucceſſit : poſtquam ita velut demortua, per tria aut quatuor

horæ

horæ minuta jacuerat, ſubito exilire ſolebat, ut ab aſtantibus vix comprimi, aut contineri poſſet; dein contractiones immanes & diſtorſiones in cunctis oris & faciei partibus; nec non in omnibus corporis membris ſequutæ ſunt: ſymptomata hæc revera hyſterica judicabantur, quoniam Domina illuſtris ita nuper abortierat.

Attamen hæc ſingula perpendens, in ea demum ſententia fui, utriuſque paroxyſmi, ſc. tum ἀλγηματώδεις, tum σπασμώδεις cauſam omnino a mala cerebri & nervoſi generis affectione, etiam abſque uteri culpa pendere; nempe quod humor acris intra ἐγκέφαλον congeſtus, exinde per nervorum ductus in partes longe diſſitas deſcenderet, qui membranis & fibris inſidens, cumque humore a maſſa ſanguinea influo fermenteſcens, eas plurimum irritaret, adeoque dolores atroces cieret: poſtea dein cum particulæ heterogeneæ & exploſivæ cum humore iſto intra ἐγκέφαλον admiſſæ, atque ductus nerveos ſubeuntes, ſpiritibus accreſcerent, propterea diatheſis ſpaſmodica ſubinde in graves paroxyſmos erumpens inducebatur, prout mox fuſius patebit.

Juxta hujuſmodi Ætiologiam intentiones curativas inſtituens, Dominæ ægrotanti, quo tempore graviſſime laborabat, ſanguinem e vena ſaphena mitti, intra biduum lene catharticum exhiberi, idque ſemel, aut bis in hebdomada iterandum præcepi: inſuper aliis diebus, veſperi & mane ſp. C. Cervi, aliiſque horis bis aut ter in die pulveris e margaritis & oculiscancrorum cum doſi ſequentis julapii propinabam. ℞. Aq. limacum, lumbricor. magiſtralis an. ℥iij. ſaxifragæ, ceraſor. nigror. an. ℥ iiij, hyſtericæ ℥ ij. ſyr. e coralliis ℥j. ß. tincturæ caſtorei ʒ j. miſce; Balneo herbarum dulcium frequenter uſa fuit cum neceſſitas urgeret, opiata ſemper bono ſucceſſu aſſumpſit; veſicatoria internæ parti utriuſque femoris, etiam cervici applicabantur; porro fotus, linimenta, clyſteres, cucurbitæ, ſternutatoria, cum multis aliis adminiſtrationum modis, juxta ſymptomatum exigentias præſcribebantur.

Ab hac medendi methodo per 14. circiter dies adhibita, Domina illuſtriſſima plurimum alleviata, paroxyſmis convulſivis omnino caruit. Quinimo viſcerum & membrorum tormina, aliaque ſymptomata valde mitigata, citæ convaleſcentiæ ſpem optimam fovebant: Poſthæc vero, partim ob malam victus rationem, cui ægrotans vel paululum refecta ſemper indulſit, præcipue tamen, propter ſubitam terroris vel triſtitiæ paſſionem, quam funeſtum accidens, intra proprias ædes contingens, excitarat, recidivam paſſa, mox morbus in multo deteriorem ſtatum evectus, nam & ſpaſmi & dolores atrocius infeſtabant; quin & ventriculus vomitu fere continuo laceſſitus, nec alimenta nec medicamina admittebat. Lac aſininum per aliquot dies cum fructu quodam ſumebat; quod tamen, ſiquidem in ventriculo bileſcens, ei moleſtiam pareret, brevi omittebatur: tandem invitis omnibus remediis, juxta plurium medicorum conſilia diligentiſſime præſcriptis, nobiliſſima patiens magis indies, magiſque elangueſcebat, atque ſenſim morti appropinquabat: biduo ante obitum ventris & lumborum tormina plurimum remittebant, ipſaque ſolito alacrior facta, convaleſcentiæ ſpem quandam concepit; interea tamen conqueſta erat de capitis dolore & gravitate inſigni; cumque circa initium noctis alte dormiverat, expergefacta in paroxyſmum convulſivum valde horrendum incidit, qui ſtatim in apoplexiam cito lethalem tranſiit; namque inſenſilis & ἄφωνος facta, intra 12 horas hac vita emigravit,

*Morbi Ætiologia ex obſervatis anatomicis deſumpta:*

Cum circa ægritudinis, ex qua illuſtriſſima Domina obierat, cauſam varia judicia ferebantur, pleriſque nimirum mala omnia in affectiones uterinas; aliis in abſceſſum aut apoſtema, quod alicubi circa abdominis viſcera latitans ſuſpicati ſunt referentibus; placuit amicis ut cadaver, ob funus diu prolatum aperiendum, ſedulo inſpiceretur; adeoque genuinæ morbi & mortis cauſæ inveſtigarentur, quod penſum curæ meæ delegatum, ſumma qua poteram diligentia executus ſum.

Itaque

Itaque primo circa habitum corporis obſervatu dignum erat, quod membra, & partes inferiores, juxta, ac ultra dolorum ſedes conſitæ, plurimum contabuerant, ut crura prorſus emaciata, inſtar ſceleti apparuerint: interim facies, cervix, & brachia ſatis plena & toroſa manebant, unde conſtat liquorem nervoſum operi nutritio non minus quam facultatum animalium exercitio conferre: quare cum liquor iſte, in lumbis & abdomine a tranſitu multum impeditus, & ſpaſmis continuis abſumptus, haud debitó influxu ad partes inferiores deſcenderet, iſtæ propterea ſtatim tum enerves, tum emarcidæ evaſerunt. Hujuſmodi atrophia in hoc differt ab altera hectica, quæ ſanguinis vitio contingit, quoniam in hac facies Hippocratica præcipuum morbi ſignum eſt, in illa vultus aſpectuſque parum aut nihil mali produnt.

Dominæ illuſtriſſimæ cadaver, ut valde emaciatum, & viſcera omnia inanita fuerint, tamen illud citiſſime computruerat, nam intra 40 horas cutis per totum diſcolor, in hac parte livida, in iſta viridis, inque alia ſubnigra apparebat; & corpus tam ſubito putreſcens odorem ſumme tetrum expirabat, cujus ratio proculdubio erat, quod propter muſculos ſpaſmis perpetuis exercitos mixtionis principia in tantum laxarentur, ut illa in diſſolutionem prompta, poſt obitum mox ab invicem decederent; pari certe rituuti obſervamus de carne ferarum, quæ aut curſu diuturno fatigatæ, aut fuſtibus contuſæ occiduntur, hæc enim multo citius putreſcit, quam illarum, quæ ſtatu tranquillo & ſedato mactantur.

Abdomine aperto, inteſtina & ventriculus, ſatis ſana ſc. integra enim & bene colorata apparebant, erant tamen inanita, & quaſi inflata,, utpote quæ in perpetuas fere evacuationes, ſc. ſupra, aut infra habitas, ſollicitata fuerint: in tota hac cavitate nulla abſceſſus, aut apoſtematis veſtigia cernebantur. Dum morbi cauſam perquirentes, viſcera huc illuc devolvimus, in meſenterio aliquid notatu dignum occurrebat; nempe circa me-

dium ejus ubi dorſo affigitur, atque majores nervorum plexus continet, ſubſtantia laxior & pluribus quaſi veſiculis inflata manus latitudinem exæquans videbatur, eo ſc. ritu, ac quando in armo vitulino interſtitia muſculorum a laniis inſufflantur, ut pars ea plenior & velut pinguior facta, extumeſcat: Hoc meſenterii loco, quia tumidior & tactu mollior fuit, humorem aliquem doloris cauſam hoſpitari putaveram; aperiens vero deprehendi tantum membranas fuiſſe ab invicem ſolutas, & interſtitiis ſuis nihil præter flatum incluſiſſe: qualis membranarum ſeparatio, & ab invicem divulſio, proculdubio inducta fuerat a crebris ſpaſmis, ſive ſpirituum exploſionibus, quæ intra plexus, & fibras nerveas illic denſiſſime conſitas fere continuo ciebantur; atque ſpaſmi iſti, ob particulas heterogeneas & exploſivas illuc nervorum ductu a capite derivatas contingebant.

Enimvero quod ſpectat ad iſta ventris tormina, & in affectibus convulſivis velut molis aſcenſum, & abdominis inflationem, non dubitandum eſt quin cauſæ morbificæ ſedes in illa meſenterii parte delituit: attamen quoniam uteri principaliter affecti tanta ſuſpicio ferebatur, quantum hoc viſcus meruerat, proxime inquirebam: itaque pelvim intra oſſa pubis conſitam diligenter ſcrutatus, uterum in debito ſitu & quoad omnia ſanum, & fartum tectum reperi: corpus ejus ad juſtam molem, licet 5 tantum ſeptimanæ poſt abortum præterierant, contrahebatur, ſc. pyrum minorem & magnitudine & figura referebat; glandulæ ex utroque fundi latere, quæ teſtes dicuntur, perexiguæ & flaccidæ, ſine quovis humore ſuperfluo, aut virulento in iis contento, apparebant: uteri corpus ubilibet diſſectum, craſſitudine ſua pollicem latum æquabat; ejuſque interior cavitas haud major fuerat quam ut fabam contineret: intra hunc ſpecum, ſicuti in aliorum viſcerum cavernis aſſolet, mucoſum quiddam in perexigua quantitate includebatur: revera circa uterum, aut appendicem ejus nihil extabat, cui tanquam cau-

ſæ

ſæ morbificæ, ſymptomata modo deſcripta imputari poterint: quapropter hinc quod prius opinatus ſum, ἀποδεικτικῶς concludere liceat, paſſiones dictas uterinas ſæpiſſime ab alia cauſa quam uteri vitio excitari.

Inteſtinis amotis etiam renes ſatis ſanos reperiimus; alter tamen eorum inuſitatæ erat figuræ, ſc. in plures lobos inſtar renis vitulini findebatur.

Lien, pancreas, & omentum ſine culpa: ventriculus valde inflatus erat, ejuſque tunica interior, abſque plicis, aut rugis plana evaſerat, quod certe acciderat propter crebros vomitus, viſcere hoc ſpaſmis fere continuis affecto: porro ob hanc rationem, ſc. ſtomachi tono præfracto, alimenta nec bene appetere, nec concoquere ſolebat.

Hepar a ſana conſtitutione plurimum defciverat, fuit namque tumidum & ſubdurum, pallidi coloris, atque inſtar ligni putridi, exangue prorſus & exiccum, hoc proculdubio effecerat liquorum cardiacorum, & impenſe calidorum crebrior uſus.

Pulmones erant lividi coloris, & per totum obſtructi, utpote ichore ſpumoſo, & fœtido infarcti: Certe hoc viſcus & hepar a longo tempore vitioſa extiterant, propterea ut ſanguis diutius a recta craſi degener & valde depravatus, ægritudinis prima ſeminia, ejuſque deinceps fomitem conſtantem ſuggeſſerit.

At vero præcipuam, & quaſi originalem morbi cauſam in capite, idque haud fruſtra quæſivimus; itaque calvaria exempta, vaſa meningas & cerebrum perreptantia ſanguine plena, & diſtenta apparebant, cum in reliquo corpore inter diſſecandum vix quidquam ſanguinis effluxerat: meninge craſſiori amota, per alteram tenuem, & pellucidam, aqua limpida cerebri plicas & anfractus implens, ejuſque totam compagem quaſi inundans, cernebatur: revera omnes cerebri cavitates & receſſus colluvies ſeroſa impleverat: plexus choroides aqua diu immerſus, & velut elixus, diſcolor & ſemicorruptus evaſerat: Juxta nervorum ſplanchnicorum

rum origines, aqua ſe plurimum inſinuans, piam matrem, a medullæ oblongatæ caudice, per duos digitos latos ſeparaverat,proculdubio horum nervorum ductu, materies morbifica a capite in meſenterii plexus deſcendens,& dolorum,& ſpaſmorum cauſa extiterat : porro eadem materies etiam aliorum nervorum capita afficiens, eorumque ductus pervadens,poſtea in aliis partibus, ſc. quibuſvis fere totius corporis,atrociſſimas haſce affectiones produxit:

*Medendi methodus contra affectiones hyſtericas.*

Quod ſpectat ad therapiam,ſive medendi rationem,in paſſionibus vulgo dictis hyſtericis uſurpandam : quandoquidem plurima hujus morbi ſymptomata ſunt convulſiva, inde conſtat remedia antiſpaſmodica, qualia ſuperius deſcribuntur,potiſſimum indicari ; attamen cum affectiones hæ ſexui fœmineo ſæpiſſime contingunt, in quo nempe fluxus menſtruus , aliaque uteri accidentia, plerunque in cauſæ morbificæ partem aſciſcuntur ; idcirco medicamenta varias uteri diſpoſitiones reſpicientia prioribus ſuperaddi, iiſque multifariam complicari debent: Indicationes therapeuticæ ſunt vel curatoriæ in paroxyſmo adhibendæ, vel præſervatoriæ, quæ extra paroxyſmum inſtitutæ morbi cauſam tollunt, ejuſque acceſſiones præcavent.

*Curatoria.*

1. Quoad prius,ſi paroxyſmus levior eſſe ſolet, abſque ulteriori ſpirituum perturbatione , ſua ſponte pertranſire permittatur , ſin eo gravius urgente, naturæ valde oppreſſæ ſuppetias afferre opus ſit, unum illud agatur, ut ſpiritus copulæ heterogeneæ amplexibus immunes facti , inordinationes ſuas , exploſioneſque remittant ; in hunc ſcopum uſu receptiſſimum eſt imprimis fœtida & graveolentia naribus admovere, quorum ſc.effluvia ſpiritus nimis efferos, & exilire paratos reprimunt, ac in ordines cogunt , quin & copulam heterogeneam iis excutiunt , & non raro penitus profligant:aſa fœtida, caſtoreum, galbanum , ſindone rara incluſa, & naribus admota conveniunt ; item plumæ perdicum, & vetera coria cumbuſta , aut ſulphur accenſum : Porro ſpiritus ; ac oleum

fuliginis

fuliginis, aut cornu cervi non raro juvant: Novi tamen hujuſmodi ſuffumigia, quibuſdam fœminis plurimum infeſta paroxyſmum aggravaſſe; probabile eſt eadem interdum ſpiritus nimium irritare, ac in majores ἀταξίας adigere, ſicut fœtida naribus admota, ita ſimilia ori infuſa non raro levamen conferunt: quare hyſtericis tincturam caſtorei, ſolutiones aſæ fœtidæ, & galbani, etiam ſpiritus C. cervi, ac fuliginis, cum aquis appropriatis ſæpius bono cum ſucceſſu propinamus. ℞. Sp. C. cervi gut. 12 ad 15 vel 20. ſumantur in hauſtulo julapii ſequentis. ℞. Aq. pulegii, artemiſiæ an ℥ iiij aq. bryoniæ compoſitæ ℥ ij. caſtorei nodulò ligat. & in vitro ſuſpenſi ʒß. ſacchari albiſſimi ℥j. miſce. ℞. Tincturæ caſtorei ℈j. ad ʒß. ſumatur in hauſtulo cereviſiæ tenuis, ℞. Aſæ fœtidæ, vel galbani ʒij. diſſolvantur in ſpiritu vini ad tincturæ rubicundæ extractionem. Doſis ℈j. in aq. matricariæ cochlear. ij. vel iij. Riverius valde prædicat illud Solenandri. ℞. Moſchi, ſanguinis draconis an. ℈j. plus minus ſumatur in aq. Naphæ ℥iij. ad iiij. Johannes Anglicus commendat ſem. paſtinacæ vel aquilegiæ in vino, aut aq. appropriata prout remedia certiſſima. Si paroxyſmus diutius perſiſtens ἀφωνίαν aut ἀσφυξίαν intulerit, enemata acriora, ut rad. bryoniæ cum carminativis aq. incoctis injiciantur, frictiones crurum ac pedum inſtituantur; ac ſi ad fortiora procedendum erit, cucurbitulæ abdomini, aut inguini applicentur, quin & ſternutatio crebro provocetur, nonnullis convenit in media paroxyſmo, aq. frigidæ hauſtum, aut ſimplicem, aut in qua camphora deflagravit, propinare.

2. Indicatio præſervatoria has tres præcipuas intentiones complectitur, ſc. primo ſanguinis impuritates cerebro ac nervoſo generi ſuffundi aptas tollere, aut alio derivare. Secundo cerebrum munire, ſpirituſque incolas ita corroborare, ut illi copulam heterogeneam, vel non omnino ſuſcipiant, vel facile excutiant. Tertio quicquid enorme uterus habet, ac diſpoſitioni ſpaſmodicæ contribuit emendare. *Præſervatoria.*

1. Prima intentio catharſi & phlebotomia, aliiſque communioribus ſanguinem,& humores depurandi expurgandique viis perficitur. Si emetico locus fuerit, ab eo ſemper ordiendum eſſe duco, præſertim in cacochymicis, atque pica, aut malacia affectis,in quibus ingens phlegmatis viſcoſi ſaburra, ventriculi plicis ac tunicis infarcta, aliorum medicaminum virtutes inhibet: propediem a vomitorio, niſi aliquid contra indicat, ſanguis detrahatur, in fœminis temperamenti calidioris, ſtatim e brachio, & poſtea, ſi opus ſit, ex pede, aut hirudinum ſuctu e venis ſedalibus; in corporibus vero obſtructionibus moleſtatis, & minus calidis ſanguis mittatur parcius & rarius, ac tantum in locis infra uterum conſitis: poſt has evacuationes (ſi modo indicantur) rite celebratas ſemel intra ſex ſemtemve dies purgatio inſtituatur juxta formulas ſequentes. ℞. Pilul. fœtid. major. ℨ i. ß. reſinæ jalap. gr. xii. Tartari vitriolat. caſtorei an. ℈ j. ammoniaci ſolut. in aq. hyſtericæ q. ſ. f. pilulæ 12 pro tribus doſibus. Vel. ℞. Reſinæ jalap. gr. xviij. Calomelanos ℨ j. caſtorei ℈ j, f. pulvis, dividatur in tres partes pro tribus doſibus, detur in pulpa pomi cocti vel in conſerva boraginis: temperamento calidiori præditis, extracti, aut ſyrupi noſtri ſolutivi doſis convenienter exhibeatur: ad materiæ morbificæ a capite revulſionem fontanella ſuræ, aut femori inuſta, atque interdum veſicatoria, ligaturæ, & frictiones dolorificæ adhiberi ſolent. Nec tantum ſanguinis purgatio, ejuſque recrementorum a capite revulſio, ſed liquoris ejus alteratio, inque craſin debitam reductio hic locum habent: quare in quibuſdam hyſtericis chalybeata juvant,in aliis acidulæ aut ſerum lactis,in nonnullis thermarum uſus inſigniter prodeſſe ſolent.

Secunda intentio, nempe cerebri, & ſpirituum animalium rectificatio, medicamentis cephalicis,ac proprie antiſpaſmodicis perficitur,quæ quidem fere ſingulis diebus, quoties a catharſi, aut phlebotomia vacat, ſedulo exhibeantur: talium remediorum cum variæ ſunt ſpecies & adminiſtrationum

modi,

modi, libet hic ſelectiores quaſdam formulas ſubjicere.

℞. *Faculæ bryoniæ, aſæ fœtidæ; caſtorei an.* ʒ j. *ſalis corallii, ſuccini,* Jovis *an.* ʒ ß. *galbani ſolut. in aq. hyſtericæ q. ſ. f. maſſa, Doſis* ℈ ß. *ad* ℈ j. *mane & veſperi, ſuperbibendo doſin liquoris appropriati.*

*Vel* ℞. *ſem. paſtinacæ ſylveſtris, urticæ an.* ʒ ij. *vitrioli martis* ʒ j. *extracti gentianæ, matricariæ an* ʒ j. ß. *cum ſ. q. ſyrupi de artemiſia, f. maſſa, ſumatur ad* ʒ ß. *eodem modo.*

Si forma pulveris magis arridet. ℞. *Rad. ſerpentariæ virginianæ, contrayervæ an.* ʒ j ß. *corallii præpar. margarit. ſuccini albiſſimi an.* ʒ j. *miſce, f. pulvis. Doſis* ℈ j. *ad* ʒ ß. mane, & veſperi cum liquore appropriato.

Opiatæ ad hunc modum componantur. ℞. *Conſerv. flor. lilii convallis, pæoniæ maris, betonicæ an.* ℥ ij. *ſem. pæoniæ, corallii rubr. præpar. an.* ʒ ij. *pulv. dictamni cretici* ʒ j. ß. *ſalis abſynthii* ʒ ij. *cum ſ. q. ſyr. e corticibus citri. f. electuarium.* Doſis mane & veſperi q. N. Moſchat. eodem modo pauperibus exhibeatur conſerv. foliorum arboris vitæ, vel foliorum rutæ bis in die.

Liquores contra affectiones hyſtericas appropriati, & medicamentis prædictis ſuperbibendi, ſunt vel aquæ deſtillatæ, quæ per ſe, vel cum aliis in forma julapii ſumantur, vel decocta, vel tincturæ, ac infuſiones.

℞. *Aq. artemiſiæ, pulegii an.* ℔. ß. *hyſtericæ* ℥ iiij. *tincturæ caſtorei* ℥. ß *ſyr. e coralliis* ℥ j. ß. *miſce. Doſis* ℥ j. *ad* ℥ j. ß. *cum medicamento quolibet e ſupradictis.*

℞. *Folior. pulegii, matricariæ, abrotani utriuſque calaminthæ, nepetæ, marrubii utriuſque an.* M. j. *rad. bryoniæ* ℥ iiij. *ſem. paſtinacæ* ℥ ij, *inciſis, & contuſis affunde vini albi, vel pomacei* ℔. vi. *deſtillentur ſ. a.*

℞. *Rad pæoniæ maris, angelicæ, valerianæ an.* ℥ ß. *folior. artemiſiæ, chamæpyteos, calaminthæ, pulegii, viſci qu. an.* M. j. *ſem. utriuſque paſtinacæ ſylveſtris, an.* ʒ iij. *paſſular.* M. j. *coquantur in aq.*

*fon. ad* ...

*fontana* ℔ iiij. *ad medietatem, adde vini albi* ℔ j. ß. *f. colatura, ſervetur in vaſis occluſis. Doſis* ℥ iij, iiij. *bis in dies.*

℞. *Sem. paſtinacæ ſylveſtris contuſ.* ℥ ij. *caſtorei* ℥ j. *ponantur in vitro cum vini albi* ℔ ij. *Doſis* ℥ ij. *bis in die.*

3. Quoad tertiam intentionem, quæ uteri inordinationes inhibens paſſionis dictæ hyſtericæ ſanationem promovet; dico imprimis, quod olim, credebatur circa morbi cauſam, & curationis ſcopum, nempe uterum aſcendere, ideoque debere in debitum locum reduci, omnino commentitium eſſe, prout alibi oſtendimus: uteri deſcenſus, ſive exitus ſæpenumero accidit, attamen raro aut nunquam affectus hyſtericos producit: porro uteri diſlocatio puerperis mox a partu interdum contingit, ſc. cum uteri corpus capacius factum, & recens inanitum, non recto in loco, intra pelvim ſubſidet, verum ſuperius ad latus illi modo dextri, modo ſiniſtri declinat, ibidemque inſtar marſupii conſtricti, in molem ingentem complicatur: cujuſmodi moles, juxta inguinis latus diu permanens, fœtus alterius, aut ſecundinæ relictæ, aut etiam tumoris ſcirrhoſi illic accreſcentis, ſuſpicionem inferre ſolet; poſtea tamen, cum lochiis copioſe fluentibus, uterus ad debitam magnitudinem redigitur, tumor iſte ſenſim evaneſcit: atqui dum illic perſiſtit, niſi forſan lochia propterea ſiſtuntur, paſſiones hyſtericas minime producit. Huic parti in debitam poſitionem citius reducendæ, fotus, linimenta, & emplaſtra bene conducunt. Sæpiſſime tamen ſymptoma illud ſine ulteriori noxa ſponte pertranſit. Quibus præterea affectibus uterus a puerperio obnoxius fuerit, & qua medicinæ methodo iis occurrendum ſit, alibi ex profeſſo oſtendimus. Quoad cætera iſtius partis vitia, quæ fœminis aliis, ſc. minime puerperis obtingunt, advertimus, ea potiſſimum eſſe vel uteri morbum ex ſolutione continui factum qui ſc. aut tumor, aut ulcus eſt; vel excretionis cujuſdam aſſuetæ inhibitionem, nempe aut ſanguinis menſtrui, aut fluoris albi, aut humoris ſe-

minalis ſuppreſſionem: Propter menſtrua retenta particulæ heterogeneæ non raro in caput ſuffuſæ, pathemata ſpaſmodica inducunt: pariter cum fluor albus ſiſtitur, materia excrementitia a ſanguine reſorpta, cerebro & nervoſo generi traditur: Quinimo cum ſeminis evacuatio ſolita inhibetur, humoris nervoſi ſuperfluitates in cerebrum regurgitant, ejuſque ſpiritus incolas tinctura morbifica & exploſiva inficiunt. Super his particularibus uteri affectibus non opus erit ſpeciatim ac fuſe diſſerere, ſed medicamenta & adminiſtrationes iatricas morbis muliebribus appropriatas, cum remediis antiſpaſmodicis complicare.

---

CAPUT.

# CAPUT XI

*De affectibus, vulgo dictis hypochondriacis, quos, oſtenditur, maxima ex parte eſſe convulſivos, obiter item de medicamentis chalybeatis.*

IN ſuperioribus plane evicimus, paſſiones dictas hyſtericas non ſemper ab utero, imo ſæpius a capite affecto procedere; inquirendum proxime de affectibus hypochondriacis, cujuſmodi originis & naturæ illi fuerint, & a quarum partium vitio potiſſimum dependent. Vulgaris invaluit opinio ſymptomata, huic morbo accenſeri ſolita, omnino a liene produci; quare utplurimum vaporibus ab hoc viſcere elevatis, & huc illuc varie diſcurrentibus, aſcribuntur; cum revera ægritudines iſtæ plerunque ſint partium nervoſarum ſpaſmi & contractiones: ut vero conſtet quibus de cauſis excitari ſolent, ipſa ſymptomata imprimis perpendere, eorumque cenſum quendam inſtituere oportebit.

*Affectus hypochondriaci deſcriptio.* Quoad affectus igitur, qui vulgo hypochondriaci perhibentur, obſervare licet eos hominibus temperamenti atrabilarii, cum aſpectu lurido, & graciliori corporis habitu potiſſimum accidere: raro eſt quod morbus iſte εὐσάρκους vultu florido, aut etiam nimis phlegmatico præditos moleſtat: circa ætatis ἀκμὴν ſignis manifeſtis ſe prodit; huic viri, frequentius quam fœminæ, obnoxii reperiuntur, in utriſque habitualis factus, ægre admodum aut vix omnino curatur, in mulieribus ob debiliorem conſtitutionem, affectibus ſpaſmodicis longe pluribus ſtipatur; quare vulgo dicitur in hoc ſexu, paſſioni hypochondriacæ, hyſtericam aſciſci.

Symptomata, quæ huic morbo accenſentur, vulgo valde multiplicia, & diverſimodæ indolis exiſtunt, neque in omnibus parem originem, aut eandem

eandem a ſe mutuo dependentiam obſervant: quippe in hisventris inferioris viſcera,in illis præcordia,in aliis cerebri confinia plurimum affici videntur: in pleriſque, verumtamen haud omnibus, ventriculus multum laborat: circa appetitum ſæpe nimius, atqui ab ingeſtis ſtatim aggravatur; cumque alimenta ob βραδυπεψίαν diutius in eo morantur, eorum particulæ ſalinæ in fluorem evectæ, totam chyli maſſam in pultem modo acidam, aut auſteram, modo in ſalſam, aut acrem pervertunt: hinc cardialgiæ, flatuum ingens proventus, rugitus, ac crebra vomitio ſuccedunt; & quoniam ob πνευματώσεως defectum, chymus haud in totum volatiliſatur, ac foras provehitur, quin materiæ viſcoſæ ſaburra ventriculi tunicis adhæreſcens pone relinquitur, ſputatio fere continua eos infeſtat; in ſiniſtro hypochondrio diſtentio; & non raro ibidem, ac ſubtus ventriculum pulſatio immanis ſentitur,etiam illic dolores paſſim oriuntur, qui hinc inde vagi tranſcurrunt, & cum lancinatione quadam per plures horas miſere excruciant: interim a membranarum contracturis & flatuum exinde concitatorum fluctuatione, borborygmi, & murmura producuntur: in thorace autem ſæpenumero adeſt magna constrictio & anguſtia,ut reſpiratio difficilis,& ad motum quemvis laborioſa evadit: etiam in nonnullis paroxyſmi aſthmatici graviſſimi ingruunt: inſuper de cordis tremore & palpitatione, cum inſigni ejuſdem oppreſſione, laborantes queri ſolent; item crebra ſpirituum deliquia, & leipothymiæ metus ſuperveniunt, ut ægroti mortem iis ſemper imminentem putarint: in hac regione circa membranas, ac præcipue mediaſtinum, dolor acutus, qui modo in una parte circumſcribitur, modo ad ſcapulam extenditur, hujus morbi ſymptoma familiare eſt. At vero in capite malorum ilias hypochondriacos plerunque perturbat; nempe dolores atrociſſimi periodice revertentes emergunt; item ſcotomiæ,crebrævertigines,vigiliæ pertinaces cogitationum æſtus,& fluctuatio moleſtiſſima,animi incertitudo,phantaſia perturbata, rei cujuſque formido-

formido & ſuſpitio, morborum, quibus immunes ſunt, poſſeſſio imaginaria, plæræque etiam aliæ ſpirituum diſtractiones, imo interdum melancholia, & mania hanc ægritudinem comitantur: præter interiores haſce corporis regiones ab hoc morbo obſeſſas inſuper partes fere quaſvis externas dolores vagi, nec non ſpaſmi, & ſtupores cum formicationis ſenſu invadunt, ſudores nocturni, ſanguinis in facie & volis manuum ſuffuſiones, febres erraticæ, & pleraque alia incertæ originis ſymptomata paſſim oriuntur; de quibus ſiquidem in promptu non fuerit cauſas genuinas & fiendi modos aſſignare, ſtatim in lienem culpa omnis rejicitur, illumque, velut affectus cujuſvis anomali primum authorem, medici accuſant; verum quo jure mox inquiretur: interim obſervare eſt, quod præcipua hujuſce ægritudinis ſymptomata ſint ſpaſmodica, atque immediate a ſpirituum animalium, & ſucci nervoſi anomaliis, potiusquam a viſcerum coctioni inſervientium dyſcraſiis dependent. Verumtamen unde morbi hujus complicatiſſimi prima origo procedit, & qua ratione in pluribus ita locis affectiones diverſimodas pariat, non ita facile erit deſignare.

*Affectus hypochondriaci ad genus nervoſum ſpectant.*

*In paſſionis hypochondriacæ cauſas inquiritur.*

Quid medici veteres atque moderni de paſſione hypochondriaca ejuſque eſſentia, & cauſis crediderunt, tædio hic eſſet particulatim referre; annotamus ſolum quod plerique valetudinariam hanc diatheſin unici lienis vitio adſcripſerint; interim nonnulli tota hujus viſceris confinia in culpæ partem aſciſcentes, ſanguinem in vaſis ſplenicis, & epigaſtricis ubivis ſcatentem, utpote intemperiei calidæ & ſiccæ reum, adeoque aduſtioni, & nimiæ fermentationi obnoxium multiformi huic malo originem præbere contendunt: At vero inſigniſſimus Highmorus lieni, æque ac utero vindicias afferens, præcipuam hujus morbi cauſam omnino in vitioſam ventriculi conſtitutionem retulit; atque hinc ſymptomatum prædictorum rationes originaliter petendas eſſe voluit. Enimvero ut hypotheſin pro ſolvendis hujus ægritudinis phænomenis idoneam contexeret, ſupponit imprimis

primis ſtomachi tonum nimis laxum & debilem evaſiſſe, ut propterea alimenta difficile admodum & imperfecte coquat: ita nimirum ut chyli portio tenuis & ſpirituoſior, debito citius illinc ſanguini commiſſa, ejus craſin verſus acrem & calidam pervertat; dein alimenti reſiduum diutiori intra ventriculum mora in phlegma viſcidum, & ponderoſum degeneret; quod etiam ſtagnatione ſua (pariter ac in eduliis diutius aſſervatis obſervare eſt) valde acidum aut auſterum evadit: hinc autem arguit vir doctiſſimus, quod a ſanguine nimis ſeroſo, & tenuiori facto, ejus effervefcentiæ cito tranſeuntes inducantur, atque a ſtomacho materiæ viſcoſæ ſaburra aggravato, ventriculi & hypochondriorum flatus ac diſtentiones nec non ructus & ſputatio moleſtiſſima oriantur: quo vero lienem hac culpa penitus eximat, eum neque ſanguinis fæcem atrabilariam ſecernere, nec alii cuivis circa αἱμάτωσιν muneri inſervire contendit; attamen uſum ejus fere tantum in eo conſiſtere, ut viſcus hoc ſanguine præfervido turgeſcens, ventriculo adjacenti calorem ſuppeditet, ipſumque blando tepore foveat.

*D.D.Highmori hypotheſis ventilatur.*

Circa hanc opinionem, licet egregio huic Authori eatenus conſentiam, ut ventriculum in hoc affectu ſæpe graviter laborare concedam, cujus ſiquidem tonus ſit laxus, & robur præfractum propter alimenti indigeſtionem, pituitæ viſcoſæ ſaburra uſque in ſinu ejus progignitur; cui ob particulas ſalinas diutina mora in fluorem evectas ſæpe acor inſignis aut auſteritas accedunt; dein quia vitium in prima coctione haud emendatur, in ſecunda ἀπεψίαν iſtam ſanguinis dyſcraſiæ & inordinationes excipiunt: Veruntamen in illam opinionem haud adducat ventriculum ſemper eſſe primum in culpa, aut cætera morbi hypochondriaci ſymptomata tantum a vitioſa illius conſtitutione pendere: Novi enim plures ægritudine iſta immaniter afflictos, qui ſtomacho ſatis valebant: etenim de pulſatione in ſiniſtro hypochondrio, de pectoris anguſtia, & dolore vago in eo excitato, nec non de cordis tremore & oppreſſione, cum

metu,

tu continuo & imaginatione perturbata, plurimum queſti ſunt; interim cibos copioſe appetere, ac ingeſta quævis ſine ventriculi moleſtia, aut gravamine, etiam abſque ſputatione aut ructu acido digerere ſolebant. Quinimo obſervavi alios bibaces & mala victus ratione utentes, ſtomachi flacciditatem cum dyſpepſia, flatulentia, & crebra vomitione contraxiſſe, qui circa præcordia & facultates animales ſatis ſani pro hypochondriacis haud omnino haberentur: præterea in hoc affectu ſæpe ventriculus, potius aliarum partium aut ſanguinis vitio, quam propria culpa laborat; quippe uſitatum eſt, hujuſmod ægrotos, quamdiu in lecto compoſiti multum perſpirant, circa ſtomachum recte habere; cum vero excitantur, poris occluſis, & maſſæ ſanguineæ fæculentia intus reſtagnante, ſtatim cardialgia, flatuum aggeſtione, & crebro vomendi nixu affici.

Propter hæc, aliaque rationum momenta, affectionis hypochondriacæ originem ab alio fonte quam a ventriculi imbecillitate derivandam eſſe exiſtimo: quatenus autem inter partes hic primario affici ſuſpectas, maximæ querelæ contra lienem ſuſcitantur; erit operæ pretium inquirere, quali officio hoc viſcus defungatur; dein quoties ab eo deſciſcit, utrum huic morbo contribuat.

*In lienis uſum inquiritur.*

Ut concedam igitur, cum D. Highmoro, lienem calore ſuo ventriculum fovere, adeoque forſan aliquatenus coctionem juvare: attamen haud eo potiſſimum fine, ſed ob uſus quoſdam nobiliores hanc partem conditam eſſe concludo; quippe ſtomacho, propter alimenti digeſtionem, haud tam calore quam fermento activo opus eſſe videtur; etenim piſces, actu frigidi, eſculenta ſua integra devorant, ac ſine caloris ſubſidio eadem velut a menſtruo quodam reſoluta facile coquunt: præterea de liene obſervare eſt, quod licet in homine tota ejus compages ventriculo adjaceat, in cæteris pleriſque animalibus figura oblonga præditis, quoad maximam ejus portionem, procul a ventriculo amoveatur: porro ſi lien ſit tantum focus in quo ſanguis ventriculum calefaciens contineatur,

neatur, quæ ratio eſt ut iſte potius quam hepar, aut pulmones, lividi coloris evadat; & cruore nigricante, ideoque minus præfervido infercia-tur?

Dum hæc perpendo, quod olim de lienis uſu annotaveram, longe probabilius videtur, quod nimirum a ſanguine per arterias advecto, portio quædam fæculentior, ſc. materia terreſtri & ſale fixo conſtans, in hoc viſcere deponatur, quæ illic velut digeſtione exaltata, & in fermenti naturam evecta, denuo ſanguini per venas refluo committatur, quæ ipſum ζυμώσιν quadam inſpiret, atque circa πνευμάτωσιν ejus idem præſtet quod fermentum noſtrum vulgare (*leaven* dictum) maſſæ farinaceæ commiſſum; nam ſicuti panis incocti portio quædam ad auſteritatem ſervata iſtam indolem aſſequitur, ut panes alios fermentet, eorumque particulas alias ſegnes in motum vindicet, ita videtur quod ſanguis in liene reconditus ibidemque velut ſtagnatione aceſcens, fermenti naturam induat, quo quidem reliqua cruoris maſſa, aliique forſan humores, tanquam ſpiritualiſati, in motum vividiorem actuentur. Quo ſpectant quæ a nupero Authore, ſc. Doctiſſimo Velthuſio, de lienis uſu ingenioſe proferantur: enimvero ille in hoc viſcere fermentum, quo ſanguinis particulæ ſegniores ad activitatis ſtatum perducuntur, contineri, uti ſumme probabile, conſtituit: quippe animadvertens quod in pueris aliiſque temperamento ſanguineo, & habitu corporis obeſiori præditis, uti mores, & animi indoles ad otium, mollitiem & hebetudinem inclinarent, ita lien ſemper coloris rubicundi, & ſanguine, uti hepar, florido repletus fuerit: hinc concludit, in his lienem, uti partes genitales ante pubertatem, aut in elumbis minus officio ſuo fungi; e contra vero, quandoquidem in viris circa mediam ætatem, præcipue in iſtis, qui ſunt vultus ſeveri & corporis gracilioris, uti ſolertiæ, ſagacitatis, conſtantiæ ac fortitudinis indicia ſe produnt, ita lien coloris lividi, & ſanguine, velut cænoſo, imbutus reperiatur: hinc inſuper arguit ſanguinem

*Vid. d'atrib. de ferment. c. 5.*

in

in liene, velut conditorio, diutius aſſervatum, plane in fermentum abire, quo reliqua ejus maſſa ſubinde inſpirata, ſubtiliſetur magis, ac ſpiritus acutiores in regimine tum vitali, tum animali progignat: ſupponit enim corpora noſtra naturaliter humiditate nimia ſcatere, qua quidem partium & viſcerum plerorumque functiones plurimum hebetantur; at vero lienem maſſæ ſanguinis communicare partes ſolidas, conſtantes, firmas, nec facile diſſipabiles; atque has detergere illam humiditatem, ſimulque aliquatenus a ſanguine & ſpiritibus illam mollitiem auferre. quæ in tenella ætate præpollet: eo ferme modo quo Boreas, aut ventus orientalis, ſiccitate & robore ſuarum partium aerem ventilans & intime penetrans, aeri & corporibus noſtris robur aſpirat.

Sed quæ olim circa lienem meditatus fuerim, cum alibi proſtant, non opus erit in hoc loco repetere: attamen amplius annotare libet, quod in corporibus animalium ex elementorum quinario conflatis, uti ſpiritus cæteris præpollere debent: ita quidem iſti viſcoſa ſulphuris & aquæ humiditate irretiti, præpediuntur adeo, ut ſæpe vires ſuas vegete ſatis exerere nequeant; hinc particulæ ſalinæ, utpote plurimum fermentiſcibiles, ad hoc requiruntur, ut corpuſcula ſpirituoſa aliorum complexu ſemiobruta, ac ſopita exuſcitentur, ac in motus libertatem vindicentur. Unde in nobis ipſis experimur, cum a ſanguine nimis halituoſo ſpiritus hebeſcunt; a liquoribus acetoſis, uti primario vinis tenuibus & pomaceo inſigne juvamen præſtari: hujuſmodi enim remedia ſpiritus exacuunt, ac torporem quemvis excutiunt. Talem omnino συμπάθειας virtutem a liene recte ſe habente, erga ſanguinem & liquorem nervoſum jugiter exerceri, facile credimus.

Cum enim hoc viſcus triplici vaſorum genere inſtruatur, ſc. arteriis & venis, ac inſuper magnis nervorum plexibus, fibrarumque nervearum textura confitiſſima; ſingulorum uſus ad hunc modum dirimi cenſemus: nempe per arterias ſanguis lieni infertur, hinc fæculentias ſuas e ſale fixo & materia

teria terreſtri conflatas, in meatus & poroſitates ejus deponit, atque iſtæ ibidem reconditæ, velut digeſtione quadam in ſuccum valde fermentativum evehuntur: cujus item portio ſangnini per venas reducendo, continuo permiſcetur: adeoque tota ejus maſſa hujuſmodi particulis fermentativis a liene inſpiratur, a quibus eidem velut auſteritas quædam, & acumen, cum motus vigore conciliatur; ita ut propterea ipſe ſanguis vegetius in vaſis feratur, etiam exinde ſuccus nervoſus e ſanguine procreatus, magis activus regimini animali ſuppeditetur: at vero haud tantum hoc ritu mediate, & cruoris interventu, lienis virtus fermentativa cerebrum & genns nervoſum inſpirat: veruntamen opinari licet, quod hoc aliquatenus immediato nervorum, in liene diſperſorum, commeatu fiat: nam ſiquidem in hac parte, nervorum, & plexuum nervorum, fibrarumque ab iis ortarum, ingens ſatellitium anatomia detexit,, merito ambigitur quali uſui in ſerviunt. Super hoc imprimis annotetur ventriculum & lienem cum cerebro intima commercia habere; in tantum ut Helmontius in viſceribus iſtis animæ ſedem poſuerit; hoc autem nulla, quam per nervos prædictos, commodiori via fieri poſſibile eſt: Quapropter hic merito ſuſpicamur, non tantum ſpiritus animales a meta alterutra ad alteram internuncios eſſe, quinetiam & liquorem nervoſum, qui ſpirituum iſtorum tum pabulo, tum vehiculo eſt, modo a cerebro verſus hæc viſcera deſcendere, modo a viſceribus hiſce per nervos ſuſceptum, verſus ἐγκέφαλον perreptare: Cujuſmodi ſuccus lienaris, ad cerebrum delatus ſpiritus animales exacuit, eoſdem ſegnes erigit, ac in motus pernices irritat: unde a liene, mentis acumen & ſagacitatem proficiſci vulgo fertur, & lienoſi pro ingenioſis habentur. Cæterum probabile eſt, quod paſſionum ὁρμαὶ, impetuſque, a ſpiritibus cerebri incolis incepti, nervorum commeatu, in lienem feruntur; adeoque ſpiritus inibi degentes pathetice afficiunt, & ſanguinem illuc confluum in perturbationum fluctus exagitant: hinc

hinc enim aliquatenus procedit, quod in ira, triſtitia, aliiſque animi affectibus, juxta quod lienis fermentum, plus aut minus commotum, ſanguini inſpiratur, hujus liquor diverſimode ebullit: porro ob hanc rationem accidit lienoſis a paſſione quavis violenta ſiniſtri hypochondrii inflationes & commotiones magnas cieri.

*Symptomatum hypochondriacorum rationes explicantur.*

Circa lienis uſum his ita prælibatis, in promptu erit, juxta hanc noſtram hypotheſin, ſymptomata pleraque ad affectionem hypochondriacam pertinentia, explicare, & ſingulorum rationes aſſignare: Si quando enim lien in officio ſuo deficit, h. e, cum ſanguinis recrementa atrabilaria non ſecernit, nec in materiam fermentativam coquit, ſicuti in pueris, aliiſque temperamenti ſanguinei, aut nimis phlegmatici crebro evenire modo obſervavimus; animi indoles fit hebetior, corpus otio pingueſcit; quin & ſanguis debito ſegnior, intra vaſa ſtagnare, aut ſaltem minus vegete circulari aptus eſt: e contra vero, cum lienis vis fermentativa nimis exaltatur, aut pervertitur, ſanguis proinde debito acrior, aut auſterior factus huc illuc rapide tranſcurrit, atque motuum anomalias concipit; quin & ſuccus nervoſus a recta craſi deſciſcens, ſpiritus animales copula heterogenea & exploſiva imbuit, eoſque adeo, velut ſtimulis afficiens in crebros ſpaſmos irritat: ut non prorſus immerito lieni, perperam habenti, plurima morborum genera imputentur: ſunt autem afficiendi rationes, quibus lien male diſpoſitus paſſionis hypochondriacæ ſymptomata producit, aut ſaltem eorum ortui contribuit, potiſſimum hæ ſequentes.

*In producendis ſymptomatis lienis influentia explicatur.*

Sc. primo interdum accidit ſpongioſam lienis ſubſtantiam, a ſanguinis fæce poris ejus nimis impacta, ibidemque ſtagnante plurimum inferciri ac obſtrui; ut deinceps maſſæ ſanguineæ recrementa haud ſatis excipiat: quin eadem illuc delata, ſed minime ſuſcepta, in arteriæ cæliacæ ramos propinquos regurgitent, unde ſtatim in ventriculi membranas omentum meſenterium, aliaſque partes vicinas deferuntur, iiſdemque affigi ſolent

lent; hinc viſcerum iſtorum tonus in tantum labefactatur,ut circa chyli coctionem debita munia haud rite exequantur, & membranæ circumquaque conſitæ, particulis heterogeneis, & irritativis plurimum imbutæ, ſiquidem fere continuo vellicantur, a ſpaſmis hic illic ſuſcitatis, doloribus vagis,contracturis, diſtentionibus, & flatuum proventui graviter obnoxiæ fiant; propter hujuſmodi ſanguinis a liene obſtructo regurgitationem, veriſimile eſt pulſationem iſtam, quæ in hypochondriacis ſubtus ventriculum ſentitur, excitari.

2. Cum ſanguinis fæculentiæ, liene obſtructo excluduntur, partibus ei vicinis, uti dictum eſt, affixæ, ſiniſtri hypochondrii affectionem valetudinariam pariunt: at vero licet viſcus illud ſuccum atrabilarium e cruore per arterias advectum ſatis excipiat, ſæpe tamen eundem haud rite coquit, verum ſale plurimum exaltato, in humorem nimis acidum, aut auſterum, vel alius generis vitioſum pervertit; quo, cum tota maſſa ſanguinea, atque ſucci alibilis in ſinu ejus contenti penus inficiuntur, ſeminii hypochondriaci fructus in toto corpore repullulant; ſanguis indebito efferveſcens, in quibuſdam partibus impetuoſius agitatur, ſimulque in aliis ſtagnare aptus eſt: hinc lienoſis familiare eſt, ſtatim a paſtu, faciem rubeſcere, manuum volas incaleſcere, hypochondria æſtuare, cordis oppreſſiones, atque pulſus variationes inſignes ſuccedere: Cæterum particulis iſtis fermentativis e ſanguine in partes ſolidas ubique tranſlatis, dolores vagi hinc inde tranſcurrentes, & punctionum ſenſus, in pleriſque corporis membris accientur: porro ab hoc cruoris inquinamento,ſiquidem maſſa ejus a temperie benigna & balſamica in ſalſam & tartaream mutatur, corporis habitus macilentus cum vultu lurido & obfuſco inducitur.

3. E ſanguine ita lienis culpa depravato, etiam regimini animali labes ſæpenumero infertur; nam particulæ heterogeneæ & ſpaſmodicæ non raro incerebrum, indeque in nervoſum genus ſuffunduntur

funduntur; ita ut ſpiritus animales in utraque provincia degentes, varias anomalias concipiant: propter noxam τῶ ἐγκεφάλω impreſſam, hypochondriaci variis phantaſmatis, & cogitationum mole, fluctuationibuſque tentari ſolent: inſuper iis crebræ vertigines, ſcotomiæ, cephalalgiæ, & non raro affectus paralytici contingunt: dein quatenus materies morbifica e capite in nervoſum genus prolabitur, affectiones ſpaſmodicæ in pleriſque corporis partibus, potiſſimum vero circa præcordia, ac imi ventris viſcera excitantur: cum enim ſpiritus intra nervos, qui partes iſtas reſpiciunt, ſcatentes, propter animi affectus valde perturbantur, particulæ ſpaſmodicæ iſtos ductus promptius ſubeunt, illiſque ſpiritibus diatheſin convulſivam facilius imprimunt: Itaque partim ob labem, mediante cerebro tranſmiſſam, partimque ob noxam a liene (uti oſtenſum eſt) immediate communicatam cordis palpitatio, tremor,& frequens deliquium, pectoris conſtrictiones, reſpirationis impedimenta,ſtomachi dolor,rugitus, vomitus, & multa alia in iſtis viſceribus accidentia hypochondriacis contingunt.

4. Præter hujuſmodi inordinationes, quæ ſanguinis trajectu a liene in humores & partes ſolidas,ipſumque cerebrum,& nervoſum genus, derivari ſolent,ſunt & alia præterea mala,quæ ab hoc viſcere,etiam nervorum commeatu exoriri videntur: quippe cum eorum propagines extremæ, ipſæque fibræ nerveæ viſceribus intertextæ, extimis ſuis oſculis humorem quendam imbibere, ipſumque nonnunquam ſurſum convehere oſtendimus; ſumme probabile eſt, fibras nerveas lieni diſpertitas (quarum prout modo innuitur ingens ſatellitium eſt) ſuccum ejus acerrimum ſuſcipere, qui ductus nerveos altius perreptans, motuum convulſivorum cauſa exiſtat: Revera quod inter cerebrum & lienem tam intima commercia habentur, nimirum longe citius, quam quæ per ſanguinis ambages fieri poſſint, opinari liceat,nervos paris vagi & intercoſtalis,proximam commeatus viam eſſe, qua hæ partes invicem communi-

cant,

cant, ac ſeſe mutuo afficiunt. videtur enim quod cum atra bilis in liene, aut ſponte turgeſcit, vel a cauſa quadam evidenti commovetur, particulæ ejus fibras nerveas, eidem denſiſſime diſtributas, ſubeunt, quæ ſpiritus animales in iis ſcatentes perturbant, inque exploſiones, aut ſaltem ἀταξίας quaſdam adigunt: dein ſpiritus ita perturbati proximos, illique alios afficiunt; donec continuata ipſorum ſerie, paſſio intra lienem incepta, uſque ad cerebrum propagetur, ibidemque phantaſmata inordinata qualia hypochondriacis accidunt, producit: etiam vice verſa, cum gravis animi affectus intra cerebrum occaſionaliter excitatus, ſpiritus ejus incolas moleſtat; impreſſio phantaſiæ oblata, ſpirituum intra nervos paris vagi & intercoſtalis conſitorum ſerie, & affectione ſucceſſiva, uſque ad lienem perducitur; hinc fermentum ejus magis commotum, tum in viſcere iſto, tum in tota vicinia, fibrarum, & membranarum ſpaſmos ciet; & inſuper ſanguinem influxus & refluxus, variaſque æſtuationes cogit; quin & ſpirituum perturbationes, in cerebrum reflectit. Ab hujuſmodi reciproca cerebri, & lienis affectione accidit, quod hypochondriaci adeo ſunt irrequieti, inſtabiles & propoſito quovis fluctuantes, quaſi, juxta Poetam, decem animi in iis una certarent.

Vir quidam illuſtris, temperamenti malancholici, & ſemper pro lienoſo habitus, de dolore & inflatione hypochondrii ſiniſtri, crebro rugitu, ructu acido, nec non de tremore cordis, aſſidua vertigine, nimiis vigiliis, & phantaſia perturbata plurimum conqueſtus erat: circa trigeſimum quintum ætatis ſuæ annum, morbo ingraveſcente, ſomnum ægre, ac raro admodum capeſſere noctu, & interdiu cogitationum æſtu, & fluctuatione moleſtari, res omnes, ac perſonas ſuſpectas habere, & objecta quævis valde pertimeſcere cœpit: præcordia plurimum conſtringi, & coarctari, atque in imum ſubſidere videbantur, quaſi cor ipſum uſque in ventrem deprimeretur, quo ſymptomate urgente, valde mœſtus, & animo dejectus evaſit,

poſtea tamen, remittentibus iſtis animi affectibus, una cor paululum elevari, ſimulque præcordia relaxari, & dilatari perſentiebat: porro dolores, & contractiones circa viſcerum ac membrorum muſculos varie excitatos, & huc illuc diſcurrentes creberrime ſuſtinebat.

1. *Obſervatio* Quoad morbi naturam, facile conſtat, affectionem hanc ejuſmodieſſe, quæ vulgo hypochondriaca appellatur; quod vero ſpectat ad ſymptomatum admirandorum cauſas, ſupponere licet, ſanguinis maſſam degenerem, & fæculentiis atrabilariis refertam recrementa ſua aduſta capiti continuo ſuggerere; unde liquor cerebrum, & nervos irrigans acris, & ſpiritibus improportionatus factus, corpora continentia in corrugationes dolorificas, & contracturas irritabat: porro cum a capite, in nervos paris vagi & intercoſtalis hæc labes præcipue derivatur, cerebrum & præcordia noxam inde ſuſcitatam quam maxime luunt. Quod autem ſanguis eo ritu depravatur, lienis vitio imputandum videtur, in quantum hoc viſcus perperam habens, fæculentias atrabilarias a ſanguine non recte ſecernit, quinimo & recrementa quæcunque ab illo ſuſcipit, amplius pervertit, eademque in fermentum noxium exaltata cruori remandat, proindeque maſſam ejus plurimum inquinet, dyſcraſia acetoſa & plane vitriolica imbuat.

Obvium eſt intelligere, ſymptomata iſthæc caput moleſtantia, ſc. vigilias nimias, vertiginem, phantaſiam perturbatam, cum multis aliis a particulis heterogeneis, e ſanguine in cerebrum ſuffuſis procedere: Quoad iſtam pectoris anguſtiam & cordis ſubſidentiam, cum inſigni metu & triſtitia, opinari licet fibras nerveas cordi, ac imprimis pericardio inſertas, in ſpaſmos & corrugationes actas, partes iſtas conſtringere, & deorſum convellere; quapropter in toto pectore velut conſtrictio quædam ſentitur, & cor ipſum deprimi videtur: porro in quantum præcordiis ita conſtrictis & depreſſis, ſanguis intra cordis ſinus ſiſtitur, ac velut ſtagnare cogitur, anima tum vitalis, tum ſenſitiva a ſolita expanſione. & irradiatione

diatione plurimum inhibetur, proindeque a ſyſtaſi ejus diminuta, & decurtata, immanes iſti metus & triſtitiæ affectus oriuntur; cum vero ſpaſmis remittentibus, iſta cordis & appendicis ejus conſtrictio relaxatur, etiam anima, velut flamma amplius expanſa, paſſionum iſtarum catenas paululum excutere nititur. Pro curatione iſtius affectionis quam plurima remedia & adminiſtrationes medicas a longo tempore uſurparat, ſine magno tamen fructu, demum aquarum acidularum uſu aliquantulum ſublevatus, & exinde ſenſim melius habens, a gravioribus iſtis ſymptomatis immunis evaſit, uſque tamen affectui hypochondriaco obnoxius degit.

Juvenis quidam Academicus, temperamenti originaliter ſanguinei, εὔσαρκος, vultus floridi, indolis benignæ, ac mitis, propter ſtudia immodica & intempeſtiva, interim exercitio & victus ratione prorſus neglectis, lienis obſtructionem aliamve iſtius viſceris affectionem morbidam contraxerat: quippe aderat ſiniſtri hypochondrii inflatio & tumor; cum dolore gravativo fere continuo ipſum infeſtante, cætera ſatis ſanus habebatur. Poſtquam hujuſmodi affectu ſeſquiannum circiter laboraſſet, de crebra vertigine, oculorum obfuſcatione, mentis inquietudine, & de ſomno perturbato queri cœpit: quæ ſymptomata tunc obvium fuit vaporibus a liene elevatis imputare: deinceps vero tremor cordis, cum frequenti ſpirituum deliquio, hypochondrii pulſatio, ac tandem dolores & contractiones in membris exterioribus, cum crebro ſtupore, & formicationis ſenſu hucilluc excurrentibus, ſuccedebant; denique ut malorum iliade correptus, contra genium ſuum, nativamque indolem valde hypochondriacus evaſerit. 2. Obſervatio.

Ut caſus hujuſce pathologiam verbo expediam ſatis hic conſtare videtur lienem in vitio primum fuiſſe; cujus culpa cum maſſa ſanguinea depravaretur, exinde labes in humorem cerebrum & nervoſum genus irrigantem ſerpens, eumque inquinans, ſymptomata prædicta ſpaſmodica inducebat.

*Medendi methodus contra affectiones hypochondriacas,*

Methodus therapeutica contra affectiones hypochondriacas adhibenda, indicationes potiſſimum has quatuor generales appetit, ſc. 1. Imprimis ut curationis impedimenta tollantur; cujuſmodi intentio primarum viarum purgationem & cuſtodiam præcipue reſpicit. Secundo innitendum erit, ut lienis obſtructiones, aliæve inordinationes corrigantur. Tertio, ut maſſæ ſanguineæ tum recrementa expurgentur, tum debita craſis reſtituatur. Quarto, denique ut cerebri & nervoſi generis, nec non humoris irrigui, ac ſpirituum incolarum enormitates, ſanguinis, ac lienis culpa contractæ, emendentur, aboleanturve. Cum ſimul in plures, aut omnes hoſce ſcopos collimandum fuerit, tempora idonea eligantur, quibus ſingulis propoſitis abſque cæterorum incommodo aut neglectu ſatisfiat.

1. Quoad primam indicationem, cum ingens materiæ crudæ, aut aduſtæ ſaburra in primis viis congeri, cumque ventriculi tonus labefactari, ejuſque fermentum varie perverti ſolet, contra hæc cujuſque generis mala cum idoneis remediis tempeſtive occurratur; itaque blandæ, & lenes evacuationes, & per vomitum, ſi facile ſuccedat, & per ſeceſſum adhiberi debent: quibus ſtomachus contenta ſua facile ſurſum ejicit, ſuadeo ut ſemel intra menſem, aſſumpto liquore ſcillitico, aut ſale vitrioli, atque cerevicia lacteata, aut aqua tepida copioſe epota, vomitus crebra vice provocetur; intermedio tempore purgatio lenis, & tantum ἐκκοπρωτικὴ ſæpius inſtituatur: in hunc finem pilulæ Tartareæ Bontii, aut ſtomach. cum gum. vel extractum noſtrum ſolutivum ex uſu eſſe poterint. ℞. Sennæ opt. ℥j. rhabarbari ʒ vj. epithymi ʒ iij. ſantali citrini ʒij. ſalis abſynthii ʒij, ſpicæ celticæ ʒ j. inciſa & contuſa digerantur in vini albi & aq. fumariæ an. ℥ x. per horas 48. colatura clara evaporetur leni balnei calore ad conſiſtentiam extracti addendo circa finem pulv. ſennæ rhabarbari & cremoris tartari an. ʒ ij. terantur ſimul in mortario vitreo, redigendo in conſiſtentiam pilularum. Doſis ʒ ß. ad ℈ij. vel ʒ j. remedia ventriculi tonum

ac

ac fermentum ſpectantia, cum multiplicia, ac diverſimoda fuerint, ex iis cujuſque ventriculi craſi maxime accommoda ſeligantur; namque huic amara, illi ſalſa, alteri acida, aut forſan acria melius competunt. Ex hujuſmodi medicamentorum (quæ vulgo digeſtiva appellantur) cenſu, ſunt, elixir proprietatis, tinctura ſacra, pulvis Ari compoſitus, ſal abſynthii, cremor tartari, tartarus vitriolatus, vitriolum martis, cum multis aliis. Præter hæc remedia interna, etiam externæ applicationes non raro juvamen conferunt: quippe ſtomacho male affecto, fotus ex vino albo cum abſynthio, centaurio, aliiſque plantis amaris incoctis, etiam linimenta, aut emplaſtra ſæpe opem præſtant: de quibus non opus erit particulatim differere; ipſorumque medicamentorum formulas præſcribere.

2. Indicatio lienis vitia emendare inſtituens (ſive nimirum eadem, obſtructio, ſive tumor, aut dolor, vel ſimplex dyſcraſia, fuerit) per remedia tum interna, tum externa perfici, aut ſaltem tentari ſolet: Quæ prioris generis ſunt, cum iſtis tertio in loco indicatis (quibus ſc. ſanguinis depuratio intenditur) coincidunt; quippe cum præcipuum, aut fere totum illud, quod lieni importatur, aut effertur, ſanguinis commeatu fiat, tum laticis, hujus, tum viſceris iſtius anomaliæ, opere ſociali, conjunctis medicamentorum viribus ſanari debent; quo ritu mox oſtendetur; interim applicationes quædam externæ ſub forma emplaſtri, aut linimenti, aut fotus lienis corpus proprius & immediatius reſpiciunt, & non raro juvamen inſigne conferunt, quatenus nimirum tumores diſcutiunt, fæculentias atrabilarias inibi ſtagnantes circulationi reddunt, quin & fibrarum corrugationes, & affectiones ſpaſmodicas ſedant, ac compeſcunt. Hujuſmodi medicamentorum exteriorum copia ingens paſſim apud authores proſtat, quorum delectus, cum juxta varia lienis pathemata, tum diverſas patientis conſtitutiones inſtitui debet, non opus erit particulares eorum formulas hoc in loco tradere.

3. Remedia tertio in loco indicata,quæ nempe ſanguinis dyſcraſias lienis vitio contractas deponunt, ſimulque primariam lienis culpam eluunt, multiplicia, ac diverſi generis, & moris exiſtunt; quorum delectus juxta variam hujus ac illius labem adhiberi debet:Ex his alia ſunt compoſitiora, juxta medici præſcriptum paranda, prout electuaria ,pulveres, apozemata , tincturæ , infuſiones, & ſimilia ; alia ſunt ſimpliciora,prout ſerum lactis, lac aſininum, aquæ acidulæ & thermales.

Duo ſunt præcipui ægrotantium caſus , quibus remedia magiſtralia,ſecundum eorum vires & qualitates accommodari debent : nempe aut ſanguis eſt craſſus, ſubfrigidus,& terreſtris cum liene obſtructo,qui medicamenta calidiora, fermentantia, ac imprimis chalybeata requirit ; vel ſanguis plane aduſtus,ac fervidus ſupra modum fermenteſcit, ſimulque hypochondria valde æſtuant , in iiſque ſanguis & vapores ebulliunt; in quo ſtatu remedia ſolum temperata, humorum ζέσιν immodicamque ζύμωσιν ſedantia indicantur, ubi chalybeata omnino fugienda ſunt.

Cum itaque frigido ventriculo ſanguinis ac lienis dyſcraſiæ,etiam frigidæ acceſſerunt,juxta formulas ſequentes præſcribere ſoleo:

℞. Trochiſ.de rabarbaro, pulv. rad. Ari, cort. Winterani an.ʒ ij.rad.ſerpentariæ virginianæ,contrayervæ,diatrion ſantalon, oculor. cancri an. ʒ j. extracti gentianæ, centaurii an.ʒ. j. ß. ammoniaci ſolut. in aq. lumbricorum q.ſ.f maſſa pilularis. capiat quatuor pilulas mane,& hora quarta p.m.ſuperbibendo hauſtulum vini abſynthitis, vel chalybeati,cum exercitio moderato.

℞. Conſerv. flavedinis aurantii , limonii an. ℥ iij.myrobalanor. condit. no.ij.ſpec.aromatici roſat.cort.Winterani an.ʒ ij. ſalis abſynthii ʒ ij. vitrioli martis ʒ j.(vel chalybis præparat.ʒ iij.)cum ſ.q.ſyr.e corticibus citri, f.electuarium. capiat bis in die ſuperbibendo hauſtum vini abſynthitis, vel infuſionis corticis vel flor. tamariſci.

Quibus medicamenta non niſi in forma eleganti , & mole perexigua placent , tincturas antimonii,

nii, e coralliis, etiam e chalybe cum ſpiritu vini (corpore prius per propria menſtrua ſoluto, & ad calcem redacto) paratas exhibere convenit: quin & ſpiritus fuliginis, item ſanguinis, aut C. cervi ad gut. 12. plus minus bis in die cum liquore appropriato ſumendos, commodo inſigni, ſupra quodvis aliud medicamentum ceſſiſſe novi: porro potus aſſiduus *Coffee* dictus, etiam alter ex infuſione foliorum *Thee* paratus, nonnullis emolumento fuerunt.

Quod ſi affectioni hypochondriacæ ſanguinis fervor, & nimia ζύμωσις, cum lienis æſtu, & mentis inquietudine conjungitur,

℞. Conſervæ fructus cynosbati ℥ vj. (vel flor. tamariſci, & foliorum lujulæ an. ℥iij. )ſpec. diarrhodon abbatis, confectionis alchermes an. ʒj. eboris pulv. ʒj. ß. margarit. ʒ ß. ſalis tamariſci, abſynthii an. ʒ j. c. ſ. q. ſyr. acetoſitatis citri, vel cariophyllor. f. opiata, capiat bis in die qu. nucis muſchat.

℞. Eboris pulv. ʒij. margarit pulv. ʒ j. ſpec. diarrhod. abbatis, diamargarit. frigid. an. ʒj. ß. f. pulvis ſubtilis; adde ſacchari albiſſimi ſolut. in aq. Meliſſæ, & ad tabulat. coct. ℥ vj. f. a. f. tabulæ. ſumat. ʒ j. ß. ad ʒ ij. bis in die. His, aliiſve hujus farinæ medicamentis adjungatur uſus aquarum acidular. quæ quidem in altero, immo in quibuſvis melancholiæ hypochondriacæ caſibus, fere ſemper cum fructu ſumuntur. Defectu illarum aquar. noſtræ acidulæ artificiales bene ſubſtituantur; quin & ſerum lactis, & ſi atrophia notabilis adfuerit, lac aſininum quotidie ſumatur.

Præter hæc remedia interna, aliaſque applicationes externas ſupra citatas, phlebotomia, aut ſanguinis e venis ſedalibus hirudinum ſuctu detractio in crebro ſit uſu: quin & venam ſalvatellam, juxta veterum præſcripta nonnunquam ſecare conveveniat: Porro cauteria aut fontanellæ, quæ ſanguinis aduſti recrementa foras continuo derivent, & paulatim excernant, fere nulli non commodo eſſe ſolent.

4. Quarta indicatio, cerebri, ac nervoſi generis

affectiones,ſive ſymptomata ſpaſmodica prioribus ἐπιγινόμενα reſpiciens, raro per ſe,ac ſeorſim ab aliis in uſu venit, quin remedia huic ſcopo deſtinata,cum ſupradictis complicentur. Liquores ſale volatili, aut armoniaco præditi, prout ſp.C.cervi, fuliginis, huic intentioni, ſimulque non raro cæteris modo citatis adprime conveniunt; quapropter talia remedia, niſi quiddam contra indicat, opportuna hora quotidie exhibeantur. Porro cum aq.acidulæ bibuntur, tabulæ, aut pilulæ, quales ſupra ad affectiones ſpaſmodicas præſcribuntur, ſaltem bis in die capiantur. In crebra vertigine & ſcotomia, nec non in cordis paſſionibus ſpirituum deliquiis, cum timore, & mortis quaſi jamjam imminentis metu,a mediacamentorum chalybeatorum uſu inſigne juvamen ſæpius collatum novi.

*Medicamentorum chalybeatorum præparationes & effectus explicantur.*

Quandoquidem hic mentio incidit de medicamentis chalybeatis, operæ prætium videtur inquirere in varias eorum præparationes, & propterea in diverſimodos, quos in corpore humano producere ſolent, effectus, hinc ut conſtet, qua ratione, & ob quos reſpectus, hæc aut illa ferri præparata nonnullis hypochondriacis inſigniter proſint,atque aliis plurimum obſint.

Medicamentorum chalybeatorum virtus,& operatio a concreti particulis vario modo reſolutis, explicatis, & in actum exertis dependet: Enimvero chalybs ſive ferrumpotiſſimum conſtat ex ſale,ſulphure & terra; ſpiritu, & aqua tenuiter admodum dotatur:priorum vero elementorum particulæ, præſertim ſulphureæ, ac ſalinæ in mixto, una cum terra combinatæ, fixæ prorſus ac inertes manent; verum ſolutæ, ac ab invicem divulſa ἐνεργείας valde efficacis exiſtunt.

Prædictæ particulæ duplici modo diſſolvuntur, & in actus libertatem vindicantur, ſc. vel ab arte, dum medicamenta parantur, vel a natura poſtquam intus aſſumuntur; corpus enim metallicum a ventriculi fermento, non ſecus ac a menſtruo chymico corrodi, ac ſolvi ſolet: ſingulas utriuſque ſpecies, & fiendi modos perpendamus, ut conſtet

conſtet qualis alteratio medicamento ferrato inter præparandum imprimitur, & quales effectus quodlibet ejus præparatum corpori humano imprimit.

Simpliciſſimus ferri parandi modus, eſt corporis ejus in partes exiguas integrales, per limaturam diviſio, quæ totius mixti naturam referunt, continentque corpuſcula tum ſulphurea, tum ſalina inter ſe, cumque aliis terreſtribus combinata. Limatura ferri intus ſumpta a ventriculi fermento, tanquam a menſtruo acido diſſolvitur; cujus indicia ſunt tum ructus ſulphureus, & niodoroſus, velut a comeſtis ovis ad duritiem coctis, tum excrementi ſtercoracei nigredo: a chalybe intra coctionis viſcera diſſoluto, particulæ activæ tum ſulphureæ tum ſalinæ, copioſe exiliunt, atque ſucco nutritio involutæ in ſanguinem evehuntur; quæ cum diverſa pollent virtute, non raro utræque velut junctis viribus, in ægroti commodum conſpirant. Corpuſcula ſulphurea ſanguini illata, ipſi novum ac uberius ſulphuris penum addunt; propterea ut maſſa ejus, ſi antea pauperior & effœta fuerit, intra vaſa vegetius fermenteſcat, & ulterius in corde accenſa calorem magis intenſum quin & colorem ſaturatiorem acquirat; Ita namque obſervare eſt de pleriſque leucophlegmatia, pica, & malacia affectis, vultus palleſcit, ſanguis frigidus, & aquoſus exiſtit, a chalybis autem uſu brevi vultus floridior, cruor, tinctura, & calore intenſioribus imbuitur: porro a limatura ferri in ventriculo ſoluta, etiam particulæ ſalinæ efferuntur, & non raro tum in partes ſolidas, tum in humores uberem fructum erogant; nam iſtæ ſiquidem naturæ ſunt vitriolicæ & ſtipticæ, viſcerum fibras nimis laxas; & debilitatatas adſtringunt & corroborant, adeoque tonum præfractum reſtituunt: cæterum particulæ iſtæ ſalinæ ſanguinis impetum inhibent, ab æſtu nimio, ſpumaque turgeſcentia reprimunt; & in æquabili circulatione retinent: inſuper (quæ maxima illarum virtus eſt) arteriarum oſcula nimis laxa; aperta, & dehiſcentia contrahunt & anguſtant; proinde ut nec

nec ſerum,nec latex ſanguineus exudet,aut circuitus filum abrumpat:Quapropter in hydrope & hæmorrhagiis,remedia ſalinis ferri particulis imbuta, celeberrimi ſunt uſus, & efficaciæ; plures enim morbi ab hac cauſa procedunt, in quantum arteriarum oſculis nimis patentibus,& vaſorum interſtitiis ſupra modum laxatis, ſerum aut latex ſanguineus erumpit. Cujuſmodi affectibus particulæ chalybis vitriolicæ,& vaſa ſanguifera,&fibras nerveas conſtringendo & corroborando ſæpenumero medentur.

Ad hunc modum limatura chalybis, intus aſſumpta ſanguini & calcaria, & fræna ſimul adjicere videtur. In quantum vero ab iſtiuſmodi medicamento incitatio longe potentius exeritur quam reſtrictio; idcirco illis tantum, quorum ſanguis valde craſſus & frigidus eſt, uti ruſticis & valde robuſtis, exhiberi debet; in ſanguine præfervido & ſpirituoſo, ac viſceribus calidis, minime convenit: porro in delicatulis,& tenerioris conſtitutionis hominibus periculum eſt, ne chalybis portiunculæ, cum ſatis diſſolvi nequeant, tanquam vitri ramenta, viſcerum membranis impingantur,ii ſque pertinaciter adhærentes, ulcera, & tormina lethalia producant, quod revera interdum accidiſſe novi.

2. Poſt limaturam ferri proximus ejus parandi modus ſit, calcinando cum ſulphure, nempe chalybis laminæ intenſiſſime ignitæ,magdaleon ſulphuris admovetur, ut metallum in globulos liqueſcat, qui denuo ad conſumptionem ſulphuris calcinati, ac mortario triti, in pulverem ſubtilem, qui eximii uſus eſt, rediguntur. In hoc ferri præparato particulæ quæ dam ſulphureæ exhalant, cujus indicium eſt, quod pulvis hic a liquore acido affuſo longe minus ebullit, aut incaleſcit, quam ferri limatura: attamen ab eodem ore aſſumpto, nidor ſulphureus excitatur. Interim in præparato iſto particulæ ſalinæ nonnihil augeri videntur novis a ſulphure flagrante metallo accreſcentibus; adeo ut utriuſque generis particulæ activæ, nempe ſulphureæ ac ſalinæ, fere ad æquilibrium accedunt:

cumque hac ratione medicamentum hoc, laxata metalli compage, minutiſſime pulveriſari poſſit, longe preſtantioris uſus quam limatura ferri evadit: in pleriſque caſibus ubi chalybs in ſubſtantia exhiberi debet, prout in cachexia, pica virginum, & ſimilibus, hoc medicamento uti convenit.

3. Tertio in loco ſuccedit chalybis præparatio cum aceto: nempe limatura chalybis totius irroratur cum aceto & exiccatur, donec in pulverem impalpabilem reduci queat: in hac præparatione particulæ ſulphureæ adhuc longe plures, immo quoad maximam partem evaporant, paucioribus tantum relictis, interim ſalinæ, propter alias ab aceto accreſcentes, plurimum augentur, quæ cum particulis terrenis commiſcentur: pulvis hic chalybeatus a liquore acido aſperſo parum, aut vix omnino ſpumat, aut ebullit: etiam ore aſſumptus nidorem ſulphureum vix ullum inducit: quare in expediendis viſcerum obſtructionibus, aut reſtituendo ſanguinis fermento minus conducit: nihilominus in calidiori conſtitutione, in hæmorrhagiis, & affectione hypochondriaca majori ſucceſſu quam ſuperiora præparata exhiberi ſolet.

4. Succedit ferri rubigo, quæ corporis metallici extractum, ſive quinta eſſentia eſſe videtur: quippe in excreſcentia iſta particulæ quædam cujuſque generis, nempe ſulphureæ, ſalinæ, & terrenæ a totius compage ſolutæ, inter ſe combinantur; & novum quaſi mixtum magis ſubtile, & defæcatum conſtituunt. Quoniam in hoc concreto, pauciores reſident ſulphuris particulæ, idcirco non adeo potenter ſanguinem fermentat, aut viſcerum obſtructiones reſerat, uti chalybs cum ſulphure præparatus, attamen in calidioribus partium aut humorum dyſcraſiis, intentiones a medicamento chalybeato requiſitas egregie perficit.

Huic claſſi noſtra præparatio chalybis jure accenſetur; in qua ſc. metalli particulæ omnes a mixtionis vinculo laxatæ, una continentur: quæ tamen (concreto prius in pulverem redacto) in

quovis

quovis latice, aut menſtruo immediate diſſolvuntur. Hic pulvis intus ſumptus pari vitute, ac chalybs cum ſulphure calcinatus pollet; at menſtruo, ſive liquori, in quo diſſolvitur, particulas ſalinas, ſeu vitriolicas potiſſimum, ac fere tantum impertit, ſulphureis avolantibus, & terrenis in fundo ſubſidentibus. Aquam communem hujus diſſolutione imprægnatam, vice acidularum naturalium in magna quantitate exhibere ſoleo, & non raro cum optimo ſucceſſu: porro vinum, cereviſiam, pomaceum, ſerum lactis, alioſque liquores ab hoc pulvere diſſoluto medicatos efficio, & popter varias intentiones iatricas ſumendos præcipio. Hæc de ferri præparatis, in quibus particulæ elementares cujuſque generis, in varia licet proportione comprehenduntur: reſtant alia in quibus particulæ fere tantum unius generis, nempe ſalinæ, aut terreſtres, cæteris, quoad maximam partem, propulſis, relinquuntur: cujuſmodi imprimis ſunt vitriolum martis, ſive ſal chalybis & crocus martis.

5. Pro conficiendo vitriolo martis, imprimis metallum a liquore valde acido & corroſivo exedi, & in partes elementares diſſolvi ſolet: inter diſſolvendum particulæ ſalinæ menſtrui aliis ferri ſalinis impinguntur, iiſque intime combinantur, reliquis interim ſulphureis, ac terrenis ſepoſitis, & a conſortio excluſis; dein aqua communi ſolutioni iſti affuſa, ſales utriuſque generis combinati a liquore inbibuntur, eoque demum filtrato, & evaporato, in chryſtallos rediguntur. Hujuſmodi ſalificatio ſuccedit, ſive cum ſpiritu vitrioli, oleo ſulphuris aqua ſtygia, aliiſque ſtagmatis mineralium ſtillatitiis proceditur: Quinimo ſal armoniacus tantum deliquio ſolutus ferrum eodem ritu diſſolvit, & ad chryſtallandum diſponit.

Sal martis ita præparatus, ſaporem ſubdulcem, cum aſpera quadam ſtipticitate refert, & naturæ vitriolicæ in tantum participat, ut a cuperoſa viridi haud multum differre videatur: Intus pro medicina ſumptus, humores aliquatenus fermentat, atque fibras nervoſas potentius conſtringit: in ca-

I 5 chexiis

chexiis frigidis & phlegmaticis, quoniam nullæ exeruntur ſulphuris particulæ,hoc medicamen minus convenit: in calidioribus viſcerum dyſcraſiis cum ſulphuris aduſti prædominio, nec non in ſanguinis, & ſucci nervoſi efferveſcentiis vagis, ſcorbuticis, & inæqualibus,illud per ſe,aut cum aliis remediis ſtimuli vice admixtum non raro cum fructu adhibetur: attamen in conſtitutionibus tenerioribus periculum eſt, ne ab acrimonia ejus, & conſtrictione nimia, ventriculi tonus & fibræ lædantur.

6. Ultimo in loco ſuccedit crocus martis aſtringens, per diuturnam ab igne calcinationem paratus; ſc. ferri limatura, ſcoriæ, aut laminæ in fornacis reverberio ita collocentur, ut a flamma intenſa continuo lambantur: Limatura hoc modo igni nudo expoſita, primum aliquatenus rubeſcet, ac in glomeres duriuſculos concreſcet; poſt tres, autem vel quatuor dies, ſubito in acervum altiorem intumeſcens, ſumme levis, impalpabilis, & coloris purpurei elegantiſſimi evadet: In hoc præparato particulæ ſulphureæ & ſalinæ, dum vi ignis a concreto abigi incipiunt, ſe mutuo apprehendunt, adeoque invicem combinatæ in glomeres accreſcunt; poſtea tamen particulis iſtis, tum ſalinis tum ſulphureis, penitus profligatis,igneiſque in eorum loco ſuccedentibus, tota maſſa mole intumeſcens, & velut ſpongioſa facta, leviſſima evadit.

Medicamentum ita paratum in quibuſdam caſibus, uſus egregii, & nulli e chalybeatis ſecundi exiſtit: nimirum in omni ſeri ac ſangninis extravaſatione, aut eruptione nimia, prout in hæmorrhagiis externis, interniſve, in diarrhœa, diabete, in catarrho vehementi, etiam in aſcite, aut hydrope incipiente nihil hoc remedio præſtantius novi: hoc etiam nuper, a celeberrimo. & exercitatiſſimo apud noſtrates Medico ſumme comprobatum audivi: De quo tamen medicamine, ſiquidem illud particulis, tum ſalinis, tum ſulphureis prorſus deſtitutum,fere ſolummodo terrenis igneiſque incluſis conſtat, valde ambigitur, qua facultate

te

te operatur, & affectum ita laudabilem in corpore humano producit: videretur enim nihil huic pluſquam, ac in vitrioli, aliorumque mineralium igne intenſiſſimo deſtillatorum, capite mortuo, aut terra damnata ſupereſſe. Circa hæc, ut conjectari liceret, videtur imprimis, quod huic præparato activitas quædam, qua ſeſe exerit, & virtutes ſuas, ſive obſtructiones reſerandi, ſive vaſa fibraſque viſcerum nerveas conſtringendi, explicat, a particulis igneis terræ fixiſſimæ incluſis, ab iiſque intra corpus, erumpentibus debeatur: attamen potiſſima juvaudi ratio in eo conſiſtat, quod particulæ terreſtres ſalinarse (quibus arctiſſime tenebantur) prorſus orbatæ, iiſdem, aut ſimilibus reuniri avidiſſime expetunt: quapropter iſte crocus martis corporibus noſtris immerſus, ſales quoſcunque obvios ſibi arripit, ac intime devincit, adeoque dum particulas ſalinas quamplurimas velut ſpongia abſorbet, multas enormitates a ſalium fluore potiſſimum abortas tollit. Sub hac ratione C. cervi uſtum, ſpodium, & antimonium diaphoreticum, ſi quando juvamen præſtant, virtutes ſuas exerunt.

CAPUT.

## CAPUT XII.

### *De tuſſi, ac aſthmate, convulſivis:*

TUſſim aliquando, ſine magno pulmonum vitio, propter materiam morbificam, nervis pneumonicis illapſam, excitari, hiſtoria ſuperius allata clare indicat: ubi nimirum refertur, in caſu nobilis puellæ, paroxyſmis convulſivis, ac inſuper vertigine gravi & continua laborantis; quod cum, ex medici præſcripto, fotus ex decocto cephalico capiti adhiberetur, illico ſcotomia ceſſaret, inque vicem ejus, tuſſis inanis, ſine ullo ſputo, ſed dies & noctes fere perpetuo moleſta, ſuccederet: quod proculdubio contigit, ob materiam ſpaſmodicam, a cerebro in nervorum origines depulſam: Hujuſmodi exempla tuſſis mere convulſivæ in adultioribus rarius occurrunt, ut affectum huic ſimilem haud ſæpius viderim: attamen uſitatum eſt in pueris (quandoque etiam novi in viris) tuſſim a colluvie ſeroſa pulmones inundante exoriri; quæ cum primo ſimplex, & moderata fuerat, poſtea vehemens, & convulſiva evadet; ita nimirum ut inter tuſſiendum, diaphragmate ſurſum contracto, ac in ſyſtole longiori, aut creberrime repetita, detento, pulmones valde coarctati, in motu ſuo plurimum inhibeantur: interim ob reſpirationem impeditam, & ſanguinem intra præcordia cohibitum, proindeque in aliis locis ſtagnantem, laborantes ſuffocari periclitentur, & non raro vultum lividum, aut cadaveroſum acquirant. Cæterum in hoc caſu, præter ſpaſmos cum tuſſiendi impetu, circa præcordia excitatos, non raro etiam ventriculus in conſenſum adductus, quicquid ſinu ſuo continetur, vomitu rejicit: quin & novi, in quibuſdam tenellulis hoc ritu affectis, morbum ſubinde in alias partes graſſatum, motus convulſivos in facie, oculis ac artubus excitaſſe, ac demum lethalem evaſiſſe. Hujuſmodi tuſſis convulſiva, inter pueros valde frequens eſt, &

*Tuſſis mere convulſiva exemplum.*

*Hic affectus in pueris ſatis frequens.*

& quibuſdam annis ita plurimos corripit, ut plane epidemica videatur; ubi radices egit, difficulter admodum remediis ſanatur, quin ſæpius diu protracta, vix aliter niſi ab immutato anni ſtatu curari ſolet.

*Ejus Ætiologia.*

Si prædicti affectus cauſæ inquirantur, obvium erit, procatarxin ejus ad ſeroſi humoris in maſſa ſanguinea, & aliquatenus in toto corpore redundantiam referre; cujus materiæ portio quædam arteriarum oſculis in pulmones exudans, tuſſim ordinariam creat; poſtea cum ſeroſa colluvies, adhuc in ſanguine exuberans, & particulis ſpaſmodicis referta, etiam intra caput aggereretur, eadem nervos pneumonicos ſubiens, tuſſim ſimplicem in convulſivam adauget: cum enim hi nervi circa extremitates ſuas prius irritati, ſupra modum exerceantur, illi propterea materiam ſpaſmodicam, juxta principia ſua depoſitam facilius imbibunt: cumque adeo demum, binis in locis, ſc. capite, & cauda, atque ob duas diſtinctas cauſas, ſc. a ſpirituum tum irritatione, tum exploſione, in motus irrigulares adigerentur, nihil mirum eſt ſi tuſſis primo communis, poſtea in malum morem evecta, adeo immanis & ſpaſμώδης evadat: porro cum interdum accidit, eandem materiam in capite aggeſtam, nervos quoſdam alios ſubire; propterea tuſſi convulſivæ aliuſmodi pathemata ſpaſmodica non raro ſuperveniunt.

*Aſthma convulſivum.*

Oſtenſo ad hunc modum, quod tuſſis neque ſolummodo, neque ſemper pulmonum vitio, ſed interdum a cauſa ſpaſmodica ſolitaria, ſæpius tamen ab hac, affectioni pneumonicæ ſuperinducta, oriatur; etiam de pathemate quodam alio thoracico, ſc. aſthmate, fere idem pronunciare non dubitemus: nam ſive hic morbus continuus ſive periodicus fuerit; in utroque caſu ſymptoma præcipue urgens eſt reſpiratio difficilis; quæ quidem propterea excitari videtur, quia pulmones nimis inflati, & diſtenti thoracis cavitatem valde implent, nec uti par eſt, per vices ſubſident: hinc ſpiritus intus manens haud libere ſatis emitti, neque revera aer recens, ob ſpatium prius oppletum, facile

*Quandoque a pulmonibus una ac nervis affectis dependet,*

facile introduci poteſt: dum pulmones in diaſtole continua, aut parum remiſſa, ita diutius detinentur, ſæpenumero diaphragma, contra morem ſuum, in ſyſtolen violentam urgetur, atque furſum contractum, pulmones magis, magiſque elevare, eorumque ſubſidentiæ contraniti ſolet; quo fit ut reſpiratio adhuc difficilior & plus laborioſa exiſtat.

Hujuſmodi dyſpnœæ affectionem quandoque pulmonum vitio accidere, facile credimus; quoniam αὐτοψία anatomica plane detexit: nam ſi colluvies ſeroſa ingens, in thorace depoſita, pulmones plurimum infercit, illorumque poros omnes & meatus in tantum obſtruit, ut ſanguis in circuitu impeditus, vaſa pneumonica haud libere pertranſeat, propterea quidem, taliter affecti, nullo non tempore anheloſi fiunt: deinde quoties ſanguis ab exercitio aut calore lecti plus incaleſcens, & rarefactus, pro circulatione ſua intra pulmones ſpatium amplius requirit; tunc ſtatim a tali occaſione reſpiratio creberrima, ſive paroxyſmus aſthmaticus cietur: ſi præter hanc morbidam pectoris diatheſin, etiam maſſa ſanguinea latice ſeroſo abundans, ſubitis fluxionibus, & ſeri effervescentiis apta fuerit; hinc etiam, ob violentum ſeri effervescentis in pulmones prius obſtructos, & valde oppletos incurſum, non raro iſtius morbi inſultus graviores, & pene ſuffocativi eveniunt. Porro interdum præter aſthmatis radices, uti dictum eſt, circa præcordia defixas, ejuſdem morbi germina quædam ab ἐγκεφάλῳ pullulantia, prioribus occurrunt, cumque iis complicata, immaniores dyſpnœæ fructus producunt. Nam ſiquidem, pulmonibus ſero oppletis, ejuſdem amplius in ſanguine redundantis quantitas alia, particulis ſpaſmodicis imbuta, capiti ſuffundatur, eadem nervos pneumonicos promptius quam alios ſubiens, aſthma thoracicum prius ſimplex, & moderatum, periodice vehemens, & convulſivum efficit.

Hujuſmodi

Hujuſmodi affectuum. ſc. dyſpnœæ, pulmonum vitio ſingulari ac ſocio excitatæ, inſtantiæ & exempla quamplurima obſervationi noſtræ conſtiterunt, ac etiamnum fere quotidie eveniunt. Nihil enim uſitatius, quam tuſſi inveterata, aliaſve mala pulmonum diatheſi laborantes, demum hydrope, aut ſcorbuto accedente, aſthmaticos fieri; nempe cum ſanguis, longe impurior factus fæculentias ſeroſas etiam in capite deponit, hæ nervos pneumonicos, utpote debiliores, & juxta extremitates ſuas crebro irritatos, promptius, & quidem facilius quam alios ſubeunt, inque iis dyſpnœæ ſpaſmodicæ materiem congerunt,

*Aſthma interdum mere convulſivum a nervis ſolummodo affectis procedit.*

Porro interdum obſervavi, graves aſthmatis paroxyſmos, ſine quavis notabili pulmonum labe, accidiſſe, revera ut putaverim, hunc morbum aliquando eſſe mere convulſivum, ejuſque inſultus ſolummodo excitari, quoniam ſeroſa colluvies, particulis exploſivis referta, nervos, pulmonum diaſtolen perficientes, ſubiens, ſpiritibus ibidem ſcatentibus accrevit; quibus poſtea ob plenitudinem, vel irritationem confertim, & aliquandiu eliſis, pulmones velut rigidi & inflati detinentur, ut neque ἐκπνοῆς neque εἰσπνοῆς munia exequi poſſint.: paroxyſmo autem finito, quin etiam prinſquam incipitur, reſpiratio libera & æqualis ſatis recte ducitur, nullaque tuſſis, aut valetudinariæ pulmonum diſpoſitionis ſigna apparent. Cum hujuſmodi dyſpnœæ mere ſpaſmodicæ caſum in pluribus notavi, libet hic unam aut alteram hiſtoriam proponere.

*I. Obſervatio.*

Generoſus quidam robuſtus & obeſus, victu pleniori & inordinato, ſine quovis exercitio, aliquandiu uſus, ſub initium hyemis male habere cœpit: primo capitis gravitate & dolore, cum inſigni vertigine, & leipothymias metu, ſe jamjam moriturum ſubinde credens afficiebatur, alioqui ſatis ſanus; intra paucos dies, hæc ſymptomata in apertum ſtuporem, ſeu potius lethargum tranſibant: phlebotomia in brachio celebrata, cucurbitulas, veſicatoria, enemata acria, cum multis aliis remediis ſedulo adhibenda curavi: nycthemeri

meri ſpatio ad ſe rediens animo conſtitit, & torporem omnem excuſſit. Verum cerebro licet inclareſcente, debilitate magna & ſtupore in membris corripiebatur: qui tamen affectus remediis antiparalyticis, & antiſcorbuticis brevi ſanabantur: poſt duas autem ſeptimanas, iterum de capitis gravitate, & vertigine conqueſtus eſt, dein poſtridie in aſthma horrendum incidit: ut pulmonibus ſubito inflatis, & ſurſum nitentibus, ſpiritum, qui creberrimus, laborioſus & valde præpeditus fuit, vix ac ne vix ducere valens, quovis horæ minuto ſuffocari periclitaretur. Paroxyſmus hic, utut immanis, intra duodecim horas ſine tuſſi, ſputo, aut vomitu pertranſiit, & deinde ſupra hebdomadæ ſpatium, thoracis vitio quovis carebat; tunc autem ſimilis dyſpnœæ paroxyſmus rediens, eum paulo mitius exercuit; atque poſtea, juxta magnas aeris mutationes, præſertim frigore intenſo, ac nive imminentibus, tali aſthmatis inſultu tentari ſolebat.

*2. Obſervatio.*

Novi alium virum generoſum ſcorbuto inveterato laborantem, qui tuſſi omni carens, modo cephalalgia, cum inſigni vertigine per plures dies laborat; dein alio tempore, ab iis pathematis immunis aſthmatis paroxyſmo valde atroci corripitur, atque affectus modo hujus, modo iſtius, crebros inſultus, præſertim circa inſignes aeris alterationes, & majores anni tropas, patitur.

*Ætiologia.*

In prædictis caſibus minime dubitandum eſt, quin iſti dyſpnœæ paroxyſmi omnino penderent a materia ſpaſmodica, in nervos, pulmonum diſtenſioni inſervientes, delapſa, quæ ſpiritibus accreſcens, ab iiſque ob plenitudinem vel irritationem eliſa, ſive exploſa, præcordia ſurſum attolli, ac velut inflari, proindeque a motu ſuo reciproco inhiberi fecit.

*Aſthma interdum propter bronchia ſpaſmodice affecta excitatur.*

Porro hujuſmodi dyſpnœam convulſivam interdum excitari putamus propter tracheæ bronchia coarctata nimis, & non raro penitus conſtricta: in neurologia noſtra advertimus plurimas nervorum fibrarumque nervearum propagines aſperæ arteriæ ramificationes omnes ubique amplecti,

&

& circumligare; quos equidem nervos, ſi forſan accidat, a materiâ morbifica obſeſſos, in crebros ſpaſmos irritari, propterea ſequitur, canales, ſive ductus, quos ambiunt, valde conſtringi, & in quibuſdam locis prorſus occludi.

3. *Obſervatio* Virgo lectiſſima, conſtitutionis teneræ ac gracilis, atque vultus floridi, vix ſecundum ætatis ſuæ luſtrum prætergeſſa, paroxyſmis aſthmaticis graviter tentari cœpit; iiſque priuſquam curæ meæ delegatur, quatuor ut minus annos obnoxiâ degit. Interdum morbi hujus inſultu quovis per duos aut tres menſes immunis perſtat: ſæpenumero tamen, propter errata in victu, vel propter magnas anni, aut aeris mutationes, in atrociores dyſpnϾ paroxyſmos incidit: Ita nimirum ut pulmonibus inflatis, & ſurſum verſus guttur elatis, ibidemque in diaſtole fere continua detentis, ægrotans vix ac ne vix reſpirare poſſit; interim reſpirationis quoquomodo peragendæ gratiâ diaphragma & muſculi pectoris motuum nixibus creberrime repetitis, laborioſiſſime exercentur. Hujuſmodi acceſſio, intra 7 vel 8 horas ſenſim remittens, paululum deſinit; ſubinde vero per unam aut alteram hebdomodam, aut ſponte ſua, aut de levi qualibet occaſione, repetere ſolita; poſtquam morbi impetus, materia ejus in plures ejuſmodi paroxyſmos impenſa, pertranſiit, virgo illuſtris deinceps per plures ſeptimanas, immo interdum menſes, ſatis recte valet, atque thoracis vitio quovis expers libere reſpirat. Huic vere & autumno medendi methodum ſequentem inſtitui, jamque ſupra biennium prædictæ affectionis quovis inſultu caruit.

℞. Sulphuris antimonii noſtri gr. vj. cremoris tartari gr. vj. miſce. Detur in pulpa pomi cocti. ab hoc medicamine aſſumpto, quater, aut quinquies evomere ſolet: poſt quatriduum ſumit hoc catharticum, quod item interjectis 6 aut 7 diebus bis repetere ſolet. ℞. Calomelanos gr. xij. reſin. jalap. gr. v, caſtorei gr. iiij. c. ſ. q, ammoniaci ſolut. f. pilul. iij. Quolibet præterea die, capit mane & veſperi, tincturæ antimonii gr. xij. in cochleari julapii

lapii ſequentis,ſuperbibendo ejuſdem cochlearia 6 vel. 7. ℞. Aq. limacum ℥ vj. lumbricor. ℥ iiij. aq. pulegii, rutæ an. ℥ iiij. hyſtericæ ℥ iij. caſtorei nodulo ligati & in vitro ſuſpenſi ʒ ß. ſacchari albiſſimi ℥ j. miſce in vitro f. julapium.

Circa autumnum prioris anni, puella quædam alia nobilis, ſimili ritu, ſc. aſthmate periodico, laborans, mihi ſananda adducitur; quæ prædictis remediis, paulo in minori doſi uſa, eademque vere noviſſimo repetens, inſigne levamen percepit. 4. *Obſervatio.*

In his etiam caſibus, nihil appertius conſtare videtur, quam morbi cauſam abſque phlegmate, aut humore viſcoſo pulmonibus, uti vulgo creditur, impacto, intra nervoſum genus ſubſiſtere; atque dyſpnœam hujuſmodi mere convulſivam propter nervos pneumonicos, affectione ſpaſmodica occupatos, excitari. Huius veritas, obſervatione anatomica mihi nuper a Medico Doctiſſimo D. *Gualt. Needham* communicata, adhuc planius evincitur. Retulit mihi vir inſigniſſimus, ſe noviſſe *Lanium Wallſallienſem* in agro *Staffordienſi*, qui cum diu laboraverat aſthmate periodico, intra 14, vel 20 dies ut plurimum, recurrente, tandem in ipſo paroxyſmo extinctus eſt. Cadaver apertum exhibuit viſcera omnia ſana, præſertim pulmones neque aut excrementi in bronchiis collecti, aut ſanguinis in venis reſtagnantis ulla indicia prodita ſunt, hoc tantum præter naturam accidit, quod veſica fellea calculos complures in ſe continuit. Cætera (ſubdit ille) vel generi nervoſo affecto tribuenda erant, vel cauſæ nobis ignotæ, certe oculis non conſpicuæ. *Obſervatio Anatomica.*

Olim pro puerulo nobili conſului, qui 12 circiter menſes natus, paroxyſmis convulſivis, & quaſi epilepticis, a quibus brevi fatum obiit, graviſſime affligebatur. Sæpius obſervabam, quod dum ſpaſmi partium exteriorum intermitterent, tuſſi immani & ſingultuoſa corriperetur: unde ſuſpicio fuit materiam morbificam haud minus in pectore quam in cerebro defigi. Poſt obitum vero, cadavere aperto; pulmones ſarti tecti, vitio quovis *Obſervatio alia Anatomica.*

immunes

immunes apparebant; ut manifeſto liqueret, tuſſim iſtam, mere convulſivam, propter nervoſi generis affectionem, excitatam fuiſſe.

Quod ſpectat ad remedia, & therapias rationes, quæ in prædictis caſibus uſurpari debent, ſi quando tuſſi, vel dyſpnœæ, pulmonum vitio primo exortæ, inſuper ob labem cerebro communicatam, ſymptomata convulſiva ſuperveniunt; id ſedulo agatur, ut medicamenta antiſpaſmodica, thoracis intentiones quaſcunque reſpicientibus, apte complicentur. Quinimo interdum, ut modo his, modo illis ſeorſim exhibitis, medendi tempora intercalentur. Non opus erit medicamenta bechica, aut pneumonica, eorumque formulas, quarum ſylva immenſa apud authores medicos paſſim extat, huc transferre: in propoſitum noſtrum ſatius erit, medicinæ methodum, item ſelectiora quædam remedia in tuſſi, ac aſthmate, mere convulſivis convenientia ſubjicere.

*Tuſſis convulſivæ curatio,* Quoad priorem affectum, qui pueris potiſſimum familiaris, curationis difficilis, & non niſi longioris ut plurimum exiſtit. Præcipuæ indicationes erunt, tum humores ſeroſos & acres e ſanguine & viſceribus expurgare, ut illorum ὁρμὴ ac decubitus in cerebro, ac aliquando forſan intra pectus præcaveatur, tum has partes, ne ſeri æſtuantis ſuperfluitates facilius admittant, corroborare. In hos fines vomitoria, & cathartica leniora, fere ſemper conducunt, & aliquatenus iterari debent: Veſicatoria ſæpe proficua ſunt; quinimo ſi morbus ſit contumacior, fontanellæ in nucha, aut brachio, vel circa axillas excitentur. Potus & alimenta liquida, in quantitate ſolito minori, ſumantur; iſtius vice, Bochetum ex ſarſa, China, ſantalis, raſur. Eboris, C. cervi cum ingredientibus diureticis & antiſpaſmodicis uſurpetur: in hoc caſu remedia quædam, velut ſpecialia, valde commendantur, cujuſmodi ſunt muſcus pixidatus in pulvere exhibitus, vel lacte incoctus, adeoque crebra doſi, quotidie exhibitus: decoctum, vel ſyrupus, ex caſtoreo & croco; decocta rad. pæoniæ, viſci quercini, item hyſſopi multos juvarunt, aq. ceraſor. nigro-

rum, ſaxifragiæ, aqua limacum, cum ſero lactis ac ingredientibus appropriatis deſtillata, ſæpe cum fructu adhibentur,

2. Qua methodo, & quibus remediis, aſthma periodicum in nonnullis junioribus ſanavi, ſuperius annotatur. Cæterum in plerifque hoc morbo affectis, vomitoria imprimis conducere, inſigniſſimus Riverius obſervavit, licet rationem minus recte aſſignarit: quæ quidem in eo conſiſtere videtur, quod nempe pharmacum iſtud, emunctoria, circa primas vias conſita, valde ſuccutiens & irritans, ex iiſdem, ſanguinis & ſucci nervoſi recrementa, in cerebrum & nervoſum genus urgeri, aut reſtagnare apta, valide exprimunt & foras deducunt. Zacutus Luſitanus, non ſine ratione, cauteria modo in bregmate, modo in nucha, aut circa axillas inuſta valde prædicat: Millepedum præparata, ſc. in forma pulveris ſicci, aut liquoris deſtillati raro ſucceſſu carent; talia nempe ſeri ſuperfluitates a capite, ac genere nervoſo avocant, ac ad vias urinarias deducunt: propter eandem rationem, cathartica blanda, & per epicraſin evacuantia, in crebro ſint uſu; in hunc finem, decoctum galli veteris, cum pharmacis alterantibus, & leniter purgantibus ventri ejus inſutis, a multis laudatur. Præter remedia hactenus citata, quædam alia aſthmati appropriata, & velut ſpecifica perhibentur, cujuſmodi ſunt balſamum ſulphuris terebinthinat. item ſp. C. cervi. vel fuliginis, eodem impragnatus, ſyrupus de peto, ex ammoniaco, diaſulphuris noſter, lohoch de allio, pilul. de rad. enulæ campan. lacte ſulphuris, floribus benzoin cum pice liquida, aut liquidambra, confectæ, cum multis aliis, quæ ſingula enumerare hic tædio eſſet.

*Aſthmatis convulſivi curatio.*

Et jam præcipuis convulſionum ſpeciebus, & modis una cum ſymptomatum cauſis, & medendi rationibus ſatis fuſe explicatis; tempus videtur, pathologiæ hujus periodum affigere: Attamen ſiquidem aliud morbi genus reſtat, nempe ſcorbutus; qui pathemata mixtæ naturæ, ſc. partim ſpaſmodica, partim a ſanguinis & viſcerum dyſcraſiis immediata

mediate oriunda, continet; operæ pretium exiſtimo, hujus theoriam, una cum Ætiologia, & Therapeias methodo adjectis, ſuccincte tradere. Ambo etenim hi affectus, ſc. convulſivi & ſcorbutici, juxta poſiti, ſe mutuo illuſtrabunt, ac utrique alterutris facem non levem præfernt.

---

FINIS.

# TRACTATUS SECUNDUS
## DE
# SCORBUTO.

# TRACTATUS SECUNDUS
## DE
# SCORBUTO
## CAPUT. I.

*Scorbuti deſcriptio; ejus cauſa interna & proxima, potiſſimum in ſanguine, dein aliquatenus in liquore nervoſo radicata.*

IN veteri medicina, morbi quem ſcorbutum appellamus, tam rara ſit mentio, & tam parca diſcriptio ut nonnulli dubitarint, utrum talis ægritudo, nunc multis in locis endemia, & ubique fere ſporadica, qua ſc. ſere nunc omnes laborant, aut ſe laborare putant, priſcis temporibus omnino extiterit; quin natales ſuos, ſicut lues venerea, & rachitis longe poſterius duxerit: attamen affectionem hanc, licet aliis nominibus inſignitam, ab antiquis obſervatam, e juſque curam, rudiori licet Minerva traditam fuiſſe, Hippocratis, Aretei, Plinii, aliorumque teſtimonia ſatis evincunt.

Circa varias hujus morbi appellationes parum ſolliciti, ad naturam ejus eruendam, explicandamque recta procedimus: quæ tamen cum adeo diffuſa fuerit, atque ad tam varia & multiplicia ſymptomata extenditur, ut nec unica definitione aut vix ſingulari deſcriptione comprehendi poſſit, ex re fore videtur imprimis cuncta hujus morbi

phænomena congerere, ſive accidentium præcipue notabilium hiſtoriam pertexere, dein apparentiis iſtis rite ſolvendis hypotheſin quandam accommodare.

*Præcipuorum ſcorbuti ſymptomatum recenſio.*

Quoad prius, maxima ſymptomatum farrago, affectus multiplices, & diverſi generis, quique interdum naturæ ſunt oppoſitæ, aut contrariæ ſcorbuto accenſentur: immo ſi accidens quoddam inuſitatum, nec prius auditum in corpore humano eveniat, cum ad aliud certum morbi genus referri nequit, ſine dubio ſtatim illud ſcorbuticum pronunciamus: adeo hic morbus, quaſi mali nominis, & damnati inſtar, pathemata aliena luit: Interim huic a proprio lare plurima extant ſymptomata, in ſingulis fere partibus humani corporis excitari ſolita; quorum recenſio, cum partium corporis diſtributione optime perficitur. Itaque ut ſcorbutus veſtigia a capite ad calcem pertractemus, 1, Imprimis ab illius [illegible] incipiamus: huc ſpectant cephalalgiæ immanes, & habituales, illæque aut vagæ, aut periodicæ, modo ſpirituum torpor & ſomnolentia, modo vigiliæ pertinaces, crebræ vertigines, ac ſcotomiæ, convulſiones, paralyſis, ſputatio copioſa, gingivarum ulcera, dentium vacillatio, oris fœtor. 2. Interim circa pectoris regionem, dolores in variis membranarum partibus, ac præſertim in ſterno, qui, ſæpe acuti & lancinantes, laborantes per plures dies & noctes miſerrime torquent, frequens aſthma, reſpiratio difficilis & inæqualis, pectoris conſtrictio, & anguſtia tuſſis inanis, pulſus inordinatus, cordis tremor, crebra ſpirituum deliquia, frequens lipothymia, ejusque metus fere continuus. 3. In ventre inferiori hic morbus, quaſi principem ſedem figens, malorum Iliada producit: ſæpe nimirum adſunt nauſea, vomitus, rugitus, cardialgia, hypochondriorum inflationes, & murmura, colica frequens, & dolores moleſtiſſimi huc illuc diſcurrentes, diarrhœa fere conſtans, interdum dyſenteria, aut teneſmus, atrophia, ac interdum aſcitis.

*In capite.*

*In pectore.*

*In ventre inferiori.*

Urina ſæpiſſime rubicunda & lixivialis, cum cruſta innatante, aut vitri parietibus affixa; interdum

dum vero per vices quaſdam eadempallida, & aquoſa copioſe excernitur. 4. Præter hujuſmodi ventrium affectus, in externis membris, immo in toto habitu corporis, dolores vagi, & non raro ſumme atroces, & noctu potiſſimum ingraveſcentes, ſentiuntur, laſſitudo ſpontanea, carnium intabeſcentia, lumbago, aliorumque artuum debilitas & enervatio; in cute maculæ varii coloris, tumores, tubercula, & non raro ulcera cacoethea erumpunt: circa muſculos, ſtupor, formicatio, ac velut frigidæ auræ aſcenſus; Item contracturæ, ac tendinum ſubſultus: porro ſcorbuticis, ſanguinis inordinationes, efferveſcentiæ incertæ, vagæ intemperies, ac febres erraticæ, ac hæmorrhagiæ graves paſſim contingunt. Præter hæc communia, & maxime aſſueta ſcorbuti ſymptomata, quorum modo plura, modo pauciora, eaque interdum hujus, quandoque iſtius generis, ac moris laborantes infeſtant, nonnunquam alia inaſſueta & prodigioſa accidentia huic morbo ſuperveniunt.

*In partibus exterioribus.*

Ad pleniorem hujus morbi notitiam, huc referre viſum eſt, quæ circa originem ejus, ac prima initia, ſive invaſionis modum paſſim obſervantur. Nempe advertimus, ſcorbutum propter varias cauſas, & occaſiones produci: nam licet mala victus ratio, vita ſedentaria, lienis inordinatio, & cruditates in primis viis congeſtæ plurimum accuſantur; attamen longe potius in cauſa eſſe ſolent, aeris inſalubritas, & ſanguinis craſis a prioribus morbis vitiata: quare ſcorbutus, oris maritimis aut paludoſis ſæpe endemius exiſtit: diu navigantibus, ac interea cibis ſalſis ac fumo induratis, nec non aqua putida utentibus, crebro ſupervenit: febri diuturnæ, aliiſque morbis chronicis male curatis, item hæmorrhagiis nimiis, aliiſque excretionibus immodicis; quin & evacuationibus ſolennibus, uti menſium & hæmorrhoidum, ſuppreſſis, paſſim ſuccedit: Porro hic morbus ſine magna procatarxi, non raro per contagium excitatur, & quandoque hæreditarius exiſtit.

*Cauſæ evidentes quæ ſcorbutum inducunt.*

*Morbi cauſa per totum corpus diffuſa inhæret vel ſanguini, vel ſucco nervoſo, vel utrique.*

Ex his circa affectionem ſcorbuticam obſervandis, manifeſto liquet, materialem hujus morbi cauſam, haud in privato quodam loco, aut ſingulari minera contineri, ſed per totum corpus, & ſingulas ejus partes tum intus, tum extus diffundi: unde ſtatim colligere licebit, miaſma ſcorbuticum vel in ſanguine, vel in ſucco nervoſo, aut ſimul in utriſque fundari: Revera ſanguini labem affigi effervefcentiæ ejus inordinatæ, macularum, aut tuberculorum eruptiones, urina rubicunda, & velut elixiviata plane teſtantur; quibus pari indicio conſpirat diverſimoda hujus morbi productio, quæ ut plurimum maſſæ ſanguineæ depravationi ſuccedit: nec minus liquore nervoſo vitium hærere, declarant moleſtiſſimi dolores tum intus in membranis, tum extus in muſculoſo genere excitati, membrorum debilitates, aut reſolutiones, vertigo, ſpaſmi, & crebra ſpirituum animalium deliquia. Cum itaque humores ambo generales in vitio deprehendantur, videamus quis prior, aut potior in culpa fuerit, undenam labem ſuam contrahat, ac quo ritu humori alteri ac inſuper partibus quibuſcunque aliis, affici ſolitis, noxa communicetur.

*Sanguinis & vinorum dyſcraſiæ comparantur.*

Quoad ſanguinem (in cujus maſſa ſcorbutus radices ſuas potiſſimum agere videtur) alibi oſtendimus, eum in craſi ſua ejuſmodi particulis, & ſimili fere ritu temperatis, ac vina conſtare: porro ob duas præcipue cauſas, uti vinum, ita ſanguinem ægrotare innuimus, nempe vel quoniam aliquid extraneum, & non rite miſcibile, huic aut iſti confunditur; vel quoniam liquoris craſis, ſive temperies pervertitur, h.e. quatenus elemento uno, forſan aut altero, quibus dominium debetur, ſuppreſſis, alia, quæ ſubjugari oportuit, exaltantur.

*Quoad res non miſcibiles utriq; confuſas.*

Circa prius, de vino obſervamus, quod cum fæces, prius ſecretæ, ac ad fundum detruſæ, denuo commotæ elevantur; vel ſi heterogeneum aliquid, uti ſevum, aut ſulphur exoticum dolio injicitur, exinde perturbatio inſignis concitatur; quæ niſi brevi compeſcatur, vini craſis ſubverti periclitatur:

riclitatur: Pariter quamplurimæ ſunt res non miſcibiles, quæ ſanguini confuſæ motum ac circulationem ejus perturbant, & œconomiæ ritus, quo minus recte perficiantur, impediunt: Liquor nutritius, fæculentiis refertus, ſanguinem inordinate fermentat: quin & liquor iſte degener factus, febrium intermittentium paroxyſmos ciet, prout olim monſtravimus: recrementa ſanguinis vaporoſa, ſeroſa, bilioſa, ac atrabilaria in ſinu ejus retenta catarrhos, hydropem, ictcrum, melancholiam, pluresque alios affectus pariunt: quod ſi extraneum illud tempeſtive amoveatur, ſanguis, uti & vinum mixtura extranea cito liberum, conſtitutionem priſtinam brevi recuperat: attamen uterque liquor contentis heterogeneis aliquandiu in ectus, tandem a debita craſi degenerat; proindeque non facile reſtauratur.

2. Præterea quidem, & vinum & ſanguis, ob multas alias cauſas a recta temperie deſciſcunt. Quod ſpectat ad vinum plures ſunt modi, & rationes, quibus liquor ejus a craſi legitima pervertitur: quibus etiam parallelos ſubjungantur totidem, ac forſan plures ſanguinei liquoris dyſcraſiæ. (Hic etenim venenari, ac ſubito corrumpi ſolet, quod non facile vino accidit.) 1. Igitur de vinis obſervare licet, eadem aliquando maturitatem non attingere, ſed propter πνευματώσεως defectum, quatenus nimirum ſpiritus, aliaque activa ſulphuris, ac ſalis principia, craſſioribus obvoluta, ſeſe extricare nequeunt, prorſus cruda manere: quare minime ſpiritualeſcunt; ſed conſiſtentiæ craſſæ, & ſapotis ingrati, in vappam degenerant: ſimili fere ritu, quandoque ſanguis ſpiritu, ac ſulphure depreſſis crudus & aquoſus, nec non vigoris expers, ac in corde vegete accendi inhabilis perſtat. Hujuſmodi ſanguinis μόνωσιν Cl. *Gregorius Horſtius* affectionis ſcorbuticæ cauſam aſſerit; attamen talis ſanguinis diſpoſitio, picam & malaciam, nec non diatheſin hydropicam potius quam ſcorbuticam inferre videtur, prout mox plenius oſtendemus. 2. Vini pars ſulphurea præ cæteris exaltata, liquori immodicam effervescentiam, ſi-

*Quoad utriuſque temperiem varie alteratam.*

ve ebullitionem inducit; noſtro idomate dicitur, *fretting of wines*: pariter & ſanguinis pars ſulphurea nimium evecta proindeque ſupra modum efferveſcere, ac in corde accendi apta, intemperiem febrilem accerſit, & revera febrium συνεχῶν plurimarum cauſa exiſtit. 3. In vinis non raro ſpiritu ſatiſcente & ſulphure conſtricto, pars ſalina in fluorem evecta, cæteris præpollet; quapropter liquor in acetum tranſit. *Cl. Sennertus* ſanguinem in ſcorbuto, ſicut vinum in acetum degener alterari putat quod tamen ſecus fieri mox declarabitur. Interim ab acetoſa ſanguinis dyſcraſia, melancholiam inferri olim monſtravimus. 4. Reſtat adhuc alia vinorum dyſcraſia, cui equidem ſanguinis diatheſin ſcorbuticam ſatis apte comparemus: ſc. cum ſpiritu depreſſo, particulæ ſulphureæ & ſalinæ ſimul combinatæ exaltantur: cumque hoc in vinis duplici modo fiat, etiam ob ſanguinem pariter affectum, duplicem ſcorbuti ſpeciem illinc deducere fas ſit, prout mox clarius patebit. Itaque de vinis vulgaris obſervatio eſt, quod præterquam quod in vappam aut acetum degenerant; eadem aliquando a ſpiritu depreſſo, atque ſulphure, ac ſale, una exaltatis, aut rancida, aut pendula, ſive mucilaginoſa evadere: noſtro idiomate dicitur, *Wines become over fretted, or become ropy*: In utraque mutatione, ſpiritu ſubjugato, particulæ ſulphureæ & ſalinæ ſimul aſſociatæ, cæteris elementis præpollent, atque ad indolem ſuam liquoris craſin deflectunt. Attamen non eodem prorſus modo in utroque res agitur: quippe in priori vini dyſcraſia, ſulphur aliquantulum ſale, ac in poſteriori ſal ſulphure potius exiſtit: quin & alterutrum potentius factum, excuſſo ſpiritus dominio, ſibi alterum conſciſcit, & ſupra debitum tenorem attollit. Utriuſque ratio ad hunc modum explicabilis videtur.

*Sanguinis dyſcraſia ſcorbutica inſtar vinorum, dum ſiunt*

*Rancida aut pendula.*

Cum vina generoſa diu efferbuerunt, particulis multum agitatis, invicemque alliſis, ſpiritus partim evaporat, & partim elementis craſſioribus obvolutus, ſupprimitur: Interea ſulphur (cujus magna ſubeſt copia) agitatione magis provehitur,

proindeque

proindeque ſpiritus jugo ſolutum, ſali adhæreſcit, ipſumque attollens, liquoris mixtionem alterat: cui dein, ob ſulphuris cum ſale combinati eminentiam, ranciditas accedit: pariter cum vina tenuia diutius aſſervantur, ſal evectus, & fluore potitus ſpiritum deprimit, proindeque latici ſubjecto acorem inducit; dein poſtea, ſal eminens, ſulphur (quod in minori ſubeſt copia) ſibimet aſciſcens, intimeque aduniens, liquoris conſiſtentiam e tenui in craſſam, & velut oleaginoſam, & a ſaporeacido in valde ingratum & quaſi mucidum convertit.

Probabile eſt, non abſimili modo ſanguinem in affectione ſcorbutica alterari, quam vina quoties nimis effervefacta in rancida, aut pendula degenerant; quippe morbum iſtum non tam a fæculentiis ſanguini admixtis (quanquam tales adfuerint, attamen denuo excerni, eorumque ſupplementa præſcindi poſſint;) quin a ſanguinis dyſcraſia habituali pendere, argumento eſt; quia ſcorbutus radicatus adeo difficulter, ac interdum non omnino curatur. Porro ſanguinis dyſcraſiam ſcorbuti parentem, pariter ac vini duplicem, nempe ſulphureo-ſalinam, ac ſalino-ſulphuream, ſtatuere licet. Cum enim maxima ſit varietas affectuum, qui ſcorbuto accenſentur, omnes ad hæc duo quaſi præcipua capita, ſeu velut binos mali fontes, ſatis apte revocari poſſint, ſc. primo quod ſanguis miaſmate ſcorbutico tactus, aut præ ervidus exiſtit, in quo nempe ſulphur prædominio potitum ſibi ſalem aſciſcit: quapropter iſte rancidior factus inordinate in vaſis effervеſcit, atque recrementa aduſta, nempe ſulphuris & ſalis concretiones, perpetim a ſe amandat, atque huc illuc diſpergit, quæ quidem exterius ſuffuſæ maculas, exanthemata, tubercula, aut ulcera producunt: interius vero depoſitæ vomitus, cardialgias, diarrhœas, aut dyſenterias, porro dolores atroces pariunt. In hujuſmodi ſcorbutica ſanguinis ranciditate, remedia ſolum temperata; ac crebræ phlebotomiæ; ac minime cochlearia, raphanus ſylveſtris, aliaque acredine, & incitatione prædi-

ta conveniunt: pari quidem ratione ac vina rancida curantur eximendo e fæcibus, inſuper lactis, amyli, ichthiocollæ, aliorumque demulcentium infuſione. Vel ſecundo in ſanguine ſcorbutum foevente, ſal prædominio potitum, ſibimet ſulphur aſciſcit: quapropter, iſte non ita fervidus, quin vini penduli inſtar, craſſus,& quaſi mucilaginoſus evadit, pigre in vaſis circulatur; viſcera, dum pertranſit, infercire, iiſque fæculentias quaſi limoſas affigere aptus eſt. Taliter affecti,ut plurimum ſine exanthematis, aut eruptionibus cutaneis, torpidi, anheloſi, ac enerves fiunt, laſſitudine ſpontanea, pectoris anguſtia laborant;quin & paſſionibus cordis ſpirituum deliquiis, vertigini, & convulſionibus obnoxii reperiuntur: porro in hujuſmodi diatheſi ſcorbutica, remedia calidiora, & ſale volatili prædita,immo & chalybeata quæ ſanguinem fundunt & exagitant, maxime ex uſu eſſe ſolent: pari quidem ratione ac vina pendula tractantur, nempe plurimum conquaſſari, & agitari debent; porro iis calx viva, alumen uſtum, gypſum, ſal marinus calcinatus, aliaque ſumma acredine prædita imponuntur. Hæc de ſcorbuti principiis in maſſa ſanguinea radicatis: Adhuc explicandum reſtat, quibus de cauſis ſanguis a propria indole degenerans hanc, illamve diſpoſitionem morbidam, & ſcorbuti parentem concipit. Attamen prius oſtendere oportet, quo ritu in ſucco nervoſo, ſc. altero humore generali, iſtius morbi ſeminia jaciuntur.

*Quo ritu labes ſcorbutica liquori nervoſo imprimitur.*

E ſanguine cerebri oras adpellente, liquorem ſubtiliſſimum,pro ſpirituum animalium tum materia, tum vehiculo extillari, eumque per totum ἐγκέφαλον, & genus nervoſum jugiter ſcaturire, alibi declaravimus: Latex iſte, quandiu recte habet, ſpiritu & ſale eidem combinato, ſeu volatiliſato, potiſſimum conſtat; his modicum aquæ, qua diluantur accedit, ſulphure ac terra parum opus eſſe videtur: attamen iſta ſpiritus & ſalis volatilis concretio, humorem præſtantiſſimum, qui ſc. omnia permeat, penetrat, actuat, & irradiat, ſupra quod chymici de alchaeſt ſomniarunt,revera

conſtituit:

conſtituit: Circa ſcorbuti initia, donec ſanguinis craſis, ac cerebri tonus haud penitus vitiantur, liquor iſte cerebri & nervorum irriguus, adhuc ſpirituoſus, dulcis, atque ad deſtinata quævis munia haud valde inidoneus perſtat; poſtea tamen e maſſa ſauguinea depauperata, & plurimum effœta, latex multo tenuior, & verſus acetoſum declinans extillatur: porro e ſanguine fæculento, & quaſi rancido aut limoſo, particulæ heterogeneæ, atque regimini animali plurimum infeſtæ ſuggeruntur, ac intra cerebrum debilius factum, ſine repulſa admittuntur, indeque in appendicem ejus tum medullarem, tum nervoſam cum ſucco irrigante diffunduntur: hinc ſpirituum animalium in ſingulis regionibus ſcatentium, modo deliquia & eclipſes, modo diſtractiones, exploſioneſque dolorificæ ac ſpaſmodicæ ſequuntur: Quapropter paralyſis, convulſio, vertigo, dolores, tremores, aliaque cerebri ac nervoſi generis præternaturales affectiones, ſcorbuto, altiores radices agenti, ſupervenire ſolent: de quibus infra ſpeciatim dicetur. Interim adnotetur in genere, labem ſcorbuticam ſucco nervoſo affixam in his tribus, ſc. in eorum aliquibus, aut ſimul omnibus conſiſtere; vid. quod liquor cerebri & nervorum irriguus multo tenuior, ſeu pauperior evadat; quod a craſi ſpirituoſalina, verſus acetoſam degeneret; quod particulis heterogeneis, & morbificis referciatur.

Hactenus oſtendimus quo ritu in ſanguine, & deinceps ſucco nervoſo affectionis ſcorbuticæ prima quaſi ſeminia conſeruntur. Priuſquam morbi fructus, ſive ſymptomata, propter malam utriuſque humoris diatheſin excitata, eorumque rationes, & fiendi modos, perpendimus, in ipſius morbi cauſas remotiores, & differentias inquirere oportebit: nempe ut conſtet ob quas προφάσεις, & quali apparatu diſpoſitio ſcorbutica prædictis humoribus imprimitur.

CAPUT,

## CAPUT XII.

*De ſcorbuti cauſis remotioribus, a quibus nimirum maſſæ ſanguineæ,& per conſequens liquori nervoſo labes affigitur.*

OStenſo, in ſuperiori capite, quæ ſit ſcorbuti cauſa conjuncta & proxima,ſc.mala diatheſis ſanguini & ſucco nervoſo impreſſa: circa cauſas remotiores,ob quas utrique humori,ac imprimis illi, qui potior & prior in culpa eſt, nempe ſanguini labes infertur, diſquirendum reſtat:etenim hujus depravatione detecta, facile patebit, quomodo in alterum laticem, miaſma morbificum derivatur. Cum itaque ratum habemus, affectionem ſcorbuticam in ſangnine vitiato potiſſimum fundari, ejuſque vitium,quaſi vinorum dum rancida & pendula fiunt, in ſale & ſulphure, dum ſpiritus deprimitur, indebite exaltatis conſiſtere; ſedulo perpendamus, quomodo hæc illave diatheſis νοσερὴ maſſæ ſanguineæ imprimitur.

*Aliorum ſententia de origine ſcorbuti recenſentur.*

Atque hic præterire non debemus, quid alii authores ſcorbuti naturam diligentiſſime rimati, circa cauſas & ſubjectum ejus ſtatuerunt. Super hac re, cum plures extant ſententiæ, fere omnes hoc reſpectu conveniunt, ut morbi fons & origo a viſcerum culpa derivetur, ejuſque producti ſedes in maſſa ſanguinea collocetur, nempe ut hæc, illorum vitio fere tantum inquinata, labem ſcorbuticam contrahat. Antiquiores præcipuam hujus morbi cauſam lieni, officio ſuo non recte defungenti, imputarunt: Verumtamen cum lienis munus hoc a nonnullis, aliud ab aliis, & diverſum ab iſtis concipitur, diverſimodæ hujus morbi productiones fingebantur: *Wierus*, *Echtius*, *Albertus*, *Ronſſius*, *Eugalenus*, cum multis aliis, ex ſuppoſito quod lien receptaculum melancholici ſucci excrementitii, a ſanguine ſeparati, ſtatuunt ſcorbuti cauſam internam, proximam, eſſe copiam humoris lutulenti, craſſique melancholici

ſolius;

ſolius; vel etiam cum aliis miſti, peculiarem corruptionis formam ſubeuntis, quæ circa lienem, ac jecur,atque in ipſis venis abundet: Hæc opinio, ſi melancholici ſucci a liene ſecretionem neglectam, aut impeditam, aliquando, & ex parte ſcorbuti cauſam eſſe pronunciaret, merito aſſenſum noſtrum vendicaret; ſin morbum iſtum ſemper & omnino hujus viſceris culpa oriri ſtatuatur, ſumme improbabile videtur, prout inferius patebit, ubi ſcorbuti longe potiores cauſſas aſſignabimus. Authores alii, hæmatoſεως munus lieni attribuentes,ſcorbutum produci dixerunt,eo quod lien, chyli partem ſibi deſtinatam in ſanguinem laudabilem minime conficiat. Cum vero alii, humidiores & magis aquoſas chyli partes in liene præparari, ac in ſanguinem converti ſtatuunt, uti Reuſnerus, *&c.* Idcirco proxima & interna ſcorbuti cauſa perhibentur aquoſi & ſeroſi humores, qui ſiquidem a liene haud excipiuntur, ſanguini confuſi, ſcorbuto originem præbent:Interim alii, uti Platerus, Baubinus, *&c.* Chyli partem craſſiorem ſanguificationis cauſa a liene allici dixerunt, & ex eo ſibi & aliis partibus ſanguinem idoneum præparari.Ex hoc ſuppoſito *Gregorius Horſtius* dicit ſcorbuti cauſam,eſſe crudum & ichoroſum ſanguinem, in toto corpore, potiſſimum tamen in hypochondriis, non quantitate ſolum,ſed ſpecifica quadam corruptione peccantem, ob μόλυνσιν ex imbecillitate lienis provenientem: quia ſc.per lienis affectum præternaturalem crudiores chyli partes a ſanguificatione jecoris non avertuntur;unde primo ſanguis invenis jecoris & lienis depravatur, alienæ materiæ commiſtione deinde jecoris αἱμάτωσις impeditur, ratione objecti minus recte diſpoſiti,quatenus chylus ob lienis læſionem,juſto modo non depuratur. *Horſt.*append.ad lib.ij.part. ij. ſect. j. de ſcorbuto. Hæc opinio facile concidit, quia aſſerit, contra legem hæmatoſeos,lienem ſanguificare, atque chyli partes crudiores ad ſe attrahere;cum notiſſimum ſit,nullum chyli ad lienem tranſitum patere: Quin & eadem litura refellitur Reuſneri aliorumque ſententia, qua aſſeritur, proximam & internam cau-

ſam ſcorbuti eſſe ſeroſos & aquoſos humores, quos lien debuerat attrahere, &, per peculiare ſuum hæmatoſeos munus, in ſanguinem convertere.

Doctiſſimus Sennertus, licet cum prioribus ſanguificationis munus etiam lieni attribuat, Inſtitutionum lib. 1. cap. 9. attamen alio quam ab hujus viſceris culpa, ſcorbuti cauſam derivat. Enimvero ſtatuit ille, propter chylum in primis viis male concoctum, & πνευματώσεως deſtitutum, fæculentias ſalſas & tartareas circa meſenterium, & omentum congeri, eaſque novæ materiæ appulſu indies auctas, & ſero dilutas, demum in lienem & hepar, indeque in venoſum genus transferri, illiſq; adeo totam maſſam ſanguineam infici, atq; crudam & ſalſam reddi. Primam hanc ſcorbuti mineram, in primis viis aggeſtam, appellat humorem melancholicum, quem inſuper dicit ſeroſum eſſe humoribus pituitoſis ſtipatum, atque ob moram in iſtis partibus, peculiari ritu corruptum: Deniq; addit humorem iſtum, ſpiritus, & ſalis volatilis fixione generari, non ſecus ac cum vinum in acetum tranſit.

*Scorbutus non ſemper lienis aut primarum viarum vitio oritur.*

Huic opinioni, utut probabili, ne per omnia conſentiam, quædam non levis momenti rationes evincunt. Præterquam enim quod hæc etiam doctrina cum circulatione ſanguinis non exacte quadret, utpote cujus lege, humores in vaſis meſaraicis ſeorſim a reliquo vaſorum genere vix congeruntur: ſaltem illis exinde in lienem tranſitus minime patefcit. Inſuper haud recte ſtatuitur ſcorbutum in primis viis ſolummodo incipere; namque interdum mero contagio contrahitur: Nec etiam hunc morbum a ſalis fixitate, aut ſanguinis, & humorum cruditate provenire cenſemus; ſæpenumero enim febribus diuturnis ſuccedit, proindeque a ſanguinis deflagratione nimia, & aduſtione, potius quam a chyli aliorumque humorum in primis viis μολύνσεως exoriri videtur: porro interdum aura maritima & paludoſa hunc morbum inducit, licet nullæ cruditates circa viſcera gignuntur: ſiquidem laborantes ab initio circa appetitum & digeſtionem minime queruntur. Revera quod attinet ad cruditatem

tatem, atque ſalis in chymo aut ſanguine fixitatem, & πνευματώσεως defectum, concedimus, ab his cauſis, diathesin valetudinariam non raro produci, propterea tamen non ſtatim ſcorbutus, ſed potius malacia, & pica virginum, leucophlegmatia, aut diſpoſitio hydropica ſuccedunt. Cum itaque ſcorbuti Ætiologia, ab authoribus, quibus ſanguinis circulatio nondum innotuit, tradita, veritati minus quadret; libet modo, clave iſtac adhibita, rem totam denuo pertractare, atque morbi hujus cauſas, tum procatarcticas, tum evidentes, juxta αἱματώσεως legem, qua tenuitas noſtra poteſt, accuratius explicare.

Modo innuimus, eſſe plures occaſiones & procatarxeos modos, a quibus ſcorbutus originem ſuam ducere videtur. 1. Quibuſdam locis endemius exiſtit, ut propter malignam aeris, & vaporum quibus ſtipatur, influentiam, una cum ſpiritu vitali miaſma morbificum hauriatur. 2. Sæpenumero morbus iſte febribus diuturnis, aliiſque morbis chronicis ſuccedit, illorumque affectus, ſive productum merito cenſetur. 3. Nonnunquam hæreditario, & a parentibus ſcorbuticis per traductionem propagatur. 4. Interdum mero contagio ſuſcipitur. 3. Mala victus ratio, inordinationes circa res non naturales, atque viſcerum dyſcraſiæ innatæ, aut acquiſitæ affectionem ſcorbuticam aliquando inducunt, ſæpiſſime ejus geneſi contribuunt, aut fomitem præbent. Singulorum hujuſmodi effectuum rationes conſideremus.

*1. Quam ob rationem aer inſalubris ſcorbutum parit.*

1. Scorbutum aeris vitio ſæpius contrahi nullus e vulgi fæce, quin confitetur, fere omnium in ore eſt, loca maritima, lacuſtria, & uliginoſa quoſvis, febribus intermittentibus, aut ſcorbuto, obnoxios reddere: quare valetudinarii, aut qui ſanitatem ſuam colunt, procul ab hujuſmodi locis habitationes conſtituunt: Talis equidem humidus aer tetras exhalationes, & inquinamenta continuo diffundens, duplici reſpectu inſalubris, & non raro ſcorbuti parens exiſtit: ſc. ob tranſpirationem præpeditam, & propter fermenti incongrui

ſuſceptionem. Primo enim, in aere craſſo & minus eventilato degentibus, meatus, & pori cutis valde conſtipantur: quare cum effluvia ſanguinis haud debite ſatis exhalant, eadem intus retenta reliquam maſſam ſanguineam fermentant, ejus particulas activas ad varias inordinationes diſponunt. Dein ſecundo, quatenus eodem tempore vapores tetri, ſalia, & ſulphura incongrua redolentes inſpirantur, propterea ſanguinis ſpiritus valde deprimuntur; ac interea particulæ ejus ſulphureæ, & ſalinæ ad ἀκρότητας evehuntur, proindeqne maſſæ ſanguineæ craſis ſenſim mutata in morbidam degenerat. Cujus nimirum pars ſulphurea ſiquidem perſe exaltata ſanguini rancorem inſignem inducit; febris interdum continua, ſæpius vero intermittens, aeri inſalubri, propter rationes alibi oſtenſas, ita familiaris, excitari ſolet: Quod ſi a tali προφάσει (uti frequentius aſſolet) una cum ſulphure principium ſalinum evehitur, diſpoſitio ſcorbutica, qualis ſupra deſcribitur, ſc. vini aut rancidi, aut penduli æmula, ſanguini imprimitur. Nec tantum ingens aeris humidi, & vaporoſi tractus, ad hunc modum inſalubris eſt, verum incolere domos loco paluſtri conſitas, vel ſtagno circundatas, aut calce viva recens obductas, morbo iſti obnoxios reddit.

*2. Quare febribus diuturnis ſupervenit.*

2. Febris diuturnior ſæpiſſime ſcorbutum inducit: cujus ratio ex hypotheſi noſtra manifeſte liquet; etenim a crebra, nimiaque ſanguinis deflagratione, ſpiritus plurimum abſumuntur, ut liquor pauperior & effœtus evadat; quin & ſulphuris purioris ingens copia deflagrando evaporat; interea quod hujus reliquum eſt, ſibi ſalem aſciſcens, ipſumque evehens, ſanguinis craſin morbidam & plane ſcorbuticam inferre ſolet. Obſervare eſt a longiori febre propter ſpiritum & ſulphur nimis exhalantia, atque plurimum ſalis cum ſulphure reſiduo diutius concoctum, ſanguinem valde ſalſum, & quaſi lixivialem evadere, ita quidem ut deinceps ægre, & vix circulationi peragendæ, ſatis in corde accendatur: Cujuſmodi ſanguinis diſpoſitio, non niſi longo tempore reſtau-

reſtauratur, & difficulter admodnm a ſcorbuto ineundo vindicatur. Nec tantum febribus, ſed & aliis morbis chronicis male curatis, ſcorbutus ſupervenit, idque propter duplicem rationem, ſive afficiendi modum: nempe vel quia ſanguis a morbo præſenti, verſus diatheſin ſcorbuticam immutatnr; vel quoniam ægritudo laborantes a quovis exercitio aut motu diu inhibet; proindeque illi a longo otio & ſeceſſu in ſcorbutum inclinantur: Prius cernitur in melancholia, ubi ſpiritu depreſſo, & ſale in fluorem evecto, ſanguis in acetoſum vergit. Cujuſmodi craſis, ſulphure poſtea a ſale aſcito, & pariter evecto, facile in ſcorbutum tranſit. Affectio hypochondriaca in tantum ſcorbuticæ affinis eſt, ut ſæpiſſime hanc ſociam inducat: nam fæculentiæ atrabilariæ, quæ ſanguinem pro iſtius affectus indole ſolummodo inquinant, poſtea craſin ejus pervertunt, adeoque ſcorbuticam reddunt: pariter icterus & hydrops, quæ ſanguinem impura, aut incongrua mixtura primo tantum inficiunt, diutina mora temperiem ejus prorſus mutant. 2. Plures alii morbi ſcorbutum accidentaliter inducunt; quatenus nimirum ægrotantes a labore aut exercitio quovis impediunt; proindeque illorum ſanguis parum eventilatus, non ſecus ac vina ſupra fæces ſuas diutius retenta, craſin amittunt, atque ſalis & ſulphuris inordinationes ſubeunt. Hoc modo paralyſis, lumbago, oſſium fracturæ, ulcera, ac vulnera non niſi longo tempore ſanabilia, homines ſcorbuto obnoxios reddunt.

3. Scorbutus interdum hæreditario contrahitur ita ut morbi lues a parentibus in natos derivata, abſq; aliis cauſis, ſive externis, ſive internis, fructus morbidos, affectionis ſcorbuticæ indolem exacte referentes, producat. Ita novi pueros ſtirpe valetudinaria oriundos, doloribus artuum vagis, macularum eruptione, gingivarum, & dentium eroſione & carie affectos fuiſſe. Inſuper obſervare eſt, parentum lue venerea tactorum natos, ſymptomatis gravioribus, affectionis ſcorbuticæ æmulis, obnoxios degiſſe. Hujuſmodi affectuum ratio *3. Quomodo hæreditario contrahitur.*

tio

tio in hoc conſiſtere videtur, quod miaſma morbidum, humori genitali impreſſum, inſtar fermenti venenati habet, quod licet aliis particulis obvolutum, aliquandiu lateat, tandem δυνάμεις ſuas exerat, atque in ſanguine aut ſucco nervoſo ſymbola ſalis & ſulphuris elementa exuſcitet, eaque ſupra cæteras particulas evehendo, in labem ſcorbuticam deflectat.

*Quomodo per contagium.*

4. Pari ratione, & afficiendi modo, ſcorbutus per contagium propagatur; ſc. effluvia a corpore infecto decidua, atque vicini poros ſubeuntia, vel per anhelitum inſpirata, aut ſanguinem, aut ſuccum nervoſum, vel ſimul utramque fermentant, adeoque particulas ſalinas, & ſulphureas ſpirituoſas evehendo, liquoris craſin juxta indolem ſuam pervertunt.

*Quomodo viſcerum & primarum viarum culpa.*

5. Scorbuti cauſæ hactenus citatæ maſſam ſanguineam immediatius reſpiciunt, & morbum a latice ejus ſine magno primarum viarum vitio, incipere oſtendunt: attamen ne hanc regionem, cui a nonnullis culpa omnis attribuitur, prorſus immunem perhibeamus, juxta aliorum ſententias ſtatuere viſum eſt, ſcorbuti rudimenta etiam intra coctionis viſcera interdum concipi, atque illinc in ſanguinem traduci. Si quando enim a longo tempore accidit e chylo vitiato, ſuccum nutritium non niſi incongruum, atque ſalium & ſulphurum enormium particulis refertum, maſſæ ſanguineæ ſuppeditari, neceſſe erit hujus craſin tandem mutari, & juxta materiæ, unde conſtat & quotidie ſuppletur, indolem perverti. Quare obſervare eſt, qui cibis ſale conditits fumoque induratis maxime veſcuntur, atque vinum, & aquas ardentes copioſe bibunt, e quibus particulæ ſalinæ & ſulphureæ in ſanguinem rapiuntur, ſcorbuto plurimum obnoxios reperiri: porro qui carne porcina aut etiam piſcium, licet recentium, ac imprimis teſtaceorum carnibus plurimum aluntur; ſiquidem hæc alimenta ſulphuris, & ſalis rancidiorum (uti colligere eſt ex putreſcentium inſigni fœtore) copiam præbent, facile in ſcorbutum, & quod majus eſt, quandoque in lepram proclives habentur: E contra

tra in hunc morbum non ita prompte incidunt, qui lacticinia, fructus crudos & immaturos, caſeum recentem, aliaque abſurda comedentes, magnam pituitæ ſaburram in ventriculo congerunt. Nec tantum e cibis pravis & dyſpeptis, ſuccus ſcorbutum fovens, producitur; ſed interdum alimenta ſatis idonea, viſcerum culpa in materiam morbificam faceſſunt: quod tamen non ſemper hepatis, aut lienis vitio, prout nonnulli arbitrantur, accidit: his enim cum chylo nihil negotii eſt: verum ipſe ſtomachus fermento extraneo præditus ingeſta quævis pervertit, inque pultem modo acetoſam, modo ſalſam aut vitriolicam mutat; veriſimile eſt etiam a pancreate, aut ductu cholidocho ſuccum incongruum chylo permiſceri, ipſumque tinctura heterogenea imbuere. Necvero inficias imus, quin lien & hepar ſcorbuti productioni non raro contribuunt; licet eorum culpas non chylus, ſed ipſe ſanguis immediatius luit; quando hepar obſtruitur, ut ſanguinis recrementa aduſta minus ſecernat, propterea hujus maſſa fæculentior, atque ſalis & ſulphuris particulis ſimul incoctis, nimis luxuriat. Quod ſpectat ad lienem, haud prorſus immerito eſt, quod circa ſcorbuti productionem tot querelæ in ipſum proferuntur. Cum enim hujus viſceris munus (prout ſupra oſtendimus) in his conſiſtat, nempe tum ut ſanguinis fæculentias atrabilarias, quæ ſale fixo & terra conſtant, ſecernat & excipiat, tum ut eaſdem ulteriori coctione, in fermentum ſanguini remiſcendum digerat: ſi quando lien hiſce muniis ſuis non recte defungitur, duplici reſpectu maſſa ſanguinea inquinari ſolet; nempe vel quia fæculentiæ atrabilariæ a liene obſtructo, aut debilitato non omnino excipiuntur; vel quoniam exceptæ, ibidem in fermentum inidoneum, & ſanguinis corruptivum pervertuntur: maſſa ſanguinea vel hoc, vel iſto modo interdum male diſponitur, & non raro propter hanc occaſionem ſolitariam, aut aliarum cauſarum acceſſu, in diatheſin ſcorbuticam degenerat. Enimvero a tali procatarxi, affectionem hypochondriacam oriri olim declaravimus;
cui

cui quidem ſcorbutus ( prout modo innuimus ) adeo affinis eſt,ut illi ſæpiſſime aut comitem ſe adjungat, aut ſuperveniat. At vero ſcorbutum non ſemper aut tantummodo lienis vitio oriri, obſervatione ſuperius citata, liquido patet. Nempe olim vir nobilis affectione ſcorbutica, ſymptomatis quamplurimis, & maxime horrendis ſtipata, per plures annos laborabat; hunc medici celeberrimidum curabant, lienis vitio ægritudinem contraxiſſe, & iſtius viſceris cauſa mala graviſſima pati pronunciabant: Supra decennium doloribus fere continuis, nec non paralyſi, & convulſionibus miſerrime afflictus, tandem contabeſcens, phthiſi interibat: Defuncti cadavere aperto, ſenſui conſtabat, lienem, utut peſſime defamatum, omni culpa immunem fuiſſe: namque viſcus hoc in figura, magnitudine, ſubſtantia, & colore laudabiliter habens, tumore quovis, aut obſtructione carebat: inſuper vaſa ſanguifera aperta, & infarctione libera, fibræ nerveæ ſatis firmæ, atque ſanguis intra lienis poros contentus,putredinis expers apparebant.

*Quare triſtitia & ſtudia immodica ſcorbutum gignunt.*

6. Inter ſcorbuti cauſas, a rerum non naturalium inordinatione derivari ſolitas, merito hic triſtitiam ponimus; namque paſſim obſervare eſt, homines propter occaſionem aliquam luctu ingenti perculſos, & deinceps diu mœſtos, ſcorbuticos fieri.Cujus ratio hæc videtur eſſe,ingens mœſtitia animam inferiorem, ſeu corpoream immediate afficiens, binas ejus partes,nempe ſenſitivam & vitalem, intus compellit, earum ſyſtaſes a ſolitis expanſionibus inhibens coarctat, ac in minus ſpatium contrahit: hinc ſpiritus animales a debita expanſione præpediti, œconomiam ſuam remittunt, quare & ſanguis minori ambitu circuitus ſuos repetens, circa cordis ſinus agglomerari ibidemque ſtagnare aptus eſt; hinc cum ſpiritus utriuſque regiminis, ſc. tum animalis, tum vitalis præſides, deprimuntur, & ſanguis & ſuccus nervoſus ſecundum craſes ſuas alterari incipiunt; & uterque vigorem ſuum ſenſim amittens, a liquore generoſo, verſus acetoſum & effœtum vergit:

inſuper

inſuper coctionis viſcera, ſolito ſpirituum influxu denegato, munia ſua perperam obeunt. Hinc a chylo minus recte cocto, aut inter coquendum depravato, ſuccus nutritius non niſi vitioſus & fæculentiis refertus, maſſæ ſanguineæ infunditur, unde craſis ejus magis pervertitur, inque diatheſin ſcorbuticam facilius tranſit: porro ob hanc rationem, ſtudia immodica & nimis ſeria, & continua animi intentio, quatenus hinc ſpiritibus depreſſis, & viſcerum muniis ſubverſis, humorum præcipuæ craſes in pejus alterantur, ſæpe labem ſcorbuticam accerſunt: Cui accedit, quod tum mœſti, tum ſtudioſi vitam ſedentariam plerunq; degunt; cujus cauſa & ſanguis, & ſuccus nervoſus tanquam aqua motus defectu ſitum contrahens, vitiari, & corruptelam ſcorbuticam promptius inire ſolent.

Hæc ſunt ſcorbuti cauſæ procatarcticæ, ſi non omnes, ſaltem præcipuæ, quæ ſanguini labem affigunt; non opus erit ἀιτιολογίαν aliam, ut conſtet quomodo noxa a ſanguine in ſuccum nervoſum derivatur, pertexere: etenim ſanguis ſolenni ritu, & circulationis lege, ſpirituoſi liquoris portionem in cerebrum extillat: at vero, prout ſupra innuimus, e ſanguine pauperiori facto latex tenuior, & ex eodem ſalſo (uti ſalinorum cum deſtillantur mos eſt) liquor acris prolicitur; item præterea a ſanguine fæculento, & quaſi limoſo, particulæ heterogeneæ, & regimini animali infeſtæ ſuggeruntur; quæ tamen a cerebro firmiori & ſano non facile admittuntur: quare ut tales particulæ, intra ἐγκέφαλον ſuſceptæ, affectiones paralyticas aut ſpaſmodicas ſcorbuto ſuperinducant, cauſæ quædam præcedunt, a quibus cerebri conſtitutio debilitetur; cujuſmodi eſſe ſolent, 1. ejus mala diatheſis hæreditaria, item. 2. frequens crapula, & vini potus immodicus, ſomni meridiani, otium & exercitii defectus, venus immoderata, hæmorrhagiæ ingentes, aliæque occaſiones, quibus aut ſpiritus animales nimis abſumuntur, vel cerebri pori & meatus relaxantur, ac nimis apperiuntur, ut quodvis præ foribus allatum admittant,

*Labes ſcorbutica & e ſanguine in cerebrum & genus nervoſum derivatur.*

CAPUT.

## CAPUT III.

*De ſcorbuti differentiis; item de morbi hujus ſignis, ſymptomatis, cauſis, imprimiſque de illis, quæ propter labem ſanguini impreſſam oriuntur.*

*Scorbuti differentiæ.*

EX cauſis ſcorbuti,hactenus deſcriptis,facile erit hujus morbi differentias aſſignare Primo etenim juxta duplicem cauſæ conjunctæ regionem, ſc. ſanguinem & liquorem nervoſum, affectio iſta diſtingui poteſt, quod vel hujus, vel iſtius ditionis maxime fuerit, atque modo in ſanguine, modo in ſucco nervoſo radices potiores egerit.Secundo juxta duplicem ſanguinis affecti labem, nimirum quod iſta ſulphureoſalina,vel ſalinoſulphurea fuerit,etiam ſcorbutus iiſdem nominibus inſigniatur, aut ſecundum vulgares appellationes dicatur, vel bilioſus, ſive calidior, exanthematis, aliiſque ſymptomatis apertioribus ſe prodens; vel melancholicus, cujus virus, quaſi ſub cineribus coopertis latens, facultatum læſione intrinſeca, potius quam externis eruptionibus dignoſcitur. Tertio ſecundum morbi originem, & invaſionis modum, qnatenus ſc. aut per contagium ſuſcipitur, aut per internam procatarxin oritur; item juxta varium ejus ſtatum, quod vel inchoatus, perfectus,vel deploratus fuerit, multifariam diſtinguitur, & circa curationem indicationes diverſimodas requirit, de quibus poſtea explicatius dicetur. Interem vero ſcorbuti ſigna & ſymptomata recenſere, eorumque cauſas, & fiendi modos ſubjicere incumbit.

*Signa & ſymptomata.*

Signa, quibus ſcorbuti indicia capiuntur, ſunt vel extrinſeca,ſc.accidentia quædam, & circumſtantiæ, quæ donec morbi notæ certiores adſint, ſuſpicionem ejus præbeant.Ita ſi quiſquam parentibus ſcorbuticis ortus ſit, vel cum conjuge, aut ſociis affectis diu converſetur, vel ſi juxta oram maritimam, vel loca paludoſa, aut alias inſalu

bria-

bria degat, vel ſi febrem diuturnam alioſque morbos chronicos prægreſſos habuerit, vel ſi a remediis antiſcorbuticis juvamen ſenſerit, talem, abſque febre, aut alterius morbi certis indiciis, valetudinarie diſpoſitum, ſcorbuti labem quandam contraxiſſe, merito arbitremur. Vel ſecundo, morbi hujus ſigna, ſunt affectus & ſymptomata præſentia, ſc. corpore laborante inhærentia; cujuſmodi, cum multiplicia fuerint, varie diſtribui & in claſſes quaſdam redigi ſolent, nempe quatenus ſcorbuto propria ſunt, aut huic cum aliis morbis communia; item in quantum vel circa morbi initia, augmentum, aut ſtatum ejus peſſimum excitantur: porro diſtinguntur, juxta quod in variis partibus corporis excitata, interna, vel externa fuerint; item quatenus utraque in capite, thorace, abdomine, vel circa membra, aut habitum corporis evenerint: Hoc ritu ſymptomata ſcorbutica ſuperius recenſuimus. Cæterum illa ſatis apte diſtribui poſſunt, juxta quod oriuntur vel propter labem ſanguini præcipue affixam, vel propter ſucci nervoſi vitia, vel propter utriuſque humoris enormis facti congreſſus, & quaſi conjunctas influentias. Huic methodo, qua licet, in recenſendis explicandiſque ſcorbuti ſymptomatis, & ſignis inſiſtemus, quanquam interea plurimi affectus, qui ab humoris hujus, aut illius culpa ſingulari procedere videntur, etiam in cauſæ partem humoris alterius vitium aliquod conſciſcant: quod autem ſpectat ad primarum viarum, & viſcerum in ſcorbuto affectiones præternaturales, licet tales interdum ab erratis in victu procedunt, ſæpiſſime vero etiam iſtarum partium ægritudines, ſiquidem permanentes & habituales factæ, propter ſanginis aut ſucci nervoſi inordinationes, oriuntur, uti proprio in loco inferius declarabitur: Interim uni proſpectui ſubjiciatur, quomodo præcipua ſcorbuti ſymptomata, ab humoris hujus aut iſtius, aut conjunctim ab utriuſque vitio procedunt.

1. Cum

*1. Cujuſmodi affectus propter ſanguinis dyſcraſiam ſcorbuticam oriuntur.*

1. Cum itaq; ſanguis miaſmate ſcorbutico plurimum inficitur, ob tres potiſſimum rationes mala ſymptomata ſuccedunt. Sc. 1. quia liquor ejus depauperatus ſolito vigore caret, ut nec clare in corde accendatur, nec vegete & æquabiliter circuletur; quam ob cauſam, totius animæ dejectio, & velut ſubſidentia, mœſtitia, anxietas, reſpiratio difficilis, pectoris anguſtia, pulſus intermittens, frequens leipothymia, caloris & frigoris ſuffuſiones inordinatæ ſuccedunt. 2. Sanguis fæculentiis ſcatens recrementa ſua partibus, quas interluit, paſſim ſuffundit; quapropter exterius maculæ, exanthemata, tubercula, ac ulcera paſſim excitantur: hinc etiam catarrhi, hydrops, membrorum intumeſcentia, gingivarum ulcera, vomitus, diarrhœa, dyſenteria, ſputatio ingens, ſudores, urina lixivialis, aut contentis ſaturata, quin & viſcerum tumores, aut obſtructiones non raro ſequuntur. 3. Sanguis pauper & fæculentus, cerebro & nervoſo generi liquorem non niſi vitioſum ſuppeditat; adeoque mediate iſtarum partium culpas luere debet: porro ſanguis depravatus, ſpiritibus intra fibras ubique ſcatentibus copulam, pro facultatis locomotivæ actibus, exploſivam, haud ſatis idoneam immediate præbet, unde laſſitudo ſpontanea & impotentia ad motum ex parte procedunt.

*2. Qui propter labem cerebro & nervoſo generi impreſſam.*

2. In ſcorbuto, ſuccus cerebri, & nervoſi generis irriguus, poſtquam labe morbida inficitur, ſub triplo reſpectu peccat, 1. Quatenus a nobili & ſpirituoſo in pauperem & tenuem declinat, unde languor & totius corporis enervatio, hinc etiam atrophia aliquatenus procedit. 2. Quatenus liquor iſte a ſpirituoſalino in acetoſum mutatur, inde melancholia & metus, ſpirituum fatiſcentia, & a ſolito vigore ſuppreſſio; quin & partium nervoſarum dolores, ac irritationes fere continuæ, & oſſium crepitus inducuntur. 3. In quantum liquor iſte particulis heterogeneis, & regimini animali infeſtis refercitur, convulſio, ſpaſmi, paralyſis, vertigo, affectus ſoporoſi, aut vigiliæ pertinaces, ſtultitia demum, aut inſania oriuntur.

3. In ſcorbuto inveterato & graviori, ſanguinis & ſucci nervoſi recrementa variis in partibus ſimul depoſita, quatenus ea particulis ſalinis, quæ diverſimodæ ſunt indolis, prædita ſunt, invicem congrediuntur, ac mutua lucta, & effervescentia ſymptomata tetriora producunt: hinc enim dolores intolerabiles, præſertim nocturni, arthritis vaga, rheumatiſmus, aliique hujus generis affectus oriuntur. Ad hunc modum, a gemino luis ſcorbuticæ fonte, plurimi malorum affectuum rivuli, quaquaverſus decurrentes in ſingulis totius corporis partibus, moleſtias creant. Quartum adhuc ut plenior notitia conſtet, ex re fore videtur ſingula prædicta ſymptomata recenſere, & cujuſque illorum rationes, & fiendimodos, particulatim tradere.

*3. Qui propter conjuncta utriuſque humoris mala.*

1. Primum ſcorbuti ſignum, quo ſæpe morbi incipientis ſuſpicio præbetur, laſſitudo ſpontanea eſt, cui accedunt impotentia ad motum, item crurum debilitas & velut gravitatis ſenſus. Hæc ſymptomata circa morbi initia oriri ſolita, a ſanguinis, potius quam liquoris nervoſi (qui vix adhuc inquinatur) vitio derivantur: hoc autem duplici reſpectu fieri poteſt, ſc. primo quatenus ſanguis impurior factus, fæculentias ſeroſas inter circulandum exuit, eaſque muſculorum poris & meatibus inſinuat, quibus infarciuntur illi & aggravantur, proinde ut ſpiritus impediti, ac intercepti, exploſiones ſuas locomotivas haud libere ſatis ac vegete ineant; inſuper partes, velut ſarcina quadam onuſtæ, non uti prius facile & expedite moventur. 2. A ſanguine vitioſo ſpiritus animalis copula exploſiva, non niſi degener ac imbecillis accedit; propterea illi neque motus locales prompte ineunt, nec vegete perficiunt. In ſcorbuto inveterato impotentiam ad motum, etiam a ſucci nervoſi depravatione, & ſpirituum inopia, oriri credimus.

*Symptomatum cauſæ explicantur. Laſſitudo ſpontanea.*

2. Reſpiratio difficilis, ac ad motum quemvis anhela, familiare ſcorbuti ſymptoma eſt; cujus cum binæ ſolent eſſe cauſæ, modo ab una, modo ab altera, & aliquando ſimul ab utraque dependet. Dyſpnœa ſcorbutica, ſi valde crebra, & fere con-

*Reſpiratio difficilis.*

ſtans fuerit, a ſanguinis ſtatu pauperiori, & quaſi effœto, quo quidem in corde ſtagnare,& non ſtatim accendi aptus eſt, provenit: quare a motu quovis, ſiquidem muſculi vaſa ſanguiſera comprimendo liquorem contentum prorſum urgent, ſanguis aliquanto uberius in cordis ſinus irruit, qui cum illic non ſtatim accenditur, & foras evehitur, cor aggravat, & functionis vitalis deliquium minatur: idcirco pulmones, ut ſuppetias ferant, celerius moventur, ut ſanguinem citiſſime exantlent; adeoque in hunc finem,nempe ſanguinis effœti, & ex ſe pene immobilis circulationem, reſpiratio valde crebra & anhela inſtituitur: in hoc caſu cum reſpiratione laborioſa,etiam pulſus celer & parvus exiſtit.2.Dyſpnœa ſcorbutica interdum a nervoſi generis culpa procedit; poſtquam enim labes morbida cerebrum ac appendices ejus occupavit, particulæ heterogeneæ, ab ἐγκεφάλῳ dimiſſæ, uti nervos alios, ita pneumonicos alioſque affines, ſc. diaphragmatis, & muſculorum pectoris motui inſervientes crebro ſubeunt; proindeque juxta quod nervi iſti, a muniis rite defungendis, aut inhibentur, aut pervertuntur, reſpiratio difficilis varii generis producitur, eſtque utplurimum aut paralytica,aut convulſiva: etenim particulæ morbificæ caudices nerveos ſubeuntes, & circa eorundem plexus, aut extremitates uberius congeſtæ, ſpirituum copiis affiguntur: hinc aliquando accidit a tali particularum (ſi forſan illæ narcoticæ fuerint) cohæſione, ſpiritus quorundam nervorum incolas ligari prorſus, & ab actibus deſignatis inhiberi: unde reſpiratione impedita, cæteri ſpiritus nervorum adhuc immunium hoſpites,ut ipſi proprio marte penſum commune perficiant, valde exercentur; adeoque qua licet, reſpirationem magis crebram,& laborioſam edunt quandoque vero ſpiritus, intra quoſdam ex reſpirationis munere nervos,ſcatentes, copula heterogenea, exploſiva, ſive ſpaſmodica afficiuntur, cujus elidendi gratia, cum illi ob plenitudinem, vel propter occaſiones aliquas excitantur, motus convulſivos ineunt; proindeque pulmones cum laborioſis,

rioſis, & crebrius repetitis, modo ſyſtoles, modo diaſtoles vicibus, paroxyſmis quaſi aſthmaticis detinentur: in his caſibus quandoque nervi diaphragmatis, interdum pneumonici, ac pectoris motus abſolventes, item forſan aliquando bronchia amplectentes, ac illorum modo hi, modo iſti, ſeorſim a reliquis, aut narcoſi, aut affectionibus ſpaſmodicis obnoxii ſunt, ac propterea reſpirationis anomalæ variæ differentiæ, ac modi occurrunt, quarum ſpecies quaſdam & exempla poſthac adjiciemus. Scio quoſdam prædictorum ſymptomatum cauſas vaporibus a ventriculo ejuſque vicinia elevatis aſcribere: quorum ſententia rationibus in contrarium allatis, alibi a nobis merito rejicitur. Eugalenus, Horſtius & Sennertus, quos alii ſequuntur, dyſpnœæ ſcorbuticæ cauſam, a viſceribus imi ventris inflatis, aut tumefactis, proindeque ſeptum comprimentibus deducunt, non ſecus ac in gravidis ac hydropicis fieri aſſolet: attamen huic opinioni minime aſſentior, quia ſymptoma illud non raro iis evenit, quibus venter & hypochondria ſatis mollia, ac infra coſtas ſubſidentia, ſpatium pro diaphragmatis motu ſatis liberum concedunt, prout examine facto ſæpius obſervavi: Quod autem lienis perturbationi reſpiratio difficilis paſſim in hypochondriacis, & quandoque forſan in ſcorbuticis ſuccedat, ratio eſt, quia nervi ſplenici cum pneumonicis communicant: quandoquidem igitur utrique materia morbida ſc. ſpaſmodica obſidentur, eadem in alterutris commota, ſpaſmos ciens, alteros in affectus conſenſum trahit, prout ſupra de paſſionibus hypochondriacis differens manifeſto declaravi; in omni reſpiratione difficili, propter nervoſi generis culpam excitata, pulſus ut plurimum ſatis fortis, at debito celerior, ac interdum intermittens exiſtit.

3. Pectoris anguſtia ſcorbuticos nonnullos graviter infeſtat; cujuſmodi ſymptoma, cum reſpirationem difficilem adjunctam habet, eidem cauſæ, nempe ſepti a viſceribus elevatis compreſſioni vulgo aſcribitur: At vero licet pectus interdum *Pectoris anguſtia.*

eo ritu anguſtetur, ut affecti anheloſi ſpiritum altiorem dücere nequeunt, quin medio thorace inſpiratio terminatur, tamen aliquando e contra inſpiratio nimis profunde ducitur, ut laborantes ægre & difficulter expirent; quod certe nullo modo viſcerum diaphragmate inferiorum anomaliis, ſed vel ſanguinis in corde accenſioni haud rite peractæ, vel potius nervorum reſpirationi inſervientium affectioni præternaturali, attribui debet: quin pari ratione etiam inſpirationis difficilioris cauſa, ab eodem fonte deducatur: ſc, in utroque caſu nervi καὶ εἰσπνοὴν καὶ ἐκπνοὴν perficientes, quatenus materia morbifica, eaque vel narcotica, vel ſpaſmodica occupantur circa propria munera defungenda, aut nimis aut minus quam opus eſt peragunt. Quidam vero ſcorbutici interdum pectoris anguſtia, ſine reſpiratione multum impedita, moleſtantur; ſentiunt nimirum thoracis ambitum arctius conſtringi, ac in minus ſpatium contrahi: interim affecti de cordis anxietate, potius quam de pulmonum motu inhibito queruntur: hujus cauſa videtur eſſe, quod membranæ præcordia inveſtientes, quatenus humore ſeroſo, una tum nerveo nimis irrigatæ, inſtar corii madidi, contractiores evadunt: quin & earum fibræ in ſpaſmos breviores irritatæ corrugantur nimis, proindeque partes continentes coarctari coguntur: porro hujuſmodi præcordiorum coaſtrictio ipſius cordis motui quadantenus obſequitur: quippe dum ſanguis pauperior factus, haud vegete ſatis cordis ſinu exilit, nec aperte in pulmones deflagrat, propterea hos minus dilatari, aut expandi opus eſt; quinimo ut ſanguinis circulationi, in minori ambitu peractæ reſpondeant, & exacte quadrent membranis inveſtientibus, fibriſque nerveis ipſorum motui deſtinatis, quoad debiles expanſionum limites regulantur: quare iſta præcordiorum conſtrictio, ſicuti in pluribus obſervavi, propter gaudii & triſtitiæ occaſiones ſubito remitti ac intendi ſolet; nimirum juxta quod ſanguis uberius, aut parcius e cordis ſinu exilit, circulationi ejus ſpatium majus, minuſve proportionatur.

4, Pulſus

4. Pulſus inæqualis, ac intermittens, item frequens leipothymia, ac ejuſdem metus, ſcorbuto graviori ſæpenumero accidunt; quorum par ratio, ac reſpirationis anomalæ, modo ſanguinis in corde accenſioni indebitæ, modo nervoſi generis inordinationi merito aſcribitur: ſanguis ſalſuginior factus, ac inſuper fæculentiis ſcorbuticis valde refertus, velut ellychnii oleum, ſale ac ſordibus limoſis imbutum, non niſi inæqualiter, ac interrupte accenditur: quare hinc pulſus irregularis, cum ſpirituum vitalium crebro deliquio cietur: Porro ſi quando nervi cardiaci etiam materia morbifica obſidentur, ut ſpirituum animalium influxus, quo cordis motus perennatur, haud juſto dimenſo, & æquabili ritu peragatur, propterea quidem accidit cordis motum aliquatenus inhiberi, ejuſque reciprocationes varie perturbari; pulſus inæqualis, vel intermittens, & parvus ac debilis a dyſcraſia ſanguinis, ſin ſatis ſit magnus & fortis, a functionis animalis vitio procedere videtur. *Pulſus inordinatus.*

5. Cordis tremor, palpitatio & magni ſubſultus ſcorbutice affectis non raro contingunt; ejuſmodi paſſiones ſunt mere convulſivæ, atque a nervis cardiacis, nempe ad cor ipſum, aut pericardium ſpectantibus a materia ſpaſmodica & exploſiva obſeſſis, omnino dependent; nam ſpiritus animales, ipſorum nervorum, fibrarumque appendicum hoſpites, inordinate exploſi, totam cordis compagem immaniter ſuccuti, & locomoveri cogunt; interea dum cordis integra moles eo ritu agitatur, non raro proprios ſyſtoles & diaſtoles motus ſatis recte perficit, prout in nonnullis obſervavi, quibus urgente tali cordis ſuccuſſione, pulſus ordinatus, & laudabilis fuit. *Paſſiones cordis.*

6. Febres erraticæ, nec non ſubitaneæ caloris ac frigoris in variis partibus corporis ſuffuſiones, ſcorbuto inveterato ſupervenire ſolent: priorum ratio eſt, quod materia extranea, ſæpe cum ſucco nutritio ſanguini illata, quinetiam ipſe ſuccus alibilis, degener factus, quatenus non rite cum ſanguine miſcibilis, efferveſcentias ejus extempora- *Febres vagæ.*

neas concitant: interea febris typum regularem obſervans, iſtam ob cauſam excitari ſolita ſcorbuticis raro contingit; quia ſanguis ſalſugineus, licet incendio febrili correptus, haud diu, neque multum, ſaltem non æquabiliter deflagrat: Quoad caloris ac frigoris ſuffuſiones ſubitaneas; illæ quidem aliquatenus propter nervoſi generis affectus inferri videntur: quippe cum nervi ac propagines ſurculique nervei, vaſa ſanguifera, in pleriſque corporis partibus, amplectuntur & varie circumligant, in iſtum fortaſſis uſum, uti juxta paſſionum impetus, aliaſquæ naturæ exigentias, ſanguinis curſus, velut ſtimulis, & frænis urgeatur, coerceaturque: veriſimile eſt, quod cum a labe ſcorbutica regiminis animalis œconomia pervertitur, pleroſque nervos & fibras eorum appendices huc illuc protenſas, ſpaſmos ſive motus convulſivos paſſim inire; propter eorum ἀταξίας etiam arteriæ, & venæ ἀνωμαλῶς contrahuntur, proinde ut ſanguis in has partes plus debito compellatur, ac ab iſtis nimis exulat, unde caloris & frigoris ejuſmodi inordinationes procedunt.

*Sudores nocturni.* 7. Sudores copioſi, præſertim nocturni, ſcorbuticis quibuſdam perquam moleſti eſſe ſolent; cujus ratio eſt, quod cum ſuccus nutritius in maſſam ſanguineam quotidie illatus, propter hujus dyſcraſiam, & illius impuritatem ac ſordes, minime aſſimilatur; a ſanguine rejectus, ſub ſudoris forma amandatur. Quod vero liquor nutritius inter aſſimilandum degener factus, febrem intermittentem non more ſuo producat, in cauſa eſt ſanguinis intemperies ſalſuginea, qui propterea deflagrationibus periodicis minus habilis exiſtit: hujuſmodi ſudatio immodica in ſcorbuto, febri diuturnæ, aliiſque morbis chronicis, ſuperinducto potiſſimum contingit, ubi nimirum liquor nutritius ſanguinis aſſimilantis, magis quam viſcerum coquentium, culpa pervertitur.

*Urina lixivialis.* 8. in ſcorbuto, certiori, quam in aliis affectibus, diagnoſi matulam conſulimus: nam ſi abſque febre, aut ictero, urina intenſe rubicunda, & quaſi lixivialis apparet, iſtius morbi hoc ſignum indubitatum

indubitatum pronunciamus. Enimvero dum latex ſeroſus cum ſale & ſulphure ſolutis aliquamdiu circulatur, particulæ ſalinæ & ſulphureæ eodem incoctæ, tincturam valde ſaturatam, & velut lixivialem impertiunt: quod etiam talis urina, contentis, quæ in lotio refrigerato ad fundum præcipitantur, plurimum abundat, particulis ſucci nutritii degeneris cum ſero abreptis, omnino debetur. Sed tamen urinæ ſcorbuticorum ſæpe variant; aliquando namque illæ citrini coloris, cum cremore innatante,aut vitri parietibus affixo apparent, unde ſumitur indicium, ſanguinem particulis ſalinis pluſquam ſulphureis abundare: Equidem ſi talis urina ad ignem exhalet, reſidentia ſalina in ſubdupla liquoris quantitate remanebit: Porro interdum ægrotantium urinæ de hoc, vel illo ſtatu in contrarium mutantur, ut quæ hodie rubicunda, aut citrina ſit, cras limpida & tenuis in copia ingenti excernetur: Cujuſmodi lotium ſiquidem conſtat haud diu cum ſanguine circulatum fuiſſe, (quia nullam ab eo tincturam ſuſcipit) provenire ſtatuimus,a ſanguinis & ſucci nervoſi recrementis aquoſis,partim intra lymphæductus contentis,partim intra poros & meatus ſolidarum partium depoſitis;quæcum ad plenitudinem aggeruntur,fluore oborto, e receptaculis ſuis ubique exundant, inque maſſam ſanguineam irruentia, exinde ſtatim per renes amandantur.

*Sputatio copioſa & oris affectiones ulceroſæ.*

9. Huic morbo ingraveſcenti, ſupervenit ſputatio copioſa, & plerumque gingivarum ſanguinolentia, dein earum flacciditas, ac tandem putrefactio, quam dentium eroſio, vacillatio, aut caſus cum oris fœtore comitari ſolent: Quorum ratio, ut melius conſtet, imprimis advertendum eſt, circa partes oris peculiares quoſdam ductus, nempe ſalivales, quibus ſeroſi humores copioſe excernantur, conſtitui: iſti a variis glandulis, nempe parotidibus, maxillaribus & ſublingualibus exorti, maxima ex parte circa gingivas, aut prope ipſas terminantur: horum munus conſtans & ordinarium eſt, ſalivam propter uſus quoſdam neceſſarios in cavitatem oris deponere. Præter-

ea tamen obſervare eſt, humores ſuperfluos, quin & vitioſos, craſſiores forſan quam ut per ſudorem, urinam, aliaſve vias a ſanguine ſecernantur, hac via foras amandari. Argentum vivum ſalibus ſubactum, & deinde intus aſſumptum, aut corpori illitum, a ſalinis corporis noſtri particulis minutiſſime diſſolvitur, iiſque involutum penitiſſime immiſcetur: hujuſmodi ſalium & Mercurii concretiones, per omnes humores, inque omnes totius corporis partes diffuſas, cum natura, ſiquidem moleſtiam pariunt, expellere nititur, illarum excretionem per hæc oris emunctoria optime, & quidem facillime molitur: Etenim ſanguis, & forſan aliquatenus liquor nervoſus, recrementis iſtis mercurioſalinis onuſti, eadem omnimodo excutere ſatagunt; quæ tamen, cum craſſiora fixioraque ſunt, quam ut per diaphoreſin exhalent exudentve, aut a renum fermento præcipitata per urinam amandentur; illa interdum arteriarum oſcula inteſtinis inſerta perrumpentia aliquatenus per alvum excluduntur; attamen iſtius pharmaci particulæ ſero obvolutæ promptiſſime in prædictis glandulis, aliiſque ad os & gulam ſpectantibus depoſitæ, per ſalivationem uberius excitatam, effluunt; quo effluxu gingivas, aliaſque oris partes ulcerari, atque dentes, cum fœtore oris, vacillare contingit: cæterum hujuſmodi ſalivatio interdum ſine mercurio in febrium male judicatarum declinatione, criſeos loco ſponte ſuccedit; atque humor excernendus non tantum apertioribus ductuum ſalivalium foraminibus, ſed & arteriarum oſculis ubique conſitis exudans, cruſta albicante oris cavitatem oblinit: Par equidem ratio ſymptomatum ejuſmodi in ſcorbuto accidentium reddi debet: quandoquidem enim in ſanguine depravato, ſalis ac ſulphuris enormium recrementa plura & craſſiora congeruntur, quam ut diaphoreſi, vel per urinam aut ſedem ſatis excerni poſſint, ad oris emunctoria, quibus ſalſiora ſanguinis purgamenta exire ſolent, deferuntur: ſalſamenta iſta ſero diluta, non ſolum e vaſis ſalivalibus exundantia, ſputationem copioſam creant, ſed etiam per arte-

rias

rias advecta, molles & ſpongioſas gingivarum carnes ſubeunt, quæ primo, poris earum ſanguine ichoroſo oppletis, intumeſcunt; poſtea tamen, ichore ſalſo a ſanguine abſcedente, & continuo excreto, gingivarum caro, propter laudabilis nutrimenti defectum flacceſſit, dentes pene nudatos relinquens: porro a diuturno materiæ plane corroſivæ affluxu gingivarum caro corrumpitur, ut dentes ſtabilire nequeat, quin hi, alveolis diſſolutis, laxantur, aut decidunt, atque ob particulas ſalino-ſulphureas, partim humoris excreti, partimque gingivarum putreſcentium, continuo expiratas, fœtor oris graveolens excitatur.

10. Maculæ in cruribus, aliiſque partibus corporis erumpentes ſcorbuti ſignum pathognomicum habentur; hæ quandoque latiores, nummi denarii, non raro item ſolidi aream exæquant; interdum cutis ad magnitudinem manus, aut ſupra in parte quadam ſuggillari videtur: porro maculæ iſtæ diverſicolores, ſc. modo citrinæ, modo obſuſcæ, modo purpureæ, lividæ aut nigræ apparent: porro quibuſdam exanthemata varie extumeſcentia, ſc. modo lævia, modo cum cute aſpera, & quaſi cruſta, aut ſquamis obducta in his aut iſtis membris vel in toto corpore erumpunt: inter maculas & exanthemata, ſive tumida & æqualia, ſive aſpera fuerint, hoc diſcrimen in genere annotetur, nempe quod hæc materiam ſanguini minus congruam continent, quare a maſſa ejus in circuitu ſecreta in cute defiguntur; nec tamen eadem prorſus a ſanguine derelinquuntur, quin ſanguis pertranſiens particulas ſubinde alias, novaſque apponit: quo fit ut materia extravaſata, a continuo ſanguinis appulſu vel denuo reſorbeatur, vel ſubtiliata foras exhalet, (licet interdum partim hac via, partim illa res agatur) vel denique materies iſta ſuppurata in abſceſſus tranſit. Porro exanthemata cujuſque fere generis, non tantum in ſcorbuto, ſed in pleriſque aliis affectibus, immo ſi quando ſanguis propter occaſiones aliquas immodice ebullit, paſſim eveniunt. At vero maculæ, ſunt portiones a ſanguine ſecretæ, & ab eodem

*Maculæ & exanthemata varia.*

prorſus derelictæ, adeo ut nihil illis cum ſanguine circulato deinceps commercii fuerit; quare nec in molem accreſcunt, nec ſuppurantur, nec facile evaporant: maculæ citrinæ aut obſuſcæ videntur eſſe bilis flavæ aut atræ portiones quædam e ſanguine in cutim ſuffuſæ: quoad ſtigmata vero nigra aut purpurea advertere eſt, eadem in nullis præterea affectibus, niſi in febre peſtilentiali, lue venerea, & ſcorbuto excitari: in peſte & febribus malignis videntur eſſe ſanguinis ſyderati, & velut νεκρῶς affecti, partes quædam rejectæ, quibus ſemper malignitas & contagium adjunguntur, prout alibi fuſius oſtendimus: in lue venerea & ſcorbuto etſi non tanta malignitas reperiatur, ut ſpiritus ſanguinis valde mortificentur, ejuſque liquor ſyderationes majores ineat, tamen ſuſpicari fas ſit, quod in utroque morbo ingraveſcente, ſanguis aliquatenus corrumpi & coagulari aptus, in grumos minores concreſcat; cujuſmodi ſanguinis concretiones arteriarum oſculis extruſæ, in cute deſiguntur, & juxta quod portiones iſtæ majores aut minores fuerint, & cruoris plus aut minus corrupti participant, etiam maculæ quoad magnitudinem & colorem inſigniuntur.

*Alvi fluxus.* 11. Alvi fluor & diarrhœa in ſcorbuto ſatis frequenter accidunt, in tantum ut fæces alvi, quæ modo liquidæ ſunt, modo compactæ & diverſi-colores, alimenta ingeſta in quantitate excedere videantur. Cujuſmodi fluxus, licet immodicus apparet, ſi medicamentorum uſu ſiſtitur, ſtatim affecti, ventriculi, & hypochondriorum intumeſcentia, dyſpnœa aut animi deliquio tentari ſolent. Diarrhœæ ſcorbuticæ cauſa eſt, partim quod chylus non recte coquitur; neque per vaſa lactea cito ac ſatis effertur; hinc in inteſtinis ſtagnans & degener factus foras amandatur, præcipue vero hoc contingit, quod e maſſa ſanguinea impuritates interius admiſſæ arteriarum oſculis exudant; quapropter excreta interdum ingeſtis copioſiora exiſtunt.

*Vomitus, nauſea. &c.* 11. Pari ratione, crebro vomitui, rugitui nauſeæ, & cardialgiæ ſcorbutici æque ac hypochondri-

aci obnoxii reperiuntur : quæ quidem ſymptomata frequenter in hoc morbo accidunt, partim quia ſtomachi tonus labefactatur, ejuſque fermentum vitiatur, quo fit ut chyli male concocti reliquiæ in pultem auſteram, ſalſam, vitriolicam, aut alias degenerem faceſſat : præterea tamen ſtomachus male habet, quoniam & ſanguinis recrementa interius reſtagnantia, in ſinum ejus ſuffunduntur.

*Dyſenteria & hæmorrhagia.*

13. Nonnunquam affectus dyſenterici, item crebræ hæmorrhagiæ e naribus, venis ſedalibus, renibus, thorace, gingivis, aliiſque locis ſcorbuto inveterato laborantibus ſuccedunt : cujuſmodi ſymptomatum cauſa eſt, quod ſanguis ſalſior factus, propterea que efferveſcere aptus, vaſorum oſculis facile erumpit ; præcipue vero, quia cum partium ſolidarum tonus debilitetur, atque fibræ ſint valde laxæ, vaſorum ora fiunt patentiora, & diſcontinua, ita ut ex arteriarum extremitatibus in venarum oſcula tranſitus non recta ducat, quin ſanguis inter vaſorum aperturas interceptus, ibidemque ſtagnare, & diffluere aptus, qua data via, facile erumpit, & ſe foras proripit.

Hæc ſunt præcipua ſymptomata, quæ propter labem maſſæ ſanguineæ impreſſam, & exinde in alias partes immediate tranſlatam, ſcorbutus inferre ſolet, quorum aliquibus tamen in cauſæ partem, etiam liquoris nervoſi depravatio accedit: Jam proxime conſideremus hujus morbi effectus & accidentia, quæ fere tantum, aut potiſſimum ſucci nervoſi culpa excitari ſolent.

CAPUT.

## CAPUT IV.

*Symptomata & accidentia quæ, in ſcorbuto, propter labem cerebro & nervoſo generi impreſſam, exoriri ſolent.*

*Puſillanimitas, & totius corporis languor.*

1. SUpra innuimus, ingraveſcente ſcorbuto, liquorem cerebri & nervoſi appendicis irriguum, ſolito tenuiorem & pauperiorem evadere, quo fit ut pleræque functiones animales præpedite admodum ac minus vegete exerceantur; hinc potentia locomotiva plurimum vacillat, ut affecti otium, & receſſum amantes, corporis exercitia, & labores devitent, penſa quævis ægre ſuſcipiant, eaque ſtatim delaſſati remittant. Novi quibus tota anima ſenſitiva debito exilior, & quaſi corpori impar facta videbatur, adeo ut ægri ſe nec ambulare, nec ſtare poſſe credentes, lecto excitari, aut exurgere omnino recuſarent; cum tamen nulla evidens cauſa impediret, quin ſua munera ſatis exequi valerent: porro tales utut prius ingenioſi, etiam animi labores, & ſtudia abhorrent, & plane nihil agendo vitam conterere affectant.

*Melancholia.*

2, In ſcorbuto inveterato, ſuccus nervoſus a craſi ſpirituoſalina, verſus acetoſam declinat; hinc, prout alibi oſtendimus, melancholia, animi fluctuatio, propoſiti inconſtantia & crebra mutatio procedunt: porro cum fibræ nerveæ a tali humore influo perpetuo irritentur, hinc leviores ſpaſmi, contracturæ, & dolores vagi aliquatenus eveniunt: At vero maximum liquoris nervoſi vitium eſſe ſolet, quod ſordibus, & fæculentiis refertus, particulas heterogeneas, & regimini animali diverſimode infeſtas contineat: quapropter affectus ſæpe graviores, & horrendi ſcorbuticis contingunt; cujuſmodi ſunt ſymptomata ſequentia.

3. Affectus

3. Affectus paralytici, ſc. impotentia, aut reſolutio unius, aut plurium membrorum, item ſtupor, & formicationis ſenſus ſcorbuto ingraveſcenti crebro ſuperveniunt: cujuſmodi tamen ſymptomata, utplurimum non ſunt valde fixa & permanentia, verum modo ceſſant, aut remittunt, mox repetunt, aut intenduntur. Scorbutica paralyſis potiſſimum ob tria cauſarum genera excitari ſolet, quæ ſc. modo conjunctim, modo diviſim hunc morbum producunt. 1. Etenim membri debilitas aut reſolutio contingit, quia ſucco nervoſo depauperato, ſpirituum animalium, quibus membra quævis actuentur, penus ſive copia ſufficiens deſideratur: Hinc valetudinariis, tanquam ſenio confectis, circa crura & pedes, aliaſque interdum partes extremas, ad quas ſpirituum influxus haud ſatis ubertim pertingit, facultas locomotiva vacillat: poſtea forſan, cum major ſpirituum affluxus membro affecto confertur, ac interim alibi deficit, morbus ceſſat, aut alio transfertur. 2. Interdum ſpiritus animales, etſi copioſe ſatis in partes ſuppeditantur; tamen particulis heterogeneis, & quaſi narcoticis, cum ſucco nervoſo illatis inficiuntur; ita ut quaſi ligati, & ſemiobruti, nixus exploſivos vegete ſatis inire nequeunt: hinc non ſolum impotentia facultatis motivæ, verum & ſenſitivæ depravatio quædam, ſc. ſtupor & formicationis ſenſus oriuntur: quippe dum ſpiritus animales copula incongrua aggravantur, eorum irradiatio, haud aliter quam ſolis radiorum nebuloſum aerem pertranſeuntium, non niſi refracte & impedite peragitur, 3. Licet ſpiritus animales uberi ſatis copia diſpenſentur, ſintque narcoſi quavis immunes, & liberi, ſæpe tamen illorum viæ obſtruuntur, ut intra membra quædam commercia ſpirituum influorum, & inſitorum commode peragi nequeant; namque interdum accidit, particulas craſſiores, & terreſtres nervorum corpora cum ſucco irriguo ſubire, quæ dein alicubi circa plexus nerveos, alioſque anfractus plenius aggeſtæ ductus in tantum infarciunt, ut ſpirituum in hoc aut illud membrum irradiatio prorſus inhibeatur.

*Paralyſis ſcorbutica.*

*Ob tria cauſarum genera.*

Ita

Ita novi in aliquibus manum, aut pedem, quin & brachium aut femur, reliquo corpore valente, penitus reſoluta evaſiſſe.

*Dolores quorum varia ſunt ſpecies.*

4. A ſimili cauſa, ſc. fæculentiis ſcorbuticis, in nervorum corpora delapſis, etiam dolores, qui frequentiſſimum hujus morbi ſymptoma habentur, aliquatenus procedunt; attamen cum varii ſint generis, etiam propter alias præterea cauſas oriuntur. Enimvero dolores ſcorbutici ſunt vel leviores, incerti, ac cito tranſeuntes, qui interdum a flatu membranas diſtendente, quandoque etiam a materia ſalſa, vel acri, modo a ſanguine, modo etiam a liquore nervoſo, in partes nerveas ſuffuſo dependent; cujuſmodi materies, quatenus fibris nerveis improportionata, eas vellicat, ac in corrugationes irritat, dolorifica evadit: in quantum vero eadem vel a ſero affluente cito eluitur, vel a calore diſſipatur, ſenſatio moleſta a tali cauſa illata faciliùs dimovetur. Vel ſecundo dolores ſcorbutici graviores ſunt, plurimum acuti, difficulter mobiles; cujuſmodi item, vel ſunt fixi & determinati ad particularem quendam locum; aut vagi, moleſtiam, utut graviſſimam, ab uno loco ſubinde in aliam transferentes; prout cernitur, in arthritide vaga, ſcorbutica & rheumatiſmo, de quibus infra ſpeciatim diſſeremus: interim dolores fixi, & diu permanentes, in variis partibus, præcipue vero in ventre, lumbis, cruribus, ſterno, ac capite excitari ſolent: Operæ pretium videtur pathologiam, ad ſingula hæc loca pertinentem, breviter deſcribere.

1.
*Dolor ventris fere continuus.*

1. Dolor ventris ſcorbuto adeo familiaris eſt, ut juxta idioma Germanicum, exinde nomen acceperit. Hoc ſymptoma nonnullos affectos, in mitiori licet gradu, fere continuo affligit; cui alvus modo ſoluta, modo ſumme aſtricta adjungi ſolet: quorum ratio eſſe videtur, quod cum & ſanguis, & ſuccus nervoſus impuritatibus ſcatent, tum arteriæ, tum nervi materiæ excrementitiæ copiam verſus alvi cloacam deferunt, quæ circa meſenterii, aut inteſtinorum tunicas defixa, fibras nerveas perpetuo vellicando, dolores conſtantes ciet.

Cæterum

Cæterum vero in quibuſdam ſcorbuticis dolorum valde acutorum paroxyſmi, tamquam affectiones colicæ frequenter eveniunt; qui per plures dies, immo interdum ſeptimanas protracti, laborantes miſerrime excruciant: nimirum hi, præ doloris atrocitate, viſcera quaſi divelli, & dilacerari ſentiunt: tormenta hæc vix ullis remediis niſi generoſioribus opiatis, compeſci ſolent; & quam primum hypnoticorum virtus abſumitur, cum ſolita atrocitate repetunt; paroxyſmo vero diutius perſiſtente, cruciatus ſæpenumero in lumbos & dorſum propagentur, & exinde demum in membra totius corporis diffundantur: cujuſmodi affectioni non raro paralyſis ſuccedit. Quod autem ſpectat ad colicæ ſcorbuticæ cauſam; haud probabile eſt, eam oriri ab acri materia, intra cavitates inteſtinorum depoſita, nec etiam ab humore quopiam ſimplici, utut tetro, illorum tunicis impacto: hic etenim brevi diſcutiatur, aut in abſceſſum tranſeat, porro iſte enematum, aut purgantium uſu facile exterminetur: reverea atrocia iſtæc ventris tormina, non ob aliam cauſam quam a ſalium (qui diverſæ ſunt indolis) ſimul congredientium mutua lucta, & effervescentia, qua quidem fibræ nerveæ ab invicem divellanrur & quaſi dilacerentur, provenire poſſunt. Enimvero ſupponere licet, ſucci nervoſi recrementa quædam acetoſa, ſtagmatis vitriolici æmula, circa meſenterii plexus, aliaſve iſtius regionis partes nerveas, copioſe aggeſta, quibus dein a ſanguine arterioſo effervescente colluvies ſeroſa, ſalis fixi & velut lixivialis particulis abunde referta, advenit; cumque iis turgeſcens, dolores velut lancinantes producit. Seminii morbidi prioris mineram e capite nervorum ductu in imum ventrem deſcendere, hinc arguere licet, in quantum cephalalgiæ immanes, nec non vertigo, & ſcotomia ejuſmodi colicam ſæpiſſime præcedunt, eique non raro ſuccedunt: Porro e maſſa ſanguinea particulas ſalis fixi, quaſi deliquium paſſas, abunde ſuppeditari, hinc conſtat, quoniam urgente hujus morbi paroxyſmo, ægrotantium urinæ coloris ſaturati &

*2. Dolores quaſi colici.*

*Eorum cauſa.*

ſale

ſale plurimum refertæ, quaſi lixiviales apparent, earumque ſuperficies ſæpenumero, inſtar caudæ pavonis, diverſis coloribus variegatur: quamprimum vero morbus declinare incipit, urina melius habet, atque hinc convaleſcentiæ ſpes & ſigna deſumi ſolent. Quod autem ventris affectio ſæpenumero in lumbos propagetur, ratio eſt, quoniam nervi lumbares & meſenterici intime communicant, ac pluribus in locis mutuo inoſculantur: quare cum materies dolorifica in horum ductibus ſuperabundat, in vicinos illorum proceſſus facile tranſit: deinde autem, quod morbo ingraveſcente, dolores per totum corpus diffuſi, ſingula fere membra ac artus affligunt, ratio eſt, quia cum uberior ſeminii morbidi penus in capite progignitur, quam ut totus in nervorum imprimis affectorum, ſc, paris vagi & intercoſtalis, caudices, derivari poſſit; pars ejus, aliorum inſuper nervorum, etiam ſpinalis medullæ corpora ſubiens, in plurimas totius corporis partes mineram morbificam, ſalis acetoſi participem explicat, quæ ubique ſalis fixi e maſſa ſauguinea acceſſu ἀλγηματώδης evadit: denique poſtquam nervis una plurimis materia incongrua, ſc. poſt mutuas humorum efferveſcentias reſidua, obſeſſis, & valde repletis ſpirituum copia profligatur, emanationum viæ obſtruuntur, eorumque mutua commercia abrumpuntur, nihil mirum eſt, ſi diuturni dolores ultimo in paralyſin terminantur. Nec tantum in medio ventre, ubi circa meſenterii plexus cauſa morbifica ſubſiſtere videtur, ſed in aliis circumcirca locis dolores, colicis haud inferiores, exoriri ſolent: Novi virginem nobilem cruciatibus acerrimis, prope os pubis, ſupra menſis ſpatium durantibus, & pro data occaſione repetere ſolitis, abſque ulla calculi, aut ulceris, circa vias urinarias, ſuſpicione obnoxiam fuiſſe: Cujuſmodi affectionem a materia morbida, plexibus nerveis in hypogaſtrio conſitis impacta, dependere arbitramur. Porro familiare eſt ſcorbuticis in hypochondrio, modo dextro, modo ſiniſtro, modo circa ventriculi regionem, dolorum valde atrocium paroxyſmos

*Dolores in variis abdominis partibus.*

ſmos experiri: quorum cauſas in plexibus nerveis ad viſcera ibidem loci conſita pertinentibus, latere putamus.

*In lumbis, & dorſo.*

2. Dolores ſcorbutici interdum lumbos, quin & dorſi regionem, modo ſummam, modo imam, abſque prævio abdominis affectu, vel nephritidis culpa infeſtare ſolent. Novi plures a tali ægritudine decumbentes, aliquot dies & noctes de cruciatu intolerabili perpetuo conqueſtos: Cujuſmodi pathematis cauſam, in liquoris nervoſi recrementa acetoſa, iſtarum partium membranis & tendinibus ſuffuſa, ac dein ſalſamenti ſanguinei acceſſu in effervеſcentiam concita, referre viſum eſt.

*In pectore & pleura.*

3. Propter ejuſmodi ſalium conjugia, membranis præcordia inveſtientibus affixa, dolores circa pectoris regionem perquam moleſti, & non facile mobiles, crebro inducuntur; hinc pleuritis notha adeo frequens ſcorbuti ſymptoma eſt. Novi plures ſcorbuticos dolore moleſtiſſimo, ſubter ſternum excitato, perquam diu vexatos; ut in quibuſdam ita affectis, nihil minus quam abſceſſum in mediaſtino latentem ſuſpicarer; cum revera ſymptoma iſtud tantum a materia heterogenea, illuc partim a nervis, partimque ab arteriis allata, & membranis affixa ibidemque efferveſcente penderet: quod & eventus ſæpe comprobavit: nam ægrotantes diuturno remediorum antiſcorbuticorum uſu liberabantur.

*In capite.*

4. Hactenus præcipuas dolorum, intermedias corporis partes infeſtantium ſpecies, recenſuimus. Cæterum in ſcorbuto non minus moleſtiæ circa partes extremas, ſc. caput & crura, ſentitur. Quoad prius, cephalalgia morbo iſti tam raro deeſt, ut multi potiſſimum hoc affectu virus ſcorbuticum luant; cujus nempe mali paroxyſmis graviſſimis, longo tempore protractis, & crebra vice repetitis, obnoxii fiunt, Hujus cauſam unicuique obvium eſt, humoribus in meningas ſuffuſis aſcribere; quod etiam ἀυτοψία combrobavit. Nam in quorundam defunctorum cipitibus apertis, utraſque membranas coalitas, & tuberculis, ac tumoribus

moribus ſcirrhoſis per totum obſitas vidi. Cujuſmodi tumores & concretiones, a gemini humoris dolorifici, poſt crebras efferveſcentias, mutuis coagulationibus, exoriri videntur.

*In cruribus.* 5. Nec quidem aliter ſtatuendum erit circa dolores ægrotantium crura & tibias, nocturno præſertim tempore, graviſſime moleſtantes: plures etenim ſcorbuto inveterato laborantes, quamprimum lecto incaleſcunt, circa ſuras & femora, atque alias interdum partes, cruciatus intolerabiles pati ſolent, ita ut inclament, carnes ſuas, velut canum morſibus, aut laniena corrodi, ac dilacerari: Tortura hæc, ſi lecto eximantur, paulo remiſſius habet; ſecus affecti, per totas fere noctes miſerrime excruciantur. In hoc caſu nihil aptius concipi poteſt, quam ſucci nervoſi recrementa acetoſa in tibias, utpote in loco maxime declivi ſitas, decumbere, earumque membranis copioſe affigi, quibus, a ſanguine, propter lecti calorem, inſignius rarefacto, & agitato, dum rejectanea ſalina accedunt, cumque iis, pro ſalium more, fermenteſcunt, propterea quidem, a mutua particularum diverſi generis lucta & efferveſcentia, fibræ nerveæ ſupra modum vellicatæ, & divulſæ, corrugationes valde dolorificas ineunt; nec quidem citius ἀλγήματα hæc ceſſant, aut remittunt, quam particulæ, tunc aggeſtæ, aut evaporant, aut mutua lucta ſubactæ & attritæ ab efferveſcentia conquieſcunt; ſubinde vero intra breve ſpatium, utriuſque materiæ penus recens in novum paroxyſmum deponitur. Propter hujuſmodi ſalium diverſi generis, & ab humore duplici prodeuntium συζυγίας, mutuamque efferveſcentiam, etiam arthritis vaga, rheumatiſmus, & quidam alii affectus, quos merito ad conjunctas ſanguinis & ſucci nervoſi dyſcraſias, & velut in malo confœderationes, referimus, producuntur. Porro in eadem claſſe dolorum ſcorbuticorum ſpecies quædam modo tractatæ poni debuerant: attamen quia doloribus aliis, a ſingulari ſucci nervoſi aut ſanguinis vitio oriundis, affines ſunt; idcirco affectionum ἀλγηματώδων theorias diverſimodas hic ſimul conjunximus.

In

In ſcorbuto, prout ſymptomatum diverſi generis confluxus occurrit, ita & materies morbifica multiplex, & variæ indolis progignitur: ſc. particulæ heterogeneæ, cerebrum & nervoſum genus cum ſucco irriguo ſubeuntes, modo ſunt narcoticæ & paralyſeos, modo ſalinæ & dolorum parentes, (uti dictum eſt) quandoque etiam, nitroſulphureæ & exploſivæ, a quibus affectiones ſpaſmodicæ oriuntur: Enimvero propter hujuſmodi particulas, in cerebro aggeſtas, vertigines, ſcotomiæ, ac interdum inſultus quaſi comitiales, ſcorbuticis contingunt: A tali cauſa, genus nervoſum occupante, in viſceribus & membris, motus convulſivi, tremores, ſuccuſſiones, & non raro contractiones horrendæ ſuccedunt. De convulſionum natura, differentiis, & cauſis ſupra ſatis fuſe diſſeruimus. Porro hujus affectionis caſus quoſdam admirandos, a labe ſcorbutica oriundos, plene deſcripſimus, ut non opus videatur ſuper hac re jam plura diſſerere; namque hypotheſi ſuperius tradita, quibuſvis ſcorbuti ſymptomatis ſpaſmodicis facillime accommodetur.

6. Scorbuto inveterato laborantes vertigini utplurimum valde obnoxii fiunt: ſuper hoc affectu, uti & de pleriſque aliis cephalicis, diſquiſitiones ſpeciales, aliquando forſan publici juris faciendas, inſtituimus. Interim hic verbo annotetur, ſymptoma iſtud oriri, eo quod ſpiritus animales de ſolitis expanſionum ſuarum viis aliquatenus pervertuntur, nempe ſtatas ſuas ſeries, & ordines vel impediti, vel alio propulſi, abrumpere coguntur: hæc, uti in aliis caſibus, ita præſertim in ſcorbuto, propter duas potiſſimum cauſas, nempe alteram, aut ſimul utramque fieri contingunt; ſc. vel quia cerebri meatibus & poris quibuſdam, ab hoſpite extraneo occupatis, ſpirituum commeatus alicubi obſtruitur; vel ſecundo ſpitituum manipuli quidam copula heterogenea onuſti, aut pone reliquos ſubſiſtere, vel tractibus ſuis excedere coguntur: In hoc morbo, ſiquidem a ſanguine valde impuro, liquor cerebro inſtillatus, plurimas fæculentias ſecum refert, qui ſecus fiat, quin parti- *Vertigo.*

culæ

culæ heterogeneæ cerebri poros paſſim infarciant, atque ſpiritibus animalibus accreſcendo, eos aggravent, aut in exploſiones adigant?

*Somnolentia.* 7. Propter ſimilem fere cauſam, ſomnolentia, & torpor inſignis ſcorbuticis frequenter accidunt; in quantum ſc. ſpiritus animales particulis vel aquoſis aut narcoticis onuſti, ac plurimum aggravati, intra cerebrum, etiam valde obſtructum, motus pernices, & expeditos non facile ineunt, neque functionum ſuarum actus & exercitia diu continuant, quin ſuccumbere, ac otio, & quieti indulgere amant. Porro hujuſmodi affectus, quandoque a ſpirituum animalium defectu & penuria excitatur; etenim a ſanguine plurimum vitiato, & quaſi effœto, liquor, non niſi tenuis, & vigoris omnis fere expers, cerebro & nervoſo generi ſuppeditatur: a tali προφάσει in moribundis lethargum excitatum novi; quo ſc. affecti, licet ſomno continuo indulgere viderentur; interpellati tamen, illico adſtantes noſcere, & affatis quibuſvis reſpondere ſolebant; ſpirituum vero animalium copia fatiſcente, nec diu evigilare, nec ad colloquia longiora attendere valebant. Tales demum cum ſomno perpetuo obrutos aperui, cerebrum ſatis exiccum, ac hydrope, aut colluvie ſeroſa, quibus lethargici plerunque afficiuntur, prorſus immune deprehendi.

*Et vigilia.* Interdum vero e contra, ſcorbutici quidam vigilia fere conſtanti moleſtantur. Cujuſmodi ſymptoma, aliquando ab animi affectibus, dolore, pathematis convulſivis, leipothymias metu, paſſionibus cordis, etiam a ſtomachi, aliorumque viſcerum perturbationibus, procedit; in quantum ſc. ob ſpiritus in quapiam animæ ſenſitivæ parte vehementius commotos, tota eorum hypoſtaſis, a quiete, ſive ſtatu tranquillo ineundo, detinetur. Novi autem quoſdam labe ſcorbutica tactos, qui licet dolorum, aut ſpaſmorum immunes fuerint, etiam animi affectu quovis immodico liberi, per plures tamen ſeptimanas dies & noctes prorſus vigiles duxerunt; ac ſæpe, opiatis validioribus licet aſſumptis, ne tantillum ſomni capeſſere potuerint:

Interim

Interim ac ſi ſomno minime carerent, ſine capitis gravitate, abſque ſenſuum aut mentis torpore, uſque vegeti, atque ad labores obeundos ſatis expediti perſtiterunt. Hujus ratio videtur eſſe, quod interdum una cum ſucco nervoſo, particulæ quædam nitroſalinæ, naturæ,ſc. efferæ & irrequietæ, (cujuſmodi ſunt effluvia ab aqua forti, aut ſpiritu nitri decedentia) ſpiritibus accreſcentes, eos perpetim agitari, ac indeſinenter in motu eſſe cogunt: quemadmodum enim vapores ab aquis ſtygiis emanantes, nunquam prorſus figuntur, aut quieſcunt; ita particulæ heterogeneæ, quæ iſtiuſmodi ſunt indolis, ſpiritibus cerebri incolis adhærentes, eos fere nunquam otiari, aut ſomno indulgere ſinunt. Hæc ſunt præcipua ſymptomata, quæ in regimine animali,propter ſcorbuticam labem, liquori cerebri, & nervorum irriguo impreſſam, excitari ſolent; quibus præmittuntur illa,quæ ſanguinis a recta craſi degeneris vitio contingunt. Quod ſpectat ad magnos iſtos, & plane Herculeos morbos,nempe apoplexiæ, & epilepſiæ inſultus,qui interdum ſcorbuticis accidunt: in hujuſmodi caſibus, prior affectio, quaſi alteri digniori maritata, nomen ſuum amittit, ac in illius pathologiam, velut proſapiam tranſit. Ultimo inquiramus quæ ſunt ſcorbuti ſymptomata, propter conjunctas ſanguinis & ſucci nervoſi dyſcraſias, & veluti in malo confœderationes repullulantia.

## CAPUT V.

*De ſcorbuti ſymptomatis, quæ propter conjunctas ſanguinis & ſucci nervoſi dyſcraſias oriuntur.*

IN hoc cenſu imprimis collocetur atrophia ſcorbutica;qui enim hoc morbi diutius laborarunt, abſque notabili pulmonum labe, aut phthiſeos ſuſpicione, ſæpe in maraſmum incidunt, ita ut carnes prorſus decidant,ac cutis valde flacceſcens vix oſſibus *1: Atrophia ſcorbutica.*

oſſibus cohæreat. Cujus cauſa non tantum ſanguinis a recta craſi degeneris culpæ atribui debet; namque hic, utut depravatus, aliqualem ſucci nutritii portionem plerumque aſſimilat, partibuſque enutriendis apponit: at vero, ſiquidem liquor nervoſus etiam male habet, facultas nutritiva omnino inhibetur; quin hujus defectu, aut vitio, nutrimentum a ſanguine elaboratum prorſus infœcundum ac inutile exiſtit: Quo munere, circa nutritionem, uterque liquor, ſc. ſanguineus, & nervoſus defunguntur, alibi oſtendimus: ex hypotheſi iſta, quam rationes ſatis probabiles aſtruere videntur, facile ſequetur, atrophiam ſcorbuto familiarem, a conjunctis utriuſque facultatis enutritivæ anomaliis pendere. Quatenus enim ſanguis alimentum non niſi vitioſum ſuppeditat, atque liquor nervoſus in eo actuando, aſſimilandoque delinquit, neceſſe erit partes ſolidas victu ſuo, contiuuo fraudatas emarceſcere.

2. *Arthritis ſcorbutica vaga.* 2. Arthritis ſcorbutica, quæ ut plurimum vaga, partem modo hanc, modo iſtam ſucceſſive, modo ſimul plures afficit, atque ab una in aliam, vel ab his in illas tranſilit, a duplici ſeminio, non ſecus ac colica ſuperius deſcripta, pendere videtur, attamen modo prorſus inverſo. Enimvero ſupponere licet in hoc morbo, ſalis fixi plures quaſi congeries e maſſa ſanguinea, hic illic circa membra, aut articulos, velut totidem nidos diſponi; quæ quidem intra totidem diſtinctas cellulas reconditæ, tanquam piſcium ova, ſive ſemen fœmininum maneant; quibus poſtea liquoris nervoſi recrementa acetoſa, velut ſemen maſculinum accedant, eaſque fertiles reddant, nempe in quantum ſales diverſæ indolis una commiſti, valde efferveſcunt; proindeque a mutua particularum lucta & agitatione, membranæ, fibræque nerveæ inſigniter vellicatæ, in corrugationes dolorificas aguntur. Revera primam hujus morbi, ſicut etiam arthritidis communis, mineram a maſſa ſanguinea deponi, eamque a ſucci nervoſi recrementis actuari, inde conſtat, quia cum dolorum inſultus in variis partibus ſimul, aut ſucceſſive oriuntur, ſanguis

guis haud ſupra modum efferveſcere, nec ſalſamenta ſua tunc temporis deliquium paſſa, copioſius exuere videtur; quippe nec pulſus citatior, neque urina lixivialis evadit. Attamen urgente paroxyſmo, acetoſa ſucci nervoſi recrementa fluorem pati, arguunt prægreſſæ utplurimum cephalalgiæ, capitis gravedo, aut vertigo, membrorum inquietudines, & non raro tendinum ſubſultus, cujuſmodi ſymptomata dolorum inſultus ſæpe præcedunt, aut comitantur. Huc etiam ſpectat, quod liquores acidi epoti, paroxyſmos arthriticos accerſunt. In ſcorbuto, ſiquidem utraque minera uberius progignitur, arthritidis nidi longe plures jaciuntur, in iiſque dolores multo citius pullulant: porro e ſanguine valde impuro materies ſalina, ſive tartarea, non tantum in pedum, aut crurum articulis, ſed ubique fere circa membranas,& muſculorum interſtitia aggeritur; cui etiam a ſucco nerveo copula acetoſa, pluribus in locis ſuffuſa, dolorum prolifica exiſtit; dein quatenus utraque minera, in materia minus craſſa conſiſtit, atque in locis patentibus colligitur, brevi utplurimum tempore, aut a ſero affluente eluitur, aut a calore diſſipatur, vel a ſanguine reſorpta, alio transfertur.

3. Rheumatiſmus, prout ab authoribus modernis deſcribitur, ſcorbuto inveterato crebro ſupervenit. Cujuſmodi affectio, dolores fere in omnibus corporis partibus ſeriatim excitans, licet atrhritidi vagæ modo deſcriptæ ſimilis apparet tamen ab ea differt, tum reſpectu dolorum, qui in rheumatiſmo citius tranſeunt, & crebrius ſedem mutant, iiſque febricula, & partium affectarum tumor,& phlogoſis utplurimum adjunguntur; tum ratione cauſæ conjunctæ, quæ quidem iſti, quæ colicam ſcorbuticam parit, affinis, arthritidis vagæ cauſæ inverſa eſt: videtur enim quod in primum hujus morbi apparatum, minera acetoſa, a ſucco nerveo, quaſi ſemen fœmininum, pluribus in locis deponatur; cujuſmodi ſymbolis hic illic varie relictis, dum ſanguis efferveſcens exuvias ſalinas copioſe rejectas ſuffundit; ſtatim a mutua particu- *3. Rheumatiſmus.*

particularum diſſimilium lucta, & congreſſu, dolores inferuntur. Porro quia ſanguinis recrementa, in medio ſuo decurſu expoſita, motum ejus aliquatenus impediunt; idcirco in parte affecta tumor & phlogoſis inducuntur. dein quia ſanguis materiam a ſe modo rejectam denuo reſorbet, ac alio transfert, dolorum ita crebræ metaſtaſes ac mutationes contingunt. Hæc affectio peculiarem conſiderationem meretur: ſuper eadem hic pauca quædam in genere, quatenus nimirum ſcorbuti ſymptoma eſt, annotaſſe ſufficiat.

Hactenus ſcorbuti ſymptomata, a triplici cauſarum genere oriunda explicavimus; cujuſmodi pathologia affectus alios multiplices, ac inter ſe longe diverſos, in ſe continet: de quibus tamen obſervatu dignum eſt, quod cum plures morbi, ad cerebrum & nervoſum genus pertinentes, qui ſæpenumero per ſe, ac ſolitarii exiſtunt, etiam ſcorbuto ſuperveniunt; tamen quoad rationes ſuas formales, & quoad medendi methodum in his ac illis adhibendam, diſcrimen inſigne occurrit. Enimvero paralyſis, vertigo, convulſio, lethargus aliique morbi affines, cum per ſe contingunt, ſemper a cauſa fixiori, ac utplurimum ab inſigni capitis ac appendicis nervoſi labe, dependent; cumque remedia cephalica, ac in iſtis morbis tantum appropriata, conveniunt, tamen ſucceſſus haud facile, neque ſemper votis reſpondet. Interim pro ſanguinis emendatione aut parum curæ impenditur, aut ſi adhibetur, plerumque incaſſum cedit: at vero cum pathemata iſtæc a ſcorbuto inducuntur, minoris ſunt periculi; atque licet paroxyſmos crebriores habent, iſti tamen facilius tranſeunt; cæterum morbi curatio remediis antiſcorbuticis felicius quam ſpecificis, & cum ſanguinis ad debitam craſin reductione, potius quam cerebri & nervoſi generis malis occurrendo, perficitur. Eadem obſervatio locum obtinet in tumoribus, ulceribus, hydrope & multis aliis affectibus a lue ſcorbutica productis, qui, ſecus ac cum per ſe excitantur, remediis non niſi antiſcorbuticis ſanantur. Horum ratio eſt, quod in ſcorbuto, ſymptomatum & affectu-

*Ut differunt morbi per ſe excitati, & ſcorbuto ἐπιγινόμενοι.*

affectuum plurimorum cauſa conjuncta, fere tantum in humoribus, nempe ſanguine & ſucco nerveo, ac nondum in partibus ſolidis, ſc. viſceribus, præcordiis, ac cerebro conſiſtit, quare cum illorum dyſcraſiæ multo facilius quam horum malæ conformationes emendantur, ejuſdem generis morbi, propter ſcorbutum, quam per ſe excitati, certius, ac cum minore negotio curantur. Attamen cum, ægritudine iſta radices altiores agente, partes etiam ſolidæ principales (prout ſæpius uſu venit) noxam contrahunt; vid. cum ſanguinis & ſucci nervoſi recrementa iiſdem diutius impacta, tonos lædunt, poros, & meatus infarciunt, & non raro in iis tumores ſcirrhoſos, aut abſceſſus pariunt; hinc prædicta ſymptomata, quamvis labi ſcorbuticæ fere tantum imputata, raro aut nunquam ſanationem admittunt; & propter hujuſmodi cauſam invincibilem, demum ipſe ſcorbutus deploratus evadit.

## CAPUT XI.

### *Scorbuti prognoſtica.*

CUm in affectione ſcorbutica, ſimul plura, ac interdum valde tetra, & horrenda ſymptomata urgere ſolent, prognoſticon a medico expectatur: immo ipſe, quo melius medendi methodum inſtituat, qualis morbi eventus futurus ſit, ſedulo perpendat: attamen judicia in hoc caſu ſint cauta, diu ſuſpenſa, ac minime temeraria; plures enim (uti noſtræ obſervationi conſtitit) pro deſperatis habiti, convaluerunt. Vidi quos frequens & horrendum aſthma jamjam ſuffocare videretur, alios a crebra leipothymia continuo moribundos, quin & alios, aut paralyſi, aut paroxyſmis convulſivis, aut colica graviſſima tentatos, intra breve ſpatium, medicamentorum ope prorſus liberatos: Novi quoſdam ſcorbuticos ab hydrope per totum corpus intumefactos, alios atrophia in extremam maciem redactos, denuo ad perfectam ſanitatem reſtitutos. Quamvis igitur

*In ſcorbuto prognoſis non ſit temeraria.*

hoc morbo laborantes, interdum affectibus ſumme periculoſis urgentur; ſi tamen adhuc viſcera mediocriter ſana, aut ſaltem non multum vitiata fuerint, de malis iſtis, propter meram ſcorbuti labem excitatis, minime deſperetur: e contra autem quando ſymptomata minus terribilia apparent, ſi hypochondriorum & abdominis contenta obdura & velut ſcirrhoſa evaſerint, aut ſi pulmones corrumpi inceperint, circa morbi ſanationem nihil ingens, aut benignum promittatur: In caſibus vero nondum doploratis, ubi ſpes valetudinis recuperandæ relinquitur, aut ſaltem mortis ſubitæ metus longe abeſt, ſi forſan quæſtio fiat, quam cito, aut tarde, facile, aut difficulter therapeia ſuccedat, hujuſmodi criteriis inſiſtatur.

1. Scorbutus uti non ſtatim affectos jugulat, aut verſus ſtatum inſanabilem præcipitat, ita nec cito, nec facile curatur: etenim morbi cauſa potiſſima, in dyſcraſia ſanguinis conſiſtens, non multo facilius tollitur, quam vina, dum rancida, aut pendula fiunt, ad debitam craſin reſtituuntur: quare hujus labe correpti per plures menſes, ac interdum annos, immo aliquando per totam vitam ejus noxam luunt.

2. Ægritudo hæc ab intemperie ſanguinis ſulphureoſalina, ſive calidiori vini rancidi æmula, dependens, ægrius curatur, quam ſi eadem a dyſcraſia ſalinoſulphurea, ſive minus aduſta, vini penduli æmula procedat: namque hæc mala ſanguinis, aut vini conſtitutio, in ſtatum a quo decidit, quodammodo rurſus evehi; verum iſta in ſtatum, quem tanſiliit, non facile reduci ſolet.

3. Scorbutus febribus diuturnis, aliiſque morbis chronicis male curatis ſuperveniens, aut etiam conſtitutioni originaliter, vel propter occaſiones quaſdam, valetudinariæ ſuperveniens, difficilioris curationis habetur; quia nimirum in his caſibus, & ſanguinis craſis plus vitiatur, non raro item viſceribus noxa quædam affigitur. Proxime his, ægre ſanantur, qui mala victus ratione, ac imprimis ab aſſiduo liquorum generoſiorum potu,

tu, labem hanc cum læſo ventriculi, aliorumque viſcerum tono contraxerunt: attamen qui propter contagium, aeris inſalubritatem, navigationem, aut vitam ſedentariam ſcorbutici evadunt, ſæpius & cum minori negotio ſanitati reſtituuntur.

4. Hic morbus adhuc recens, quamdiu labes fere tantum maſſa ſanguinea incluſa, nondum cerebro ac nervoſo generi imprimitur, neque in ſolidis partibus ſymptomata durabilia excitavit, non raro ſanationem perfectam admittit: ſin vero affectio radices altiores agens, in regimen animale propagatur, ibidemque pathemata ſpaſmodica ac dolorifica producit, ac inſuper virus ſuum, macularum & exanthematum eruptione, gingivarum & dentium eroſione, aliiſque ſignis pathognomicis latius prodit, vix unquam radicitus extirpatur; quin præcipua medicinæ opera, ſymptomatis maxime urgentibus occurrendo, eorumque incrementa, & extremitates ſupprimendo, impenditur.

5. Qui ſcorbuto inveterato laborantes, modice vivere recuſant, ſed maleſano appetitui, in peſſima quævis proclivi, indulgent: ac inſuper in aſſumendis remediis difficiles ac moroſi exiſtunt, medici operam, utut ſedulo adhibitam ſæpiſſime eludunt; revera ut præſtet, eos malo ſuo genio relinquere, quam medicamenta utilia, hic omnino incaſſum præſcripta, defamare.

6. Quandoquidem, hoc affectu ingraveſcente, materies morbifica multiplex, & diverſimoda, utpote ſymptomatum varii generis, ac indolis cauſa progignitur; idcirco remedia non tantum unius generis adhibentur: ſed cum medicinæ methodus quædam, licet cum ſummo judicio præſcripta, parum aut nihil verſus therapeiam profuit, non ſtatim relinquendi ſunt ægri, ſed medicamenta alia, & ſubinde alia tententur: Enimvero non eadem omnibus, neque ſemper eidem perſonæ conveniunt: In corpore affecto ſalium ac ſulphurum poteſtates, & combinationes paſſim variant; perinde etiam medicamenta minus

juvantia aliquoties mutentur, donec in aliquod maxime congruum & juvans inciditur.

2. Quod ſi non obſtante, aut non recte adhibito remediorum uſu, ſcorbutus ſenſim ingraveſcens in deteriorem ſtatum indies evehatur; tandem hydropem vel phthiſin inducit; ab hoc, aut illo morbo proximus in mortem fit tranſitus: poſtquam enim ſanguis plurimum depravatur, recrementa ſua, copioſius demum aggeſta, aut pulmonibus, aut imi ventris viſceribus ſuffundit; proindeque hujus aut illius generis affectus pariter exitiales accerſit.

## CAPUT. VII.

### *De ſcorbuti curatione.*

QUod ſpectat ad ſcorbuti therapeiam, ſiquidem haud unica & ſimplex affectio præternaturalis, ſed legio quædam profliganda eſt, idcirco medendi methodus indicationes multiplices, eaſque varie complicatas, ac ſubordinatas perſtringere debet: quas tamen vulgari modo ad tria hæc capita referre viſum eſt: nempe ut ſint præſervatoriæ, quæ morbi cauſam, & curatoriæ, quæ morbum ipſum & ſymptomata ejus reſpiciunt & tollunt, & denique vitales, quæ patientis robur ac vires tuentur vel reſtaurantur.

*Indicatio triplex.*

*1. Præſervatoria.*

Ab ipſo curationis initio contra morbi cauſam collimare debemus; hac enim, velut radice præciſa vel avulſa, ſtatim truncus, rami, & fructus emarceſcent. Cum itaque oſtendimus, ſcorbuti cauſam in ſanguinis dyſcraſia, ſc. aut ſulphureoſalina, aut ſalinoſulphurea fundari: imprimis danda erit opera, quo melius illa, tum hujus, tum illius indolis, emendetur: in hanc rem, primo impedimenta tollantur, dein ipſa primaria intentio perficietur: propter utrumque ſcopum remedia a Diæta, Chirurgia & Pharmacia expetuntur. Quoad Diætam ſpecialis victus ratio inferius apponetur; interim ut de reliquis procedamus.

Sanguinis, ad debitam craſin per remedia appro-

priata

priata reductio, propter hæc duo potiſſimum impeditur; ſc. primo, quia ſucci nutritii, non niſi vitioſi penus ei continuo infertur; dein ſecundo, quia recrementa in ſinu ejus producta, per idoneas cloacas non ſatis amandantur. Itaque providendum erit, tum ut chyloſeos negotium in primis viis recte peragatur, tum ut recrementa vaporoſa per diaphoreſin, ſeroſa per renes & lymphæductus, bilioſa per cyſtin felleam, atrabilaria per lienem, atque alia cujuſque præterea generis, per propria emunctoria ſatis expurgentur: dein hiſce muniis rectius inſtitutis, ſanguinis dyſcraſiam, per medicamenta ſpecifica, ac imprimis ſale volatili prædita, reducere nitemur. Remedia ſingulas haſce intentiones reſpicientia una complicari, ac ſimul in uſum adhiberi debent: quo tamen ritu, ac quibus adminiſtrationum modis, adhuc particularius deſignare oportebit.

1. Ut chyloſis in primis viis recte perficiatur, curandum erit, ut materiæ excrementitiæ ſaburra in iis congeſta exterminetur, ut fermenta deperdita, aut depravata reſtituantur, ut meatus & pori quoquomodo infarcti & obſtructi reſerentur. In hos fines medicamenta cathartica, digeſtiva & aperientia, deſtinantur. *Intentiones therapeuticæ.*

2. Excrementa in maſſa ſanguinea collecta, cum per propria emunctoria non ſatis amandantur, per alias vias maxime idoneas ſubinde educantur: in hanc rem etiam cathartica, ac inſuper diaphoretica, & diuretica conveniunt.

3. Sanguinis dyſcraſia ſcorbutica emendetur, phlebotomia & remediis ſpecificis. Quare, ut indicationis præſervatoriæ, res tota in ſummam redigatur, remedia quæ præcipuas ejus intentiones perficiunt, ſint cathartica, phlebotomia, digeſtiva, aperientia, diaphoretica, diuretica & antiſcorbutica, ſive ſpecifica: Dein quatenus remedia digeſtiva, ac aperientia ſæpius concidunt; ſiquidem utraque particulis acidis, acribus, aut ſalinis præcipue imbuuntur; porro, in quantum ejuſmodi pharmaca diaphoreſin, aut diureſin apte ſatis movent; idcirco apparatus pharmaceuticus, intentioni-

tionibus prædictis requiſitus, in anguſtiores adhuc limites redigi poteſt :nimirum ut fere tantum conſtet medicamentis catharticis,digeſtivis, ac antiſcorbuticis,quibus phlebotomia pro data occaſione adjicitur: illorum formulas quaſdam, & præſcripta, ac inſuper utendi modum, deſignare incumbit.

## CATHARSIS.

*Catharſis.*

1. Methodus medendi ſcorbuticis fere quibuſvis præſcripta, a catharticis incipiat: Etenim niſi primæ viæ mundantur, medicamenta in alios quoſvis uſus deſtinata, ab illorum ſordibus inquinabuntur, quapropter vomitio interdum non minus quam purgatio conveniat.

*Per vomitum.*

Si ventriculus (ut crebro aſſolet) materia viſcida aceſcente, aut nidoroſa aggravatus, ſarcinam impuram nauſea aut vomendi nixu ſurſum ejicere molitur, atque patiens talem evacuationem olim ſatis robuſte ac cum ἐυφορία tolerare ſolebat, nihil vetat, modo vires non ſint nimium proſtratæ,pharmacum emeticum exhibere. Fortioribus, infuſio croci metallorum, aut Mercurius vitæ,aut tartarus emeticus Mynſichti, vel ſulphur antimonii Glauberi propinetur: qui ſunt conſtitutionis imbecillæ, aut tenerioris, vinum ſcilliticum, aut Gillam Theophraſti aſſumant:quibus in exigua doſi exhibitis, ſerum lactis in magna copia ſuperbibant, dein ventriculo ad nauſeam repleto, digito vel penna gutturi immiſſis, vomitio facillima provocatur, & aliquoties pro libitu iterari poteſt. Hoc vomendi ritu mera ſtomachi contenta, a plicis ejus deterſa excernuntur: neque in aliis circumcirca viſceribus, aut membranis (prout a ſtybiatis fieri ſolet) vellicationes dolorificæ, aut convulſivæ cum leipothymia cientur. Quibus ventriculus, propter malam digeſtionem, pituitæ, aliuſve materiæ degeneris ſaburram facile congerit, præcepi (& ſæpius bono cum ſucceſſu) ut ſemel in menſe, talem vomitionem, utpote tutam, & ſalubrem proritent.

Ubi

Ubi vomitio locum non habet, a purgatione incipiatur; ſaltem poſito aliquot dierum interſtitio, evacuatio hæc iſti ſuccedat. Quod olim de præparatione humorum ab authoribus paſſim inculcatur, aut ſupervacaneum, aut, non intellectâ ſanguinis circulatione, prorſus erroneum eſſe duco: quin iſtius intentionis vice, viſcerum fermenta reſtaurantia, & ſanguinis craſin alterantia, ſubſtituantur: interim ut primarum viarum ſordes & liquoris tum ſanguinei, tum nervoſi ſuperfluitates recrementitiæ amandentur; Purgatio primo lenis & blanda inſtituatur, ac poſtea juxta patientis tolerantiam, aut ſemel intra ſeptimanam, aut crebrius vel rarius iteretur; & medicamenti vires juxta primæ doſeos ſucceſſum proportionentur: In hunc finem pilulæ, potiones, apozemata, electuaria, pulveres, & plures aliæ medicamentorum formulæ præſcribi ſolent. *Perſeceſſum.*

Si ægrotantis conſtitutio ſit calidior, atque ſcorbutus in ſanguinis dyſcraſia aduſta, ſc. ſulphureo-ſalina fundari videtur, aloetica, & diagrydiata quævis vitentur, & temperatiora ſolum e ſenna, rabarbaro, & aliis quæ ſanguinem & humores non exagitant, exhibeantur. *Remedia indicata in ſcorbuto calidiori.*

'℞. Folior. ſennæ ℥j. rhabarb. ʒvj. epithymi 'ʒiij. rad. polypodii qu. rhabarb. Anglicani ſiccat. 'an. ℥ß. ſantali citrini ʒij. ſpicæ celticæ ʒß. ſalis 'abſynthii ʒij. inciſa & contuſa digerantur in ma'tracio calore arenæ cum vini albi, & aq. fumariæ 'an. ℔j. (vel cum aq. magiſtralis antiſcorbutici 'noſtri ℔ij.) per duos dies, colatura clara evapore'tur leniſſimo balnei calore, ad conſiſtentiam mellis 'dein adde pulveris foliorum ſennæ, rhabarb. an. ʒj. 'ß. ſpecierum diatrion ſantalon ʒj. cremoris tartari 'ʒj. ß, f. maſſa pilularis. Doſis ʒß. ad ʒj. *Pilulæ.*

'Vel paretur talis infuſio, quæ evaporetur leni ca'lore ad conſiſtentiam ſyrupi, addendo circa finem 'mannæ colatæ, & ſacchari albiſſimi an. ℥ij. fiat 'ſyrupus. Doſis cochlear j. ad ij. cum vehiculo con'venienti. *Syrupus.*

'Vel ejuſmodi tincturæ ℥iiij. vel vj. pro doſi exhibeantur, *Tinctura.*

'beantur,addendo cremoris tartari ʒß. & ſi edul-
'coratione opus ſit, ſyrupi de pomis ʒiij.

*Paſſularum.* 'Vel tincturæ præſcriptæ imponantur uvarum co-
'rinthiacarum mundatar.℥vj.digerantur calide,do-
'nec uvæ intumeſcant, quibus exemptis, liquor ad
'ſyrupi conſiſtentiam evaporetur,addendo ſacchari
'& mannæ colatæ an.ʒj,ß.dein uvis denuo impo-
'ſitis,medicamentum in vaſe vitreato probe obtu-
'rato ſervetur. Doſis cochlear j.vel ij.

*Electuarium.* 'Vel tincturæ præſcriptæ ad medietatem evapo-
'ratæ adde caſſiæ recentis, pulpæ tamarindorum
'cum aqua antiſcorbutica extractæ an.℥iij.conſervæ
'violarum roſarum damaſcenarum an.℥ij.pulv.ſen-
'næ compoſiti majoris ʒj.rhabarb.pulv,℥ß.cremo-
'ris tartari,ſpecier. diatrion ſantalon an.ʒij. ſimul
'terantur in mortario lapideo,donec redigantur in
'formam electuarii.Doſis qu. nucis juglandis, plus
'minus,juxta operationis ſucceſſum.

*Pulvis.* Quibus ſtomachus nauſeabundus, pharmaca non niſi in exigua quantitate, ac forma eleganti, admittit. ℞. Reſinæ ſcammonii gr. iiij ad viij. cremoris tartari ℈ß.ſpicæ celticæ gr. vj. miſce f. pulvis,detur in cochleari panatellæ,vel in pilulas formetur.

*Cathartica in ſcorbuto frigidiori.* Qui affectione ſcorbutica laboranres, frigidioris ſunt conſtitutionis, atque morbus in ſanguinis diatheſi nitroſulphurea, vini penduli æmula, fundari videtur, iis cathartica aſperiora, & particulis calidioribus prædita exhibeantur.

*Pilulæ.* '℞.Pilular.ſtomach, cum gum:ʒij.reſinæ jalap.
'gr.20.tartari vitriolat.gr.16.olei juniperi ℈ß.cum
'ſ.q.ammoniaci ſolut.in aq. lumbricor.f.pilulæ 16.
'ſumantur quatuor pro vice, ſemel intra ſeptima-
'nam.

'℞. Pilular tartar.Bontii ʒj. ß. reſinæ jalap:
'gr.12.ſalis tartari ℈ß.cum ſ.q. ſyrupi Anguſtani:
'f.pilulæ 12.

*Extractum ac ſyrupus.* '℞. Extract. pilular.Ruffi ʒj. extracti hellebori
'nigri ℈j.ſalis tartari ʒß.cum ſ. q. ammoniaci ſo-
'lut.f pilulæ 9.ſumantur iij pro doſi.

'℞. Folior ſennæ ℥j.rhabarbari ʒvj. mechoacæ,
turbith.

‘turbith.gum.an.℥ß. fibrarum hellebori nigri ʒiij.
‘ſalis tartari ℥ij. ſantali citrini ʒj ß. corticis Win-
‘teran. ʒij. inciſ. & contuſ.digerantur in vini albi
‘℔ij.per duos dies.f.colatura clara ſine expreſſione
‘ſumatur vel per ſe ab ℥v ad ℥vj. vel in extractum,
‘aut ſyrupum, aut electuarium redigatur, prout
‘tinctura ſuperius deſcripta, addendo pulv. arthri-
‘tici,vel diaſennæ q. ſ. &c.

‘Vel paretur hujuſmodi tinctura,quæ detur viris Tinctura.
‘robuſtis ad cochlear j.vel jß. ℞. Salis tartari ℥j.
‘ſpiritus vini tenuioris ℔j.ß.digerantur donec fla-
‘veſcat: huic a fæcibus per inclinationem effuſæ,in-
‘funde folior. hellebori nigri in aceto macerat. ℥j.
‘ſantali citrini ʒj. flavedinis aurantii ʒj. ß. f. di-
‘geſtio clauſa & calida per tres dies.Colatura clara
‘deſtilleturin balneo ad midietatem,liquor reſiduus
‘ad uſum ſervetur.

‘℞. Rad.lapathi acut.polypodii qu.urticæ uren- Apozema.
‘tis, cherifolii, an. ʒvj.folior.eupatorii, veronicæ
‘an. M. j. ſantal. albi, citrini an. ʒj, ß. carthami
‘℥j. tartari vini albi ℥ ß. coquantur in aq. fontan.
‘℔ij. ß. ad medietatem, adde vini Rhenani ℔j.&
‘ſtatim coletur,cui impone ſennæ opt.℥ß.rhabarba-
‘ri ʒvj. folior.hellebori nigri ℥ß, flavedinis auran-
‘tii ʒij.f.infuſioclauſa & tepida per horas 12.Cola-
‘tura ſervetur in vitro occluſo.Doſis ʒv. ad vj.

In promptu hic eſſet, plures alias catharticorum formulas ſubjicere; verum in his non magna varietas requiritur: e prædictis aut hæc, aut illa, quæ melius conveniunt,exhibeantur;& ſubinde intra quinque aut ſex dies, prout occaſio requirit, iterentur.Nimis crebra,& violenta purgatio vires proſternit,viſcerum robur valde labefactat, atque morbum interea non tollit.

Poſt unam aut alteram purgationem, ſi miſſio ſanguinis indicatur,aut phlebotomia in brachio,aut hirudinum ſuctu in venis ſedalibus celebretur: non multum intereſt, quæ vena ſecetur: nec enim ſalvatellæ apertio tanti, prout vulgo perhibetur meriti eſt. Quod inter authores magnis ambagibus de vena aut jecoraria,aut cephalica,alia quavis potiori,in ſcorbuto incidenda,a quo ſanguinis cir- Phlebotomia.

 culatio

culatio innotuit, in nihilum recidit. Phlebotomia indicatur a ſanguinis copia & vitioſitate, quem præſtat aliquoties in quantitate modica, quam ſemel in magna educi: Cum enim liquor ſanguineus valde impurus evaſit, nullo remediorum genere certius emendatur, quam crebra & parca extramiſſione: quippe ſanguini veteri corrupto, quoties educitur, recens melior, & defæcatior ſuccedit. Interim cautione opus eſt, ne ſemel in quantitate nimia ſubtrahatur; nam penu ejus confertim diminuto, ſanguificatio labeſcit, propterea ut hydrops aut cachexia ſequatur.

Præter catharſin, & (ſi opus fuerit) phlebotomiam, plura alius generis remedia, non minus neceſſaria in ſcorbuto requiruntur: de quibus tamen ordine præſcribendis, ſtatim conſiderare oportet, utrum indicationes ſolum præſervatoriæ hic locum habent, ac annon iis curatoriæ quædam, nempe quæ ſymptomata gravius urgentia reſpiciunt, intercalari debent: Quod ſi vacat, in morbi cauſam, totam therapeias operam impendere, juxta methodum ſequentem procedatur: Inferius oſtendetur, quali interea ſymptomatum (ſi forſan occaſio exigit) cura adhibenda ſit.

Itaque ſi præcipuam medicinæ operam, in ſcorbuti cauſam imprimis, ac per ſe eradicandam, impendere liceat; propter hunc ſcopum, inſuper remedia digeſtiva & ſpecifica, ſeu antiſcorbutica, prout modo innuimus, omni tempore, exceptis purgationis diebus, uſurpentur: quibus interdum, ſi opus fuerit, diaphoretica, aut diuretica adjiciantur. Medicamentorum hujuſmodi intentiones perficientium formulæ, & præſcripta multiplicia, ac varii generis apud authores paſſim extant. Libet hic ſelectiora quædam apponere; quæ quidem juxta duplicem cauſæ ſcorbuticæ indolem, nempe ſanguinis dyſcraſiam ſulphureoſalinam & ſalinoſulphuream, in duas claſſes diſtinguere viſum eſt: & primo, quæ in hoc poſteriori affectionis modo conveniunt, ubi nimirum medicamentis incitatione quadam præditis, atque ſale volatili plurimum refertis, opus eſt, trademus.

Remedia

Remedia digeſtiva, quæ ventriculi fermentum reſtituunt, ejuſque ac aliorum viſcerum chyloſi inſervientium, functiones juvant; atque antiſcorbutica, ſive ſpecifica, quæ ſanguinis dyſcraſiam tollunt, aut in eadem compoſitione junguntur, aut ſaltem eodem die ſucceſſive aſſumantur. *Digeſtiva.*

Inter medicamenta digeſtiva merito recenſentur tartari cremor, chryſtalli, ſal, tinctura, tartarus vitriolatus, chalybeatus, Elixir proprietatis, mixtura ſimplex: Cujuſvis horum, bis in die exhibiti, uſus ſæpenumero prodeſt.

Porro tincturas & elixires magiſtrales, varii generis, & digeſtivas & ſcorbuto appropriatas, cum duobus menſtruis ſequentibus facile conficies.

‘℞. Spiritus vitrioli rectificati ℥vj. ſpiritus vi-
‘ni alcholiſati ℥xvj. miſce, & deſtilla in retorta
‘vitrea cum ternis cohobiis: in vitro probe occluſo
‘aduſum ſerva: Elixir proprietatis cum hoc men-
‚ſtruo compoſito facilius, & melius, quam vulgari
‘modo paratur.

‘℞. Corticis Winteran. ligni aloes. rad. galangæ
‘minoris, an. ʒij. cinamomi, caryophyllor. cubeba-
‘rum an. ʒj. ſeminis ameos, naſturtii an. ʒß. contuſis
‘affunde prædictum menſtruum ad ſupereminenti-
‘am 3 digitorum; digerantur in matratio in furno
‘arenæ per 6 dies. Colat. ſervetur in vitro occluſo.
Doſis gut. 20. plus minus in cochleari vini Canarini vel aq. appropriatæ. Exhibeatur bis in die.

‘℞. Succini albiſſimi, gummi hederæ, carannæ,
‘tacamahacæ an. ʒj. croci ʒß. caryophyllor. nucis
‘moſchat. an. ℈ij. contuſ. affunde prædictum men-
‘ſtruum, & ſ. a. extrahatur tinctura. Doſis gut 20.
‘ut ſupra.

‚℞. Salis tartari cærulei ℥iiij. digerantur in ma-
‚tratio cum ſpiritus vini alcholiſati ℔j. ad extra-
‚ctionem tincturæ: hoc ſit aliud menſtruum, quo e
‘gumm. aromatis, &c. eodem modo, uti cum priori
‘menſtruo elixires parabis.

Dum hujuſmodi remediis in doſi perexigua veſperi, & primo mane exhibentur, horis medicis, ſc. octava ante, & quarta p. m. alius generis medicamenta antiſcorbutica ſumantur, quæ quidem ut- *Specifica, ſive antiſcorbutica.*

plurimum

plurimum in duplici forma, nempe in ſolida & liquida, ſimul capienda præſcribere ſolemus; ita ut ſolido premiſſo, liquidum ſuperbibatur : utriuſque variæ extant ſpecies, & compoſitionis modi, vid. in forma ſolida, electuaria, confectiones, pulveres, pilulæ & tabulæ : in liquida, ſunt decocta, infuſiones, expreſſiones, aq. deſtillatæ, vina & cerevíſiæ medicatæ : Cujuſque horum generis medicamenta ſelectiora quædam proponemus.

## ELECTVARIA.

'℞. Conſervæ cochleariæ, abſynthii Romani, fu'mariæ an. ℥ij. pulv. cort. Winterani, rad. angelicæ, 'Ari an. ʒij. ſpec. diatrion ſantal. ʒj. ß. pulv. ocu'lor. cancri ʒj. ſalis abſynthii ʒij. Cum ſ. q. ſyrupi 'e corticibus citri. f. electuarium.

'℞. Conſervæ folior. cochleariæ, beccabungæ cum 'æquali parte ſacchari fact. an. ℥iij. trochiſcor. de 'capparibus, de rhabarbaro an. ʒij. ſalis abſynthii, 'cochleariæ an. ʒj. eboris pulv. corallii calcinat. an. 'ʒj. cum ſ. q. ſyrupi e ſucco cochleariæ. f. electua'rium.

'Præſcribere ſoleo conſervas e cortice exteriori 'limoniorum & aurantior. item e floribus purpureis 'arboris fraxini, e foliis & floribus cardamines, e 'radice lapathi acut. & rhabarbari Anglicani, cum 'æquali parte ſacchari parandas, quæ inter ſe, aut a'liis conſervis, & ſpeciebus permiſtæ ejuſmodi e'lectuaria ingrediuntur.

'℞. Conſervæ flavedinis aurantiorum, limonio'rum, flor. fraxini an. ℥ij. pulv. rad. contrayervæ 'ʒj. ß. galangæ minoris ʒß. rad Ari ʒij. ſpec. a'romatici roſat. ʒj. ſalis abſynthii ʒij. cum ſ. q. ſyr. 'conditura nucis moſchat. f. electuarium. Doſis hu'juſmodi medicamentorum qu. nucis moſchat. ſu'perbibendo liquorem appropriatum.

Ruſticis & pauperioribus, a quibus medicamenta facile parabilia, & minus cara expetuntur, ad hunc modum præſcribo. '℞. Folior. cochleariæ, 'beccabungæ an. ℥iiij. ſacchari albiſſimi ℥viij. ſimul 'contundantur in mortario addendo pulv. cort.

Winterani

'Winterani ℥ß. tartari cum nitro calcinati ʒiij. cum 'ſ.q. vini Hiſpanici, redigantur in electuarium. Doſis 'qu. nucis juglandis bis in die, ſuperbibendo liquo- 'rem appropriatum.

'℞. Foliorum cochleariæ ℔j. paſſular. exacinat. 'ſacchari albiſſimi, an. ℔ß. fæcul. rad. raphani 'ſylveſtris ℥ij. ſimul contundantur in mortario, & 'redigantur in formam electuarii. Doſis qu. nucis 'juglandis, bis vel ter in die.

## CONFECTIONES.

'℞. Pul. Ari compoſit. ℥j. cort. Winterani pulv. '℥ß. ſpecier. diatrion ſantal. trochiſc. de capparibus, 'an. ʒij. ſalis abſynthii, cochleariæ an. ʒj. ß. fla- 'vedinis aurantii condit. ℥iij. ſimul terantur in mor- 'tario, dein adde ſacchari alb. ſolut. in ſ.q. aq. lum- 'bricor. ℥iij. ſ.a.f. confectio.

'℞. Rad. eryngii, & ſcorzoneræ condit. an. ʒij. 'nucum jugland. myrobalanor. condit. an. n°. ij. e- 'lectuarii de ſaſſaphras ʒvj. pulv. cubebar. carda- 'mom. an. ʒij. pulv. rad. zedoariæ, angelicæ an. 'ʒj. ß. ſalis abſynthii ʒij. cum ſ.q. ſyrup. conditura 'nucum juglandum. f. confectio.

'℞. Pulv. rad. Chinæ, ligni ſaſſaphras an. ℥ß. 'ſantal. citrini, albi an. ʒij. ſem. erucæ, cubebar. na- 'ſturtii, granor. paradiſi an. ʒj. ß. ſpec. dialaccæ, 'cinamoni, iridis, galangæ minoris an. ʒj. ſalis ab- 'ſynthii ʒij. conſervæ ſlavedinis aurantii, & ſaccha- 'ri anthoſat. ſolut. in ſ. q. aq. limacum, an. ℥iij. 'ſ.a.f. confectio. Doſis qu. nucis moſchat. bis in die, 'ſuperbibendo liquorem appropriatum.

In quibuſdam ſcorbuti caſibus, ubi chalybis u- ſus indicatur, aut chalybis cum ſulphure præparat. ʒiij. aut vitrioli Martis ʒij. cuilibet e præſcri- ptis, aut confectioni, aut electuario adjiciantur; & poſt medicamentum aut ſemel, aut bis in die aſſumptum, corpus pro ratione virium exercea- tur. *Medicamenta chalybeata.*

PVL.

## PVLVERES.

'℞. Pulv. Ari compoſiti ℥j.ß. cort. Winteran, '℥ß.cubebar, granor. Paradiſi, cardamomi an. ʒij. 'ſalis abſynthii ʒiij.tabular. aurantior ℥iij. f. pul- 'vis. Doſis ʒj. in liquore appropriato.

'Pulveri prædicto,adde nucleorum fructus Indici 'cacao ℔ß. in mortario calido redigantur in maſ- 'ſam ſive paſtam. Doſis ʒij. eo ritu quo confectio 'chocolate aſſumitur, ſc. in aq.fontan.cum foliis ro- 'riſmarini,aut betonicæ,aut radice ſcorzoneræ, aut 'etiam raſura eboris,vel C.cervi incoctis.

## PILVLÆ.

Quibus medicamentum in doſi minori, & forma pilulari magis arridet. '℞. Rad. ſerpentariæ 'Virginianæ, contrayervæ an. ʒij.cort. Winteran. 'cubebar.ſem.erucæ.an. ʒiij. ſalis abſynthii, co- 'chleariæ, an. ʒj ß. extracti, ſive rob. juniperi '℥ß.c.ſ.q.ſyr. conditura nucis moſchat. fiat maſ- 'ſa.Doſis pilulæ iiij.bis in die,ſuperbibendo liquorem appropriatum.

## TABVLÆ.

'Pro delicatioribus tabulæ, ſive trageæ ad hunc 'modum præſcribantur. ℞. Pulv.cort.Winteran. 'oculor.cancri an. ʒj.ß. margarit. pulv. ʒß. ſac- 'chari albiſſimi ſolut. in ſ.q.aq. lumbricor, & ad 'tabulat. coct. ℥vj. ſp.cochleariæ ʒij.ſ. a. f. tabu- 'læ quæ ſingulæ pendant ʒß.capiat circiter ʒj. bis 'in die ſuperbibendo liquorem appropriatum.

## Tabulæ aurantior. quæ in pharmacopoliis Oxonienſibus proſtant.

'℞. Cort. aurantior.limoniorum, citri, condit. 'an. ℥j. rad. eryngii condit. ℥ß. nucleorum pini, 'piſtach.an. 20. amygdalar. dul. excorticat. no. x. ſem.aniſi pulv. ℥ß. Zinziberis condit. ℥ij. ſpec. aromatic.

'aromatic.roſat.nucis moſchat. an. ℨj. ß. rad. ga-'langæ ℨj.caryophyllor.nº. x.ambræ griſeæ gr.iiij. 'moſchi, zibetæ an.gr. ij. ſacchari albiſſimi ſolut. 'in aq.roſar. & ad tabulat. coct. ℔j. ß. f. a. f. ta-'bulæ.

Hæc de medicamentis in forma ſolida, ſive ſubſtantia craſſiori ſcorbuticis exhiberi ſolitis: quorum virtus ut melius, & cum majori emolumento, in maſſam ſanguineam deferatur, iis ut plurimum liquida ſuperbibenda præſcribuntur. Quamvis horum & magna extat varietas, & diverſimoda componendi ratio; præcipua tamen, & uſitatiſſima ſunt qualia ſupra innuimus, & cujuſmodi ſingulorum modo formulæ ſubjungentur. *Medicamenta liquida.*

### 1. *Decocta.*

Etſi decocta ſunt maxime familiare medicamentorum liquidorum genus, in ſcorbuto tamen rarius uſurpantur, quia ſimplicia, quæ huic morbo præcipue conferunt, uti cochlearia, beccabunga, &c. virtutes ſuas, a ſale volatili acceptas, coctione amittunt: attamen quoniam remedia hoc ritu facile ac cito parantur, interdum admitti debent; quin eorum nonnulla efficacia fuiſſe, experientia comprobavit. Pro ruſticis & pauperibus, medicamentum hoc paratu facillimum a pleriſque authoribus commendatur. '℞. Folior. naſturtii 'aquatici M.iij:acetoſæ minoris M.ij. conciſa ma-'cerentur in lactis ℔vj. & coquantur ad tertiæ par-'tis conſumptionem.ſumantur ℥vj.ad viij.bis in die. 'Decoctum abſynthii ab Eugaleno & aliis lauda-'tur.Remedium ſequens, cum bono ſucceſſu ego 'ſæpius expertus ſum. ℞.Summitat.geniſtæ M.iij. 'minutim inciſ. coquantur in cereviſ. fortioris ℔iij. 'ad medietatem, exhibeantur ℥ij.ad iij. bis in die.

2. *Infuſi-*

### 2. *Infuſiones.*

Infuſio decocto ſuperaddita, medicamentum utiliſſimum præſtat. ‘℞. Rad. ſcorzoneræ, cherefolii ‘an. ℥j. folior.. eupatorii, chamæpytios an. M. ß. C. ‘cervi uſti ʒij, paſſular. M. ß. coquantur in aq. fon‘tanæ ℔ iij. ad tertiæ partis conſumptionem, adde ‘vini Rhenani ℔ß. & ſtatim coletur in vas vitreum, ‘cui imponantur folior. cochleariæ, beccabungæ ‘contuſ. an. M. ß. cort. aurantii condit. & minutim in‘ciſ. ℥ß f. infuſio clauſa & calida per 6 horas. Co‘latura ſervetur in vaſis occluſis. Doſis ℥vj. bis in die ‘poſt medicamentum ſolidum.

‘℞. Seri lactis, cum vino albo, aut pomaceo fa‘cti ℔j. ß. huic incoquantur rad. bardanæ, eryngii ‘condit. an. ʒvj. baccar. juniperi condit. ℥ß. liquor ‘ad tertiæ partis conſumptionem decoctus coletur ‘in lagenam, cui imponantur folior. cochleariæ, bec‘cabungæ an. M. j. f. infuſio calida, & clauſa per ho‘ras 6. Doſis ℔ß. bis in die poſt medicamentum ‘ſolidum.

Infuſiones item per ſe factæ nonnunquam egregii ſunt uſus. ‘℞. Folior. cochleariæ M. j. raſuræ rad. ‘raphani ſylveſtris M. ß. cort. Winteran. contuſ. ʒij. ‘ponantur in vitro cum vini albi, aut pomacei, & ‘aq. cochleariæ an. ℔j. fiat infuſio in cella per duos vel tres dies. Doſis ℥vj. ad viij. bis in die, ut ſupra.

### 3. *Succi & expreſſiones.*

Commendatiſſimus herbarum aut fructuum antiſcorbuticorum uſus eſt, ut illarum ſucci, & expreſſiones per ſe, aut cum aliis liquoribus appropriatis, bis, aut ter in die aſſumantur: ſic enim remedii virtus integra, ac illibata exhiberi præſumitur.

‘℞. Folior cochleariæ, naſturtii aquatici, becca‘bungæ an. M. iij. contuſis exprimatur ſuccus, ſer‘vetur in vitro occluſo. Doſis ℥j. ß. ad ℥iij. bis in ‘die in hauſtulo cereviſiæ, vini, aut aq. deſtillatæ.

‘℞. Folior. cochleariæ M. iiij. acetoſellæ M. ij. contuſis

'contuſis exprimatur ſuccus, qui vitro occluſus 'brevi clareſcet:namque acetoſitas lujulæ præcipi'tat craſſiores cochleariæ partes. Idem ſuccedit, ſi 'ſuccus aurantior.ſucco cochleariæ permiſcetur.Do'ſis ℥ij.vel iij.bis in die.

℞.Folior. cochleariæ M.iiij. beccabungæ,naſtur'tii an.M.ij.piperis longi ʒiij. raſuræ raphani ſyl'veſtris ℥ij.ſimul omnia contuſ. ponantur in olla 'vitreata cum vini Rhenani,vel Hiſpanici, ſi potius 'videtur,℔ij.orificio probe occluſo,ſtent in cella 'frigida per ij. dies, dein f.expreſſio fortis. Doſis '℥iij.bis in die,poſt medicamentum ſolidum.

'℞. Folior.cochleariæ M.iij.beccabungæ,naſtur'tii,lujulæ an.M.j. contuſ. affunde aq. limacum,& 'lumbricor.an.℥vj.f.expreſſio fortis, quæ ſervetur 'in vitro occluſo. Doſis ℥ij,bis in die,

### 4. *Syrupi.*

Propter eandem rationem, qua decocta, etiam ſyrupi in ſcorbuto minus probantur, in quantum ſc. ſimplicium maxime efficacium virtus, intra coquendum evaporat: quia tamen aliquibus pro liquorum appropriatorum edulcoratione tali medicamento interdum opus eſſe videtur; præparationem hic noſtram, reſervatis qua licet ingredientium viribus, proponemus.

'Itaque ℞.folior.cochleariæ hortenſis.M.vj.cort. '4.aurantior.& duor.limoniorum tenuiter deraſ.ra'ſur.rad.raphani M.ß.piperis longi pulv. ʒiij. om'nibus ſimul contuſis exprimatur ſuccus, qui ſtatim 'vitro probe obturato incluſus, collocetur in cella 'frigida,donec per ſubſidentiam clareſcit: dein li'quor clarus per inclinationem in vitrum aliud ef'fuſus,& occluſus,in caloreBalnei m.detineatur,in'terim pro ſingulis unciis.℞.Sacchari ℥j.ß.ejuſque 'tota quantitas cum parum aq.lumbricor.diſſolutæ, 'adtabulat.coquantur,cui mox liquor prædictus ca'lidus ſenſim affundatur & cum ſpatula agitetur: 'Quamprimum incorporatur, compoſitio igni exi'matur,& frigefacta vitro imponatur. Hic nodulus 'invitro ſuſpendatur.℞ Cinamomicontuſ.ʒj.ß.ſem. 'naſturtii,erucæ pulv.an.℥.j.miſce.

5. *Aqua deſtillata.*

Aquæ deſtillatæ, quia ſunt elegans & jucundum remedium, inter præſcripta antiſcorbutica fere utramque implent paginam. Harum diſpenſationes quædam in noſtra pharmacopœa perquam utiles & concinnæ habentur, ut ſunt aq. Raphani compoſita, lumbricor, & limacum magiſtralis. Præterea extant celebres hujuſmodi aquarum præſcriptiones a Quercetano, Dorncrelio, Sennerto, Doringio,aliiſque Authoribus traditæ. Inſuper unicuique Medico in promptu eſt tales cujuſque ægrotantis conditioni appropriatas, pro re nata præſcribere: recipiuntur enim ingredientia antiſcorbutica, ac inſuper accidentia quædam, & affectus particulares, reſpicientia; quibus conciſis & contuſis liquor idoneus,ſc. vinum album pomaceum, aut ſerum lactis ex utrovis paratum, affunditur: dein tota mixtura in cucurbita, aut in organis roſaceis deſtillatur. Libet hic formam unam,aut alteram nobis uſitatas ſubjungere.

'℞.Folior.cochleariæ utriuſque, beccabungæ,naſturtii aquatici, ſummitatum geniſtæ an. M. iiij. 'foliorum chamædryos,chamepytios an. M. ij.rad. 'raphani ſylveſtris ℔ß. Ari, angelicæ, imperatoriæ,an. ℥iiij. cortices externæ quatuor aurantior. '& totidem limoniorum, radic.calami aromatici '℥j.cinamomi, caryophyllor. an. ℥ß. contuſis, & 'conciſis affunde pomacei opt.℔viij.digerantur per 'duos dies in olla vitreata occluſa: dein diſtillentur 'in communi diſtillatorio: aquæ primo,& ultimo a'vocatæ,miſceantur.

Tempore brumali, cum herbæ virides ſunt rariores, juxta hunc modum præſcribatur. '℞. Fo'lior.cochleariæ M.iiij.ſummitatum geniſtæ, pini, 'juniperi an. M.iij. cort. mediani ſambuci, fraxini 'an.℥iiij.rad.raphani ſylveſtris, polypodii qu. an. '℥iij. cortices quatuor aurantior. & totidem limo'niorum,cort.Winteran.℥iiij.contuſis & conciſ. af'funde vini albi vel pomacei, vel ſeri lactis cum 'alterutro facti.℔viiij,diſtillentur.

Aq.

Aq. ſimplex folior. Ari verno tempore diſtillata contra ſcorbutum efficax remedium eſt, ſi ℥iij.vel iiij.bis in die cum alio medicamento exhibeantur.

Aqua ſimplex cochleariæ, foliis recentibus contuſis reaffuſa, & extillata, adeoque crebris cohobiis iterata, efficax remedium evadit. Porro cochleariæ ſpiritus ardens ad hunc modum paratur. '℞. Folior,cochleariæ q.ſ.contuſa in pilas, 'quales ex glaſto pro Tintor. uſu parari ſolent,for'mentur, dein pilæ iſtæ in olla vitreata, aut aq. 'cochleariæ, vel vino ejuſdem ad quatuor digito'rum ſupereminentiam affuſa, per tres aut quatuor 'dies exacte clauſa in loco frigido detineantur:dein 'tota materies,alembico impoſito deſtilletur: aqua 'deſtillata cucurbitæ indita rectificetur: primo ex'ibit ſpiritus ardens,cujus gut.15.vel 20.in idoneo 'vehiculo propinentur.

6. *Vina & cerevisia antiſcorbutica.*

Vinum antiſcorbuticum ſimplex egregii uſus ad hunc modum parare ſoleo.Verno, aut æſtivo tempore. '℞.Folior. cochleariæ ſub ſereno cælo col'lector.q.v.ſucco e contuſis expreſſo, doliolum iij. 'aut iiij.congior.capax impleatur,flor.cereviſiæ co'chleari j. vel ij.impoſitis per duos dies fermenta're ſinatur: dein vas occluſum in cella vinaria per '6 menſes collocetur: dein liquor clarus, ac inſtar 'vini Hiſpanici flaveſcens,in utres exhauriatur, ac 'uſui ſervetur,per plures annos incorruptus perdu'rat. Doſis ℥iij.vel iiij.bis in die.

Vina medicata, quorum cyathus unus aut alter horis medicis, aut etiam inter prandendum quotidie aſſumantur,ad hunc modum parentur. '℞: 'Folior.cochleariæ M.iiij.raſuræ raphani ſylveſtris '℥iiij.cort.Winteran.contuſ.℥ß. cortices exteriores 'quatuor aurantior.& totidem limoniorum ponan'tur in vitro, cum vini albi, Rhenani aut tenui'oris Hiſpanici ℔xij. vas obturatum ſervetur in 'loco frigido: vinum effundatur clarum quoties uſu 'opus eſt.

Uſitatius

Uſitatius eſt allam, aut cerevifiam medicatam ſcorbuticis pro potu ordinario conſtanter bibendam præſcribere. Paretur cerevifia pro doliolo quatuor congiorum capaci: vice florum lupuli incoquantur ſummitatum pini, vel abietis M. iij. poſt fermentationem in dolio peractam, imponantur folior. cochleariæ M. iij. rad. lapathi acut. præparat. ℥iiij. cortices quatuor aurantior. poſtquam per ſeptimanam ſubſidentia inclaruit, potui exponatur.

Hujuſmodi cerevifiæ cum aliis ingredientibus medicata, juxta patientis temperamentum, & affectionem diverſimode parari poſſunt: quo remedii genere, ſiquidem particulæ medicamentoſæ, ſanguinis dyſcraſiam alterantes, maſſæ ejus una cum alimentoſis continuo inferuntur, in tollenda ſcorbuti cauſa, ſæpe multum proficitur. In quantum vero hujus cauſam, uti & morbi ſpeciem, duplicem eſſe oſtendimus, & medicamenta hactenus propoſita, ſanguinis intemperiem ſalinoſulphuream fere tantum reſpiciunt, proxime incumbit medicamenta, quæ in altera ſanguinis dyſcraſia ſcorbutica, nempe ſulphureoſalina, conveniunt, ſubjicere.

## CAPUT. VIII.

*De medicamentis, cujuſque prædictarum formularum generis, ſcorbutum, in conſtitutione calidiori, & ſanguinis dyſcraſia ſulphureoſalina, excitatum reſpicientibus.*

IN quibuſdam ſcorbuticis, cochleariæ, raphani ſylveſtris, corticis Winteran. aliorumque acrium, & ſale volatili valde præditorum uſus multum officere deprehenditur: quare in ejuſmodi caſibus, ubi cauſa morbifica in calidiori ſanguinis dyſcraſia, vini rancidi æmula, conſiſtit, medicamenta temperata, & humorum particulas, per ſe effervescere aptas, minus exagitantia indicantur: quare formulæ, eodem quo ſuperiores ordine,

dine, ac velut παραλλήλως ſubjicientur, atque imprimis de remediis ſolidis agemus.

## *ELECTVARIA.*

‘℞.Conſervæ beccabungæ, cardamines, cum æ-
‘quali parte ſacchari facti.an.℥iij.ſpec.diatri.ſantal.
‘diarrhod.abbatis.an.ʒj.ß.eborispulv.ʒj.margarit.
‘ʒß.ſalis abſynthii, tamariſci an. ʒj cum ſ.q. ſyr.e
‘coralliis.f.electuarium.

‘℞.Conſervæ lujulæ, cynorrhodii,an. ℥iij. (vel
‘conſervæ rad.lapathi acut. rad.cichorei.an. ℥iij. )
‘trochiſc.de rhabarbaro ʒij.ſpec. diamargarit. fri-
‘gid.ʒj. ß. cort. tamariſci ʒj. ſalis prunellæ ʒj. ß.
‘myrobalanor.condit.no.ij.c.ſ.q.ſyr.conditura myrobalanor.f.electuarium.

Pauperioribus hoc αὐτοσχεδίασον præſcribere ſoleo.‘℞.Folior.beccabungæ ℥vj.lujulæ ℥ij.ſaccha-
‘ri albiſſimi ℥viij. contundantur addendo farinæ
‘ſem.fœniculi d.℥ß. eboris pulv. ʒij.ſalis prunellæ
‘ʒj.ß.cum ſ.q.ſyrupi e ſucco beccabungæ,f.electua-
‘rium.

## *CONFECTIONES.*

‘℞.Pulv.rad.Chinæ,pæoniæ maris an.ʒj. ſantal.
‘albi,citrini an.ʒiij.eboris ʒj. ß. margarit. ʒß. o-
‘culor.caneri ʒj.corallii cum ſucco aurantior. irro-
‘rat.ac in marmor.lævigat.ʒij.tartari albiſſimi ʒj.
‘ß. ſacchari albiſſimi ſolut.in ſ.q.aq.ſcordii compo-
‘ſit.℥vi f.confectio.

‘℞.Rad,eryngii condit. ſcorzoneræ condit. an.
‘℥iij.pulv.Ari compoſit.℥ß.ſpec diatrion ſantal.ʒij.
‘ſalis prunellæ ʒj.ß.cum ſ. q. ſyrupi cariophyllor.
‘f.confectio.

## *PVLVERES.*

‘℞.Pulv.folior.chamæpytios,Ari compoſit. an.
‘ʒj ß.eboris pulv.corallii rubr.præparat.cum ſucco
‘aurantior. an. ʒij. tabularum aurantiorum ℥ij.
‘miſce.f.pulvis.doſis cochl.1.bis in die.

PILV-

## PILVLÆ.

℞. Spec.diatrion ſantal.diamargarit: frigid. an. ℨij.ſem citri, cardui contuſ. an. ℨj. ß. rad. dictamni Cretici,pæoniæ maris an. ℨj.ß.ſalis tamariſci ℨij.cum ſ.q. gelatinæ e cervi vel exuviis anguium.f.maſſa.

## TABVLÆ.

℞. Spec diatrion ſantal.diamargarit. frigid.an. ℨj.ß. margarit.pulv.corallii rubr. præpar. eboris pulv.an.ℨj. ſacchari ſolut. in aq. ſcordii & ad tabulat.coct ℥vj.ſ.a.f.tabulæ.

Quod ſi, cum antiſcorbuticis hujuſmodi temperatis,uſus chalybis indicatur,electuario, vel confectioni,aut etiam pilularum maſſæ, addantur magiſterii Martis Mynſychti, vel extract. chalybis præparationis noſtræ ℨij. In quibuſdam caſibus croci Martis circiter ℨij.ß.vel ℨiij.tali compoſitioni addantur,ſæpius tamen liquores ſolidis medicamentis ſuperbibendos, quam prædictas compoſitiones, chalybeatos reddere præſtat. Reſtat modo liquorum formulas præſcribere.

### *Decocta.*

In ſcorbuto poſt febrem diuturnam excitato, hujuſmodi decocta, quæ ſanguinem purificant, & urinas copioſe movent, cum fructu exhibentur.

℞. Rad. cherefolii, ſcorzoneræ, acetoſæ, petroſelini an. ℥j. folior.eupatorii, linguæ cervinæ an.M.j.C.cervi uſti ℨij. cortices trium pomorum, uvarum Corinthiacarum ℥ij.glycirrhizæ ℨiij. coquantur in aq.fontanæ ℔iiij.ad tertiæ partis conſumptionem, adde ſalis prunellæ ℨij.vel iij. Doſis ℥vj. bis vel ter in die.

℞. Rad eryngii condit. ℨvj. graminis ℨij. folior.aparin.M.ij. eupatorii, epaticæ an. Mj. paſſular. ℥ij. ſantal. albi ℨj. glycirrhizæ ℨij. coquantur

'quantur in aq, fontanæ ℔iiij.ad tertiæ partis con-'ſumptionem. Doſis ℥vj. poſt medicamentum ſo-'lidum.

Ruſticis & pauperioribus, ne poſt febrem in ſcorbutum incidant præſcribere ſoleo, ut bis in die capiant hauſtum ſequentem, nempe ut rad.& fol.taràxaci M.j.ß. in liquor. Poſſet. ℔j. ß. coquantur ad tertiæ partis conſumptionem; coletur pro duabus doſibus.

'Vel. ℞. rad. taraxaci M.ß. ſem. citri, cardui 'an. ℥j. coquantur in liquore Poſſet. cum pomis, 'vel pomaceo fact.℔j. ß. ad tertiæ partis conſum-'ptionem.

*Infuſiones.*

Apozemata modo præſcripta, contra ſcorbutum præſtantiora evadent,ſi abſque glycirrhiza parata, colentur in lagenam, cui imponantur folior. beccabungæ & naſturtii aquatici vel cardamines an.M.j. dein f.infuſio calida & clauſa per 6 horas. Liquor denuo colatus ſervetur in vaſis occluſis. Doſis ℥vj. bis vel ter in die. Quin & ſerum lactis, cum rad. taraxaci, aut foliis fumariæ incoctis, coletur in vas continens folior. beccabungæ, chelidonii minoris an.M.j.f. infuſio, &c.

Infuſiones chalybeatæ crebro in uſu eſſe ſolent, nempe chalybis ſal, magiſterium aut extractum in decocto quodam, aut aq.deſtillata infundantur; cæterum, prout acidulæ naturales, ſic etiam artificiales e noſtr. præparatione chalybis in aq. fontana diſſoluti, atque antiſcorbuticorum infuſione imprægnati cum inſigni commodo bibuntur.

*Succi & expreſſiones,*

'℞. Folior.beccabungæ, naſturtii aq.an. M.iiij. 'lujulæ M.ij.contuſis exprimatur ſuccus, vitro oc-'cluſus cito per ſubſidentiam depurabitur.Doſis ℥j. ß.ad.ij. cum vehiculo convenienti.

℞. Folior.

'℞. Folior. beccabungæ M.iiij. caulium rhabarb. 'Anglicani M.ij. contuſis exprimatur ſuccus.

'℞. Folior. beccabungæ, naſturtii, cardamines, 'chelidonii minoris, acetoſellæ an. M.ij. contuſ. ex'primatur ſuccus, adde ſucci aurantior. p.4. ſerven'tur in vitro.

### *Syrupi.*

Quoties ſyrupus, cuilibet alii compoſitioni addendus exigitur, aut ſyrupo de ſucco lujulæ, vel fumariæ, vel e coralliis compoſito utimur; aut etiam magiſtralis de ſucco beccabungæ, eodem ritu quo ſupra, de cochleariæ ſucco præſcribitur, parari poteſt.

### *Aqua deſtillata.*

Aquæ deſtillatæ temperatiores paranrur, mutando aut ingredientia, aut menſtruum, aut ſimul utrumque.

Quoad prius, juxta hunc modum proceditur. '℞. Folior. beccabungæ, naſturtii, fumariæ, linguæ 'cervinæ, hepaticæ, meliſſæ, ſummitatum tamariſci, 'cypreſſi an. M.iij. ſantal. om. contuſ. an. ℥ß. rad. lapa'thi acut. polypodiiqu. an. ℥ij. cort. exteriores quatu'or aurantior. limacum mundat. ℔ij. inciſ. & contuſ. 'affunde ſeri lactis cum pomaceo fact. ℔vj. Deſtil'lentur in communi deſtillatorio.

2. Ut menſtruum ſit debilius, ingredientia ſint moderate calida.

'℞. Folior. cochleariæ, beccabungæ, cardami'nes, naſturtii an. M.iij. cort. quatuor aurantior. lima'cum ℔j. minutim conciſis affunde ſeri lactis com'munis, vel lactis recentis ℔vj. Deſtillentur vulgari 'modo.

3. In ſcorbutica atrophia & diſpoſitione tabida, ubi nihil calidum, ſanguinem, humores, ac ſpiritus exagitans, admitti debet, tum ingredientia, tum menſtruum, ſint temperata & ſanguinem demulcentia.

'℞. Folior. beccabungæ, cardamines, linguæ cer-

vinæ,

"vinæ, adianthi, hepaticæ, veronicæ, eupatorii, an. "M.ij. limacum mundat. ℔j. ß. (vel pulpam ca- "ponis, aut cordis ovilli inciſ.) ſemicoctis & incifis "omnibus ſimul contuſis affunde lactis recentis (vel "aq. fumariæ) ℔ vj. deſtillentur communi modo.

## *Vina, & cerevisiæ medicatæ.*

Etſi vinorum uſus in ſcorbuto propter calidiorem, ſive ſulphureoſalinam ſanguinis dyſcraſiam, excitato minus convenire videatur, ſi quando tamen aut ſtomachus debilior, aut longa conſuetudo, vini ſaltem oligophori, potum exigunt, ejuſmodi liquor ſimul temperatior, & quodammodo medicatus parari poteſt. Imprimis etenim vina tenuia aqua diluta, & meliſſæ, borraginis, aut pimpinellæ, aliorumve infuſione impraegnata concedi debent.

Porro vina parentur e ſuccis ribium, ceraſorum, aliorumve fructuum horariorum, quæ cum fermentatione maturantur, ſtomacho perquam grata, & ſanguinis depurativa exiſtunt; dein pomaceum, familiare & fere genuinum patriæ noſtræ vinum, modo hoc defæcatum, mite, ac ſine acore quovis dulce fuerit, in ſcorbuto plurimum juvat: Porro huic liquori fæcibus exempto, & doliolis repoſito ingredientia varii generis infundantur; cujuſmodi nimirum ſunt ſummitates pini, vel abietis, flores tamariſci; item raſura C. cervi, vel eboris, quæ liquorem edulcorant, & ab aceſcentia præſervant; in quantum ſc. particulæ ſalis fluidi in pomaceo ſcatentes, ipſique acorem inducere aptæ, prædicta ingredientia diſſolvendo impenduntur.

Cereviſiæ medicatæ temperatiores ad hunc modum præſcribantur, ſc. paretur alla tenuior, pro doliolo 5 vel 6 congiorum capaci, cui vice florum lupuli incoquantur ſummitates pini, abietis, vel tamariſci, aut raſuræ ligni cujuſvis illorum; dein poſt fermentationem, vaſi imponantur rad. lapathi acuti exiccatæ (quibus certe nullum in ſcorbuto præſtantius remedium eſt:) His inter-

dum addantur folia beccabungæ, naſturtii aquatici, barbareæ, &c. item poma citrea, vel aurantia, in taleolas diſciſſa.

Folia linguæ cervinæ, doliolo cereviſiæ mediocris, poſt fermentationem impoſita, ipſi ſaporem ſimul, ac odorem gratiſſimum inducunt.

## CAPUT. IX.

*De ſcorbuti indicatione curatoria, qua ipſi morbo, & ſymptomatibus præcipue urgentibus occurritur.*

HActenus circa ſcorbuti therapeiam, quæ indicationem præſervatoriam, ſc. cauſæ morbificæ remotionem ſpectant, ſc. tum medendi intentiones, tum remedia indicata deſignavimus. Cujuſmodi methodus tempeſtive incepta, ac rite inſtituta, ſæpe rem totam perficit; in quantum ſc. ægritudinis cauſa, ſive radice præciſa, affectus ab ea pendentes ſponte emarceſcunt. At vero, hunc curſum ἰατρικὸν non ſemper directe, quin varie deflectendo ad latus, conficere licebit: quippe interdum accidentia & ſymptomata graviora contingunt, quæ peculiarem, & quaſi extraordinariam medicinæ operam requirunt, quibus nempe immediate, ac interrupta ſæpe cura generali, attendere oportebit: Super his obſervetur, quod cum affectus qui ſcorbuto ſuperveniunt, pro cujuſque ipſorum natura ac patientis indole, appropriata exigunt remedia, hiſce tamen antiſcorbutica ſemper admiſceri debent. Non opus erit contra morbos, & affectus omnes, quibus ſcorbutus ſtipari ſolet, methodum therapeuticam inſtituere, ita namque huc tota medicina praxis tranſcriberetur; quin ad ſymptomata ſolum præcipue urgentia, a quibus nempe vel patientis vita periclitatur, vel cura principalis obſtruitur, reſpiciendum erit: quo ritu, ac quibus medicamentis, talia ſanentur, modo oſtendemus.

## *De curandis difficili reſpiratione, & paroxyſmis aſthmaticis.*

RESpiratio difficilis, cum pectoris anguſtia & paroxyſmis aſthmaticis, remediis ſtatim appropriatis, & extra methodum generalem præſcribendis tolli debet, ſecus enim ægrotans cito in vitæ diſcrimen adducitur. Cum hujuſmodi mala in ſcorbuticis ut plurimum, vel ſanguinis in corde ſtagnantis vitio, vel propter nervos pneumonicos in functione ſua impeditos, oriantur, idcirco medicamentis, aut cardiacis, aut antiſpaſmodicis curantur: ſp. C. cervi, fuliginis, ſanguinis, cranii; item tinctura caſtorei, antimonii, vel ſulphuris, flores ſalis armoniaci, flores benzoini, item elixir proprietatis, in his caſibus ſæpe egregii ſunt uſus: cujuſmodi remedia exhibeantur crebra vice, cum doſi liquoris cujuſdam antiſcorbutici etiam contra prædictos affectus appropriati. Pro ſubita dyſpnœæ mere ſpaſmodicæ, ſi quando graviſſime urgeat, ſedatione, nullum præſentius remedium expertus ſum, quam Laudani opiati tincturam noſtram ad gut. 10. vel 12. in liquore convenienti exhibitam, quippe ſomno obrepente ſpiritus inordinationes ſuas remittunt, ac interim refecti, debito poſtea ritu, priſtina ſua penſa reſumunt. Enemata acriora, quæ alvum copioſe ſubducunt, item decocta ſudorifera, ac diuretica ſæpe juvamen præſtant.

℞. Rad. bardanæ, petaſitidos, cherefolii an. ℥j. folior. adianthi, chamædryos, an. M. j. ſem. bardanæ, carthami, an. ʒiij. paſſularum ℥ij. inciſ. & contuſ. coquantur in aq. fontan. ℔iij. ad tertiæ partis conſumptionem, adde vini albi ℥iiij. colentur in lagenam, cui imponatur fol. cochlear. conciſ. M. j. rad. Elenii condit. & minutim inciſ. ℥ß. f. infuſio clauſa & calida, per horas tres. Doſis ℥vj. bis vel ter in die.

## *De ventriculi affectibus ſcorbuto accidere ſolitis.*

Scorbutici interdum magna ventriculi oppletione & dolore,item nauſea & ructibus, & nonnunquam etiam vomitu crebro, ac immani tentari ſolent.Cujuſmodi vitia, interdum a chylo illic in putrilaginem degeneri, ſæpius tamen a materia morbifica, aut ſanguinis, aut etiam ſucci nervoſi commeatu advecta, & vel intra ſtomachi cavitatem depoſita, vel plexibus nerveis & membranis infixa, oriuntur: In hujuſmodi caſibus, ſi materia viſcida nidoroſa,aut alias infeſta inter vomendum rejicitur, & ſuſpicio fit, cauſam intra ventriculi cavitatem ſubſiſtere, lene vomitorium ex vino ſcillitico, aut ſale vitrioli propinare conveniat; vel extracto rhabarbari, aut infuſo ejus,adjecto ſale aut cremore tartari, humor peccans per alvum deturbetur: ſin materies intra membranas,aut plexus nerveos,penitius adhæreſcat, diaphoretica, aut ſalium efferveſcentias cohibentia potius conducunt. Elixir proprietatis, vel flores ſalis armoniaci, vel ſpiritus fuliginis, cum aq. raphani compoſita, lumbricorum, aut alio liquore antiſcorbutico crebra vice ſumantur. Interim ſemel,aut bis in die, fotus ex abſynthio, centaurio, floribus chamomillæ, rad. gentianæ, aliiſque vino albo incoctis, cum ſtuphis laneis calide intinctis & expreſſis, ventriculi regioni applicentur. Enematum uſus convenit. non raro item opiata juvamen magnum conferent.

De

## *De dolore ventris, & colica ſcorbutica.*

Nulla propemodum affectio citiorem medicinæ opem poſtulat, quam quæ in ſcorbuto frequenter accidunt, colica & ventris tormina. Contra hæc mala, clyſteres varii generis, fotus, linimenta & cataplaſmata adhibentur. Opiatarum uſus hic valde neceſſarius deprehenditur. Certe in hoc caſu illud Riverii præſcriptum, ut catapotia purgantia, cum laudano admixto exhibeantur, maxime locum habet; namque a ſomno concitato, ac alvi ſolutione uberiori proritata, non raro paroxyſmus ſolvitur. Cæterum pulveres teſtacei, a quibus ſales acetoſi imbibuntur, aut figuntur, cauſæ morbificæ profligandæ plurimum conducunt. E. g. ℞. Pulv. oculor. cancri, teſtarum ovor. an. ʒj ß. margaritar. ʒj. f. pulvis, dividatur in 12 doſes, quarum una ſexta qualibet hora ſumatur cum aq. ſcorbutica, vel cum decocto rad. & ſeminum Bardanæ, qualis ſupra deſcribitur, aut etiam cum liquore Poſſet. cum rad. & ſeminibus Bardanæ, foliis majoranæ odoratæ, ac ſaxifragiæ incoctis, foliiſque cochleariæ infuſis. In colica ſcorbutica, etiam in ventriculi affectibus modo deſcriptis, acidularum purgantium, quales apud noſtrates juxta vicos *Epſum* & *Barnet* proſtant, uſus egregium ſæpe commodum præſtat.

## *De diarrhœa & affectibus dyſentericis.*

Diarrhœa inveterata, qualis ſcorbuticis frequenter accidit, haudquaquam medicamentis aſtringentibus ſiſti debet, nec etiam alterantibus, aut antiſcorbuticis quibuſvis facile curatur: acidulæ ferro, aut vitriolo impregnatæ, hujus affectus remedium optimum exiſtunt; his ſuccedunt acidulæ artificiales, aut medicamenta chalybeata, quæ juvamen inſigne præſtare ſolent. Crocus Martis recte præparatus, cæteris omnibus jure præfertur. Methodo ſequenti ſæpe bono cum ſucceſſu uſus ſum. Imprimis purgatio ex pulvere, aut in-

fuſo rhabarbaro, aromaticis aſtringentibus adje-
ctis, inſtituatur, & aliquoties ſc. trium aut qua-
tuor dierum intervallo iteretur. Cæteris diebus, e-
lectuarii ſequentis doſis ad quantitatem nucis mo-
ſchatæ mane & horæ quarta ſumatur. ℞. Con-
ſervæ abſynthii vulgaris, cum æq. parte ſacchari
fact. ℥vj. (in conſtitutione calidiori, hujus vice,
conſerva roſar. rubrar. recipiatur) ſpec. diarrhod.
abbatis ʒij. ſantal. albi, rubri pulv, an. ʒj. croci
Martis opt. ℥ß. cum ſ. q. ſyr. chalybis. f. electua-
rium.

In affectibus dyſentericis, ac teneſmo, ſimili
methodo procedendum erit; præſertim acidula-
rum uſus, ſi fieri poteſt, adhibeatur: inſuper e-
nemata, e decoctis vulnerariis parata, crebro ſint
*Obſervatio.* in uſu. Nuper ego quendam dyſenteria diuturna
ac gravi laborantem, qui ſc. quotidie plures un-
cias ſanguinis, per alvum a longo tempore excre-
verat, hoc remedio ſanavi. ℞. Rhabarb. opt.
pulv. ℥j. ſantal. rubr. pulv. ℈ij. cinamomi ʒj.
croci Martis ʒiij. balſami Lucatelli q. ſ. f. maſſa
pilularis; ſumpſit quatuor pilulas, diebus modo
ſingulis, modo alternis, per duas ſeptimanas, &
perfecte curatus erat. Huic etiam, cereviſiam me-
dicatam ex rad. lapathi acut. & foliis beccabungæ
infuſis conſtanter bibendam præſcripſi.

*De vertigine, ac leipothymia, aliiſque af-
fectibus eidem in affectione ſcorbutica
adjungi ſolitis.*

Vertigo ſcorbuto inveterato crebro ſupervenit,
cui etiam leipothymia frequens, ac fere conſtans e-
jus metus, inſuper in membris ſtupor, ac formi-
cationis ſenſus modo huc, modo illuc excurrens
adjungi ſolent. Cujuſmodi affectus, modo a ſpi-
rituum animalium in ipſo fonte, & modo ab eo-
rundem intra nervos, tum cardiacos, tum mem-
brorum motui inſervientes, deliquiis, procedunt:
cumque a cerebro & nervoſo genere, ſale ſcorbuti-
co plurimum obſeſſis, dependent, non facile cu-
rantur.

rantur. Remedia cephalica, qualia in vertigine & morbis paralyticis per ſe excitatis, conveniunt, cum antiſcorbuticis admixtis adhiberi debent. Itaquefacta imprimis totius proviſione, per cathartica idonea, & qualia in ſcorbuto conveniunt, cum remediis contra prædictos affectus appropriatis, ad hunc modum procedatur.

Circa initia curationis, ſanguinis detractio e venis ſedalibus hirudinum ſuctu celebretur; & niſi aliquid contraindicat, crebra vice poſtea iteretur.

'℞. Pulv. rad. pæoniæ maris ℥ß. coral. rubr. præ'par. ʒij. cranii humani, ungulæ alcis, an. ʒj ℞. 'Sacchari opt. ſolut in aq. pæoniæ compoſit. vel in 'aq. raphani ſylveſtris, & ad tabulat. coct. ℥viij. olei 'ſuccini opt. rectificat. ʒß. f. a. f. tabulæ, ſumantur ad 'ʒj. ß. vel ʒij. mane & veſperi, ſuperbibendo 'hauſtum aq. deſtillat. ſequentis.

'℞. Folior. cochleariæ, beccabungæ, naſturtii, 'lilii conval. ſalviæ, roriſmarini, betonicæ an. 'M. iij. jugland. viridium ℔j. cort. 6. aurantior. '& quatuor limoniorum, rad. pæoniæ maris recent. '℔j. ß. contuſis & conciſis affundantur phlegmatis 'vitrioli ℔j. ſeri lactis cum pomaceo fact. ℔v. Di'ſtillentur more vulgari, aq. ſimul tota miſcetur. Do'ſis ℥iij. ad ℥iiij.

## *De hæmorrhagiis.*

Hæmorrhagiæ, in affectione ſcorbutica, ſæpe ingens periculum minantur, nimirum quaſi laborantes propterea in mortem præcipites traderentur; dum ſanguis fere ad animi deliquium, modo e naribus, modo fluxu menſtruo, aut hæmorhoidali, erumpit: præterea, iſte interdum e pulmonibus, aut ventriculo rejectus, ulceris, aut ſaltem magnæ debilitatis in parte affecta deliteſcentis ſuſpicionem præbet. Quare excretiones ſanguinolentæ, ſi vel immodicæ fuerint, aut loco inconvenienti accidunt, in præſens ſiſti, ac impoſterum præcaveri debent.

Pro ſiſtendo ſanguine, quando immodice erumpit, methodus ſatis vulgo nota eſt, ac nihil magis, aut peculiare, in hoc affectu propter ſcorbutum, quam propter alias occaſiones excitato, agendum reſtat. Attamen ad præcavendas hæmorrhagias remedia adhibeantur, quæ ſanguinis acrimoniam tollunt, & vaſorum ora nimis laxa & dehiſcentia conſtringunt. Utraque intentio medicamentis chalybeatis optime perficitur. Acidularum vitriolicarum uſus in hanc rem maxime idoneus eſt: porro chalybis infuſiones, extracta, ſales, & ejuſmodi præparata, quæ ſalinam, ſive vitriolicam ferri naturam præcipue continent, contra hæmorrhagias ſemper utiliſſima exiſtunt. Qua ratione ferrum & præparata ejus, hos affectus, alioſque diverſimodos, in corpore humano producunt, ſuperius oſtenditur.

‘℞. Conſervæ roſar. rubrar. cynorrhodii, an.
‘℥iij. ſpec. diarrhod Abbatis, diatrion ſantalon
‘an. ʒj. ß. ſalis chalybis ʒj. croci Martis opt. præ-
‘parat ʒij. corallii rubr. præpar. ʒj. ß. cum ſ. q.
‘ſyr. de chalybe f. electuarium, ſumatur ter in die
‘qu. nucis moſchat, ſuperbibendo liquoris appro-
‘priati hauſtum,

Pauperibus ad hunc modum præſcribere ſoleo.

‘℞. Summitatum cypreſſi, urticæ urentis an. ℥iiij.
‘beccabungæ ℥ij. Contundantur in mortario cum
‘℥x. ſacchari albiſſimi: dein adde ſquamar ferri
‘tenuiſſime pulv. ℥j. pulv. ſantal. albi, rubri an.
‘ʒij. cum ſ. q. ſyr. e ſucco urticæ. f. electuarium. Do-
‘ſis qu. nucis jugland. bis in die.

‘℞. Aq. deſtillatæ, vel decocti antiſcorbutici
‘temperat. ℔ij. chalybis noſtr. præpar. ʒij. miſce in
‘vitro: Doſis ℥iij. vel. iiij.

‘℞. Summitat. urticæ urentis, folior. beccabun-
‘gæ, an. M. iiij. contuſis exprimatur ſuccus, ſerve-
‘tur in vitro. Doſis ℥ij. vel iij bis in die cum aq. de-
‘ſtillat. antiſcorbutica.

## *De vitiis oris, propter ſcorbutum oriundis.*

Quamprimum labes ſcorbutica partes oris inceſſit, ut gingivæ intumeſcant, earumque carnes fungoſæ evadant, protinus remedia, quæ putredinem ab iis arcent, ſedulo adhibeantur: Inter hæc, collutiones oris, ac linimenta, & morbo circa has partes incipiente, & illo ibidem ingraveſcente, præcipui ſunt uſus; quæ tamen, uti vari s intentiones reſpiciunt, ita diverſimode parari ſolent, ſc. gingivarum caro primo intumeſcens, a ſanguinis, aut ſeri ſalſi, & corrupti incurſibus liberari & exiccari: poſtea earundem caro flacceſcens, ac a dentibus ſubſidens, a putredine vindicari, quin etiam ut dentes arctius complectatur, conſtringi debet; propter has & forſan alias intentiones, gargariſmi, ſive oris collutiones, varii generis inſtituantur: quorum fere omnium præcipua ingredientia, ſunt vegetabilia incocta, ac mineralia infuſa. Herbæ, aut radices, quæ liquore idoneo, ſc aqua, aut vino incoquantur, plerunque ſunt vel acres, vel amaræ, vel ſtypticæ: dein ejuſmodi decocta impregnantur, aut ſale volatili, lixiviali, vitriolato, ſeu chalybeato, vel aluminoſo. Libet hic formulas quaſdam cujuſque generis ſubjicere.

1. Cum itaque gingivarum caro propter ſeri, ac ſanguinis ſalſi & corrupti influxum, primo intumeſcit & fungoſa evadit. ℞. Cort. mediani ſambuci, Ulmi, an. M, ß. folior. ſatureiæ, ſalviæ, eryſimi, naſturtii, an. M. j. rad. Pyrethri ʒij. contuſ. & conciſa coquantur in aq. calcis ℔iij. ad tertiæ partis conſumptionem: ſi edulcoratio requiritur, adde mellis roſat. ℥ij. f. gargariſmus. Vel ℞. Vitrioli camphorati ℥j. (vulgo apud noſtrates inſignitur, nomine pulveris Capitanei Green.) aq. fontan. ℔ j. miſce in vitro, conquaſſetur, & dein liquor per ſubſidentiam clareſcens, uſurpetur. Vel paretur lixivium e cineribus geniſtæ, aut roriſmarini, vel e tartaro & nitro calcinato;

'hujus ℔iij.incoquantur folior. ſatureiæ, thymi, 'ſalviæ, roriſmarini an. M.j.colatura ſuperfunda-'tur folior.cochleariæ M.ij.f. infuſio calida & clau-'ſa per horas tres, iterum coletur & ſervetur ad os 'colluendum, ſæpius in die.

Propter eandem intentionem, etiam linimenta intermediis temporibus, ac præſertim noctu applicentur, ut illorum virtus ægrotantibus, vel inter dormiendum communicetur. Apud Authores præſcriptum frequens celebre, & longo uſu expertum habetur. '℞. Pulv.folior. aquilegiæ, 'menthæ criſpæ, ſalviæ, nucis moſchat. myrrhæ '(quæ tamen aliquando omittatur) an. ʒij. alu-'minis uſti ℥ß.mellis virginei ℥iiij.vel q. ſ. f. a. f. 'linimentum.

2. Si quando gingivarum caro flaccеſcens, dentinm radices deſtituit, Scarificatio levis ſæpe adhibeatur; inſuper hoc decocto os colluatur, '℞. Summitatum rubi, cypreſſi, folior. ſaniculæ, 'cardamines an. M. j. coquantur in aq. ferratæ '℔iij.ad tertiæ partis conſumptionem,colaturæ ad-'de mellis roſat.℥ij. miſce.

Linimentum hujuſmodi applicetur. '℞. Pulv. 'rad. ireos Florentinæ, folior. ſalviæ, hyperici an. 'ʒij. boli Armeni, ſalis prunellæ an. ʒj. mellis 'virginei calentis q.ſ. agitatione bene incorporen-'tur.

3. Quando gingivæ putreſcunt, & corrumpuntur, ſimulque dentes carie obſiti vacillant, ac tetrum odorem expirant, medicamenta fortiora, & putredini valde reſiſtentia, adhibeantur, vitrioli camphorati, etiam lapidis medicamentoſi infuſio, hic adprimis locum habent.

'Vel.℞.rad.Gentianæ,Ariſtolochiæ rotund. in-'ciſ.an.℥ß.folior.centaurii minoris, abſynthii Pon-'tici, ſatureiæ, aquilegiæ. an. M. j. coquantur in 'aq. calcis, aut lixivialis, etiam modo ferratæ, 'modo aluminoſæ ℔iij. ad tertiæ partis conſumpti-'onem. Colaturæ adde mellis crudi ℥ij.vel iij. 'miſce.

4. Si

4. Si dentium caſus præcipue metuatur. ℞. 'Cort. rad. prunor. ſylveſtrium ℥j. tormentillæ, & 'biſtortæ totius an. M. j. malicorii, balauſtior. an. ℥ß. 'coquantur in aq. fontanæ ℔iij. Colaturæ adde alu- 'minis ʒij. vel iij. mellis opt. ℥ij. miſce. ℞. Vitri- 'ol. camphorat, C. cervi uſti an. ʒj. nucis moſchar. 'ʒß mellis opt. q. ſ. f. linimentum. Vel. ℞. Pulv. rad. 'biſtortæ, malicorii, boli Armeni, aluminis uſti an. 'ʒj. mellis roſacei q. ſ. adde ſpiritus vitrioli ℈j. f. li- 'nimentum,

5. Si quando (uti interdum aſſolet) ulcera putrida & profunda, gingivas, aliaſve oris partes inceſſant, remedia prædicta fortiora erunt ſæpius adhibenda: Inſuper loco affecto petia unguento Ægyptiaco, in ſpiritu vini diſſoluto, vel lapidis medicamentoſi aut ſublimati infuſione intincta, aliquoties applicetur. In his caſibus Chirurgo perito curatio delegetur.

## *De doloribus crura, ac alios interdum artus, noctu potiſſimum infeſtare ſolitis.*

Contra hos dolores, ſiquidem acerbiſſimi interdum exiſtunt, præter generalem ſcorbuti curandi methodum, remedia ſpecifica, & ſymptomati iſti occurrentia indicantur: Itaque in tali caſu, purgationis ritu bene inſtituto, etiam phlebotomia ( ſi opus ſit ) celebrata, & pharmacia interna & topicis externis, morbum adoriri convenit.

Quoad prius, quæ per ſudores, etiam & quæ per urinas movent, ſæpe juvamen præſtant, in quantum ſanguinis, & ſucci nervoſi recrementa lixivialia & acetoſa, in parte affecta congredi ſolita, alio deducunt: potiſſimum vero adhibeantur, quæ utrumque humorem, ab indole ſua prava, ſc. tum ſalina, tum acetoſa, vindicant: pulveres teſtacei, oculorum cancri, mandibularum lucii, item ſp. & flores ſalis armoniaci, ſp. ſanguinis, tinctura antimonii, corallii; Decocta rad. & ſeminis

ſeminis bardanæ, chamæpytios,chamædryos, adprime conferunt. Cjuſmudi remedia cum aquis deſtillatis antiſcorbuticis bis aut ter in die ſumantur. Aqua diſtillata, ex ſtercore equino, additis, cochlearia, beccabunga, iva arthritica, & ſimilibus, interdum valde proficua eſt. Interea fotus, linimenta, cataplaſmata, aut alius generis applicationes, quæ dolores ſedant, exterius admoveantur.

## *De arthritide vaga ſcorbutica.*

De hoc affectu Eugalenus, Wierus, Medicus Campenſis,& Gregorius Horſtius, ex compoſito ſcripſerunt, in ſeptentrionalibus Belgiæ plagis, valde frequens perhibetur. Cujus certum indicium conſtat lumbricum vivum loco dolenti imponendo; nam ille ſtatim exilire, circumgyrari, incurvari, labaſcere, & mori ſolet; quod quidem in hoc morbo, etiam apud noſtrates ſatis crebro evenire expertus ſum. Cujuſmodi experimenti ratio (uti videtur) hæc eſt, doloris & tumoris in parte affecta excitati, cauſam eſſe ſtatuimus, quod a ſanguine fæculentiæ ſalinæ, ſive lixiviales, ſimulque a ſucco nervoſo acetoſæ, in eodem loco depoſitæ, mutuo effervescunt, non ſecus ac ſpiritus vitrioli,ſaliTartari deliquato commiſſus; porro a tali particularum diſſimilium lucta, & agitatione, uti dolor & tumor cientur, ita quidem effluvia valde acria, & velut corroſiva copioſe abſcedunt, quæ lumbricum loco dolenti impoſitum, nihilo minus, quam ſuper liquores iſtos ebullientes ſuſpenſum, enecant: Propter experimenti iſtius effectum, morbi curatio per lumbricos, ſc. remedia ex iis parata inſtituitur; qui tamen neſcio, utrum intus ſumpti, tam certo profligabunt morbum, ac illi exterius admoti, a morbo profligantur. Utcunque lumbrici, uti & limaces, aſelli, & alia animalcula exanguia, in quantum ſale volatili abundant, in remedium ſatis efficax non raro cedunt.

Henricus

Henricus Petræus refert duo remedia, contra hunc morbum in Weſtphalia uſitata. ℞. Novem lumbricos, cum duobus cochlearibus vini in mortario contuſos, & per pannum expreſſos, his addatur dimidia vini menſura, ſumantur cochlearia iij. mane, meridie, & veſperi, per plures dies. 2. ℞. Sabinæ ramulos ij. vel iij. mellis virginei cochlearia ij. coquantur cum menſura vini ad ſubſidentiam duorum digitorum. Colatura ſumatur ad cochlearia iiij. vel v. ter in die. Priori medicamento affinis eſt potio quædam vulgaris, ab Horſtio citata, dicta Monaſterienſis. ℞. Salviæ, betonicæ, Rutæ an. folia 5. lumbricorum cum cingulis rubris in collo n°. 5. ſabinæ parum, & rad. ſucciſæ n°. ij. cum aqua flor. ſambuci contundantur, & ſuccus expreſſus pro ſudore movendo exhibeatur. Etiam ſimile præſcriptum a Medico Campenſi apud Foreſtum proponitur.

Certe in hoc affectu, aqua lumbricorum magiſtralis, in pharmacopœa Londinenſi præſcripta egregie convenit: Quin ſp. & ſalem C. cervi, ſp. ſanguinis, flores ſalis armoniaci cum bono ſucceſſu ſæpius adhibui. Porro pulveres teſtacei ſc. oculi cancrorum, corallia, margaritæ, & vegetabilia, quæ arthritidis antidota feruntur, uti rad. ariſtolochiæ, folia chamæpytios, chamædryos, & ſimilia antiſcorbuticis conjuncta, morbi hujus ſanationi conducunt. Exterius pro doloribus ſedandis, præter anodyna, quæ ſub forma linimenti, fotus aut cataplaſmatis uſurpantur: Oleum lumbricorum, ranarum, & bufonum non raro ſunt valde proficua. Accepi a viro Inſigni huic morbo valde obnoxio, quod aqua e contentis ventriculo bovis nuper mactati exemptis per deſtillationem prolicita, & cum petiis ei calide intinctis, atque pro fotu applicatis, levamen certiſſime adferret,

De

### *De affectibus convulſivis & paralyticis, ſcorbuto ſupervenire ſolitis.*

Si quando labes ſcorbutica in cerebrum & nervoſum genus irrumpens, liquorem utriuſque provinciæ irriguum valde inquinarit, propterea quidem diverſimodi affectus, ac imprimis paralytici, aut ſpaſmodici, prout ſupra oſtendimus, oriri ſolent: nimirum juxta quod materies morbifica, regimini animali illata, aut narcotica, aut exploſiva fuerit. Cujuſmodi affectus, licet in hoc caſu ſymptomatici fuerint, attamen ingraveſcentes, præ ſcorbuto parente & nomen, & potiorem curationis partem ſibi vendicant, ita ut ægrotans paralyſi, aut convulſione, magis quam ſcorbuto laborore dicatur; etiam medicamenta iſtis affectibus dicato, quibuſcunque aliis eodem tempore, propter alias intentiones requiſitis, præponantur.

Pro ſanandis hujuſmodi affectibus, ſcorbuto ſuperinductis, id potiſſimum agatur, ut remedia iiſdem appropriata, cum antiſcorbuticis rite complicentur. Quoad morbos convulſivos, quæ in ſuperiori tractatu proſtant, huc facile transferantur. Cæterum de paralyſi, lethargo, nec non pleriſque aliis cerebri, & nervoſi generis pathematis, diſquiſitiones ſpeciales aliquando forſan lucem viſuras, inſtituimus: interim haud par eſt, methodos therapeuticas, quæ ad pathologias iſtas ſpectant, hoc in loco præoccupare; quin potius, quod ex re fore videtur, ſub calcem hujus operis ſcorbuticorum quorundam, ſimul ab iſtis morbis decumbentium, caſus & curationes proponemus.

## *De atrophia, item de febre ſcorbutica, quæ ſæpe illius aut cauſa eſt, aut affectus.*

Tria ſunt cauſarum genera, ſerie quadam pendentia, a quarum una, aut pluribus, atrophia ſcorbutica, abſque pulmonum phthiſi exiſtens, produci ſolet, ſc. aut chylus primarum viarum culpa pervertitur, quo minus penus ejus ſufficiens, aut laudabilis, ſanguini inferatur. Secundo aut iſti illatus, tamen ſanguinis vitio, non recte in ſanguinem & ſuccum nutritium mutatur. Tertio aut denique ſuccus nutritius in maſſa ſanguinea præparatus, propter liquoris nervoſi culpam, ſolidis partibus non rite aſſimilatur.

Remedia huic ſymptomati appropriata, aut primarum viarum, aut prædictorum humorum, emendationes reſpiciunt. Quoad prius, interdum accidit ob ſtomachi tonum præfractum, aut fermentum vitiatum, alimenta ingeſta non rite coqui, ſed in putrilaginem inutilem faceſſere. Hujuſmodi malis lenia cathartica, digeſtiva, corroborantia adhibeantur. Sæpius tamen propter tumorem ſcirrhoſum, modo in ventriculo, modo in meſenterio, aliiſve circumcirca partibus, excitatum, chylificationis opus inhibetur: in hoc caſu deobſtruentia, & diſſolventia conveniunt, acidularum uſus quibuſvis remediis palmam præripit. Porro fotus, linimenta, aut emplaſtra exterius applicari debent.

Inſuper interdum accidit, ſine tumore in viſceribus excitato, vaſa lactea a materia craſſa ac viſcida iiſdem impacta, in tantum obſtrui, ut chyli, ſatis laudabilis, & copioſe licet confecti, penus haud ſufficiens in ſanguinem feratur. In hoc affectu alvus ut plurimum copioſe dejicit, albida tamen, inſtar lactis coagulati, ac non, uti aliorum excrementa, bile tincta aut fœtida. Quorum ratio eſt, quod ſanguis depauperatus

pauperatus bilem flavam, e qua inteſtinis ſuffu-ſa, excrementorum color ac fœtor procedunt, parcius progignit. In hoc caſu acidulæ impri-mis conveniunt, item de obſtruentibus intus ex-hibitis, linimenta, fotus & balnea exterius uſur-pentur.

Contra maraſmum, ſanguinis a craſi degene-ris vitio exortum, lac aſininum aut vaccinum, aqua hordeata, aut aqua idonea deſtillata, di-lutum ſæpe opem conferunt: Limacum juſcula, aut lacteata cum iiſdem incoctis; porro aquæ diſtillatæ ex lacte, aut ſero lactis cum limacibus & herbis antiſcorbuticis temperatis, in hoc caſu valde condu-cunt: in hunc finem etiam decocta ex herbis vul-nerariis & antiſcorbuticis infuſis bono cum fructu ſumuntur: Interea partibus externis frictiones cum pannis, unguento reſumptivo, aut oleo amygdala-rum recenti madidis & intepefactis, quotidie ad-hibeantur.

Cum ſanguinis affecti, proindeque ſuccum nu-tritium pervertentis vitio, atrophia exoritur, plerumque febrem erraticam, cum ſudoribus no-cturnis adjunctam habet, in quantum ſc. maſ-ſa ſanguinea, a ſucco iſto degeneri, in efferve-ſcentias inæquales, ac incertas cogitur; atque materies ita moleſta ſudore nocturno ejicitur. In hoc caſu victu tenui inſtituto, decocta & aquæ deſtillatæ, quæ ſanguinem fundunt ac pu-rificant, cum antiſcorbuticis admixtis crebro ſu-mantur.

'℞. Raſuræ eboris, C. cervi an. ʒij. ß. rad. 'eryngii conditi ʒvj. rad. chereſolii, taraxaci an. '℥ß. folior. linguæ cervinæ, hepaticæ an. M. j. 'pomum j. inciſum, paſſular. M. j. coquantur in 'aq. fontanæ ℔ iiij. ad tertiæ partis conſumptio-'nem. Colatura ſuperaffundatur folior. beccabun-'gæ contuſ. M. ij, ſalis prunellæ ʒj. ß. vel nitri 'fixi ʒj. f. infuſio clauſa, & calida, per ho-'ras tres, ſumantur ℥ iiij. vel vj. ter in die.

'℞. Folior. beccabungæ ℔iiij. oxalidis, tara-'xaci totius an. M. ij. limacum mundatar. ℔j. 'ß. cort. duorum aurantiorum: contuſis & con-

ciſis

cisis affunde lactis recentis, vel ſeri lactis cum pomaceo facti, vel ſucci pomor. recentis ℔. vj. deſtillentur more vulgari. Capiat ℥iij. bis vel ter in die.

## *De rheumatiſmo.*

Hunc affectum, a ſalium, qui ſunt diverſæ proſapiæ ac indolis, nempe fixi a ſanguine, & acetoſi a liquore nervoſo adventantium, congreſſu & mutua effervescentia, provenire ſtatuimus. Utriuſque ſalis ſubjecta ſunt fæculentiæ ſuperfluæ, a prædictis humoribus, in turgeſcentias quaſdam actis depoſitæ, atque in partes, modo has, modo illas ſuffuſæ: quare ut morbus curetur, & humorum turgeſcentiæ ſedentur, & fæculentiæ eorum ſuperfluæ expurgentur, etiam ſales utroque ritu degeneres, ad volatilitatis ſtatum reducantur.

Propter duas priores intentiones levis purgatio & phlebotomia imprimis requiruntur, & aliquoties pro tolerantia virium iterari debent: quin & diuretica & diaphoretica, quæ ſeroſitates ſalinas quoquomodo foras convehant, ſubinde exhibeantur. Cujuſmodi evacuationes, ut ſedate, & cum εὐφορίᾳ, & natura aſſiſtente, melius ſuccedant, opiatæ crebro ſint in uſu. Propter alterum ſcopum, in quo præcipuus curationis cardo verſatur, alterantia, & præſertim quæ ſale volatili prædita ſunt, valde conducunt: quare in hoc caſu vulgaris, ſed non contemnenda medicina eſt, infuſionem ſtercoris equi maſculi in vino tenui, aut cereviſia, aut aqua deſtillata appropriata, factam, ad ℥iiij. vel vj. bis aut ter in die propinare. Quin & pharmacum paulo gratius & non minus efficax parari poteſt, ſi ex ſtercore illo cum ingredientibus antiſcorbuticis vino albo, aut pomaceo infuſis, aqua diſtilletur, quæ ad ℥iij. vel iiij. bis in die exhibeatur: ſpiritum C. cervi, ac ſanguinis ſæpius in hoc caſu, cum inſigni ægrotantis commodo præſcripſi.

## *De hydrope.*

Cum hydropem ſcorbuto ſupervenire ſolitum duplicem ſtatuimus, ſc. habitualem & occaſionalem; circa prioris medelam, plerumque & opera & oleum perditur: nulla etenim remedia hepar, atque pulmones, aliaque interdum viſcera prorſus vitiata, atque ſanguinis craſin penitus ſubverſam, reſtituere poſſunt. In tali caſu ſi quid agendum videtur, medicinæ ambitus peranguſtus exiſtit; neque enim catharticis, nec diaphoreticis, neque alius cujuſque generis evacuationi fortiori locus relinquitur; cardiacis, ac diureticis præcipue ac fere tantum inſiſtendum erit. In hos fines, elixires, tincturæ, electuaria, pulveres, infuſiones, decocta, aquæ deſtillatæ, &c. quæ partim antihydropicis, partim antiſcorbuticis conſtant, exhibeantur; quorum tamen, quia parum aut nihil ſignificant, formulis præſcribendis ſuperſedere viſum eſt.

Hydrops ſcorbuticus, a cauſa evidenti, ſive occaſione quadam, uti oſtenſum eſt, ſubito excitatus, non raro curationem admittit, quæ quidem ut facilius ſuccedat, naturæ tumultus imprimis ſedari, ac inordinationes compeſci debent: quamobrem, ſi vigiliæ adhuc plurimum infeſtant, ſomnus opiatarum uſu concilietur, & ſubinde quoties valde opus ſit, denuo accerſatur. Quamprimum pro ratione virium purgare licet, ſequens pulvis ſumatur, & debitis intervallis aliquoties iteretur; interim a crebro enematum uſu alvus ſoluta reddatur. '℞. Mercurii d. ℈j. reſin. julapæ gr.v. ad 10. caryophyllor. ℈ß. miſce, detur in cochleari panatellæ; aliis 'temporibus diuretica, ac interdum diaphoretica 'ſedulo propinentur. ℞. Tincturæ ſalis tartari, 'millepedum infuſione imprægnatæ q. v. detur ℈j. 'ad ℈ij. bis in die cum liquore appropriato. ℞. Sp. 'ſalis armoniaci q. v. Doſis ℈ß. ad gut. 15. eo'dem modo. ℞. Millepedum præparat. ʒiij. ſa'lis tartari ʒij. nucis moſchat. ʒj. miſce. f. pulvis.

'vis. Doſis ʒß. bis in die, cum liquore appro-
'priato. Vel ℞. Apum ſiccat. & pulv. ʒij. ſem-
'ameos pulv. ʒj. olei juniperi ℈j. terebinth. q. ſ. f.
'maſſa pilul. Doſis ℈j. ad ʒß. bis in die ſuperbi-
'bendo liquorem ſpecificum.

'℞. Folior. cochleariæ utriuſque, naſturtii aq.
'lepidii, perſicariæ, an. M. iij. rad.. Ari, Bryo-
'niæ, iridis Florentinæ an. ℥iiij. corticis mediani
'ſambuci M. ij. cort. Winteranæ ℥ij. cort. externa
'quatuor aurantior. trium limoniorum, baccarum
'juniperi recentium ℥iiij. inciſ. & contuſis affun-
'de vini Rhenani ℔iij. vini e ſucco baccarum
'ſambuci ℔ij. Deſtillentur more vulgari, aqua
'tota confundatur. Doſis ℥iij, ad iiij. bis in die
'poſt doſin alicujus medicamenti ſuperius præſcri-
'pti.

Parentur decocta & cereviſiæ medicatæ, qualia ſupra præſcribuntur, adjectis ingredientibus antihydropicis.

## *De crepitu oſſium.*

Reſtat adhuc ſymptoma, ſcorbuto interdum, licet rarius ſuperveniens, ſc. crepitus oſſium; in cujus rationem ſuperiori pathologia omiſſam, & therapeiam, ex re fore videtur, hic loci inquirere. Novi quoſdam, vix tamen ultra tres aut quatuor, qui ſcorbuto dudum laborantes, noxam ejus non tantum in humoribus, & partibus carneis, ſed in ipſis demum oſſibus luerunt: quoties enim membrum quodvis ullo modo flecterent, oſſium capita, quaſi nuda eſſent, inter ſe attrita, ſtrepitum ingentem edebant; porro cum lecto decumberent, ibidemque e latere in latus ſe devolverent, a vertebrarum colliſione, tanquam a ſceleto aſperius tractato, crepitus ingens, vel ipſos affectus perterefaciens exaudiebatur.

Hujus cauſa conjuncta forſan videatur eſſe, quod molli oſſium interſtitio, ſc. adipe, membranis, & ligamentis valde abſumptis, ipſorum juncturæ, velut lapides molares prorſus inaniti,

propter mutuum attritum, reſonarent: attamen rem ſecus habere conſtat, quia nec ſumme tabidis adeſt oſſium crepitus, neque hoc affectu laborantes ſemper intabeſcunt: quare potius dicendum erit, quod ſymptomatis hujus cauſa immediata ſit oſſium ariditas, ſive medullæ ita propriedictæ, quam intra oſſium cavitates, ac imprimis capita ipſorum, contineri oportuit, defectus; nam ſiquidem oſſa quævis medullam, ſive humorem unctuoſum, aut cavitatibus magnis aut poris & meatibus exiguis ubique excuſis, includunt, hujus uſum ſtatuimus, tum ut oſſa eodem irrigata, minus fragilia evadant, tum inſuper, ut humor iſte, oſſium nodis exudans, articulos quoſvis, velut machinæ commiſſuras pinguedine linitas, lubricet, eorumque adeo motus facilitet; quare oſſium capita, hac medulla deſtituta, crepant non ſecus ac currus rotæ, rarius inunctæ.

Quod ſi de morbi hujus cauſa procotarctica inquiratur, quomobrem ſc. unctuoſum illud articulorum oblinimentum deficit: hoc equidem vel ſanguinis vitio imputandum erit, quaſi hic, alimentum ſulphuris, æque ac ſalis, particeps, oſſibus haud rite ſuppeditat; quod equidem minus veriſimile eſt, quoniam maſſa ſanguinea, etiam in ſcorbuticis particulas utriuſque generis prædicti continet; quin & oſſium crepitu laborantes cutim, & muſculos pinguedine ſatis oblitos oſtendunt; vel ſecundo potius videtur, humorem unctuoſum, quo articuli lubricentur, ipſorum oſſium culpa deſiderari, quia ſcil. horum pori, & meatus a materia quadam extranea forſan limoſa, aut tartarea per ſanguinem advecta, in tantum obſtruuntur, propterea ut balſamum iis deſtinatum non ſatis excipiant, nec pro humectandis ipſorum commiſſuris, exudent; non facile erit (quia res tota in abſtruſo latet) particulares hujus affectus rationes inveſtigare, neque in Aitiologia hac, ultra hujuſmodi conjecturam pergere.

Nec

Nec minus in luto hæremus, cum ad morbi hujus curationem proceditur: nam licet primaria indicatio, ſc. oſſium aut articulorum humectatio ſatis obvia fuerit, quo tamen ritu, & quibus remediis ea perficitur, non ita plane conſtat. Etenim in hoc caſu, novi plurima pharmaciæ genera, & varios adminiſtrationum modos, omnino incaſſum tentatos. Vir quidam ingenioſus ab hoc morbo per multos annos graviſſime laborans, plurium, & quidem celebrium medicorum conſilia expertus eſt; præter uſitata contra ſcorbutum remedia (una cum crebris phlebotomiis & purgationibus, e quibus haud quicquam levaminis recepit) varios inſuper & magnos medicinæ curſus, ſine quovis ſucceſſu tentabat: namque poſt methodum ab uno medico per aliquot menſes fruſtra adhibitam, mox ad alium ſe conferebat, & ita deinceps ad plures: interim a ſingulis, nova ſemper medendi ratio, a prioribus intentata, præſcribitur; fotus, linimenta & frictiones ſingulis artubus quotidie adhibentur Thermis Bathonienſibus aliquandiu utitur; poſtea acidulæ varii generis, modo hæ, modo iſtæ bibuntur. Quibus nihil juvantibus, curſus chalybeatus, alio tempore decoctum lignorum temperatiorum, interdum diæta lactea, porro nullo non tempore, electuaria, aquæ deſtillatæ, apozemata, aliaque remedia ex antiſcorbuticis parata ſumuntur: cumque hoc ritu ſupra tres annos fere conſtanter medice & miſere vixiſſet, circa prædicti affectus therapeiam ne hilum proficitur; interim vero, ille viribus ac ſtomacho mediocriter valuit, uxorem duxit, & quo ad reliqua magis communia ſcorbuti ſymptomata, melius habuit: hinc ut conſtet, quam pertinax morbus, nulliſque fere remediis cedens, oſſium crepitus fuerit, quod etiam aliis eodem affectu laborantibus, atque medici operam prorſus eludentibus comprobatum novi.

CAPUT.

## CAPUT. X.

*De indicatione vitali, qua includuntur medicamenta cardiaca, opiata & diæta, ſive victus ratio in ſcorbuto requiſita.*

HActenus indicationes tum præſervatorias, tum curatorias, quæ ſcorbuti therapeiam ſpectant, fuſe explicavimus; reſtat adhuc dicendum de indicatione vitali, nimirum ut declaretur, qua methodo, & quibus remediis ægrotantium vires, aut nimis ad fatiſcendum aptæ ſuſtineantur, aut labefactatæ, vel proſtratæ reſtaurentur. Propter hos fines cardiaca & opiata, juxta decumbentium exigentias aſſumenda præſcribantur, ac inſuper recta victus ratio, ſi quando opus fuerit, analeptica, & ſemper antiſcorbutica præſcribatur.

Quoad medicamenta cardiaca, quæ ſc: ſanguinem in corde ſtagnantem exagitant, flammam ejus ſemiobrutam reſuſcitant, ſpiritus animales oppreſſos, vel diſtractos libertati ac debitæ irradiationi reſtituunt, obvium eſt, plura remedia, quæ proprie antiſcorbutica dicuntur, has intentiones perficere, cujuſmodi nimirum ſunt, aqua raphani compoſita, limacum & lumbricorum magiſtralis, ſp. C. cervi, fuliginis, pulveres teſtacei, cum multis aliis, quæ non tantum quibuſdam horis, & juxta methodum certo ordine præſtitutam, ſed inſuper pro data occcaſione, quoties ſyncope, aut quævis ſpirituum deliquia contingunt, cum fructu ſumantur.

Attamen præterea, qui cordis paſſionibus, crebræ leipothymiæ, nauſeæ, vomitui, tremori, vertigini, aliiſque horrendis ſymptomatis valde obnoxii reperiuntur, etiam præſto habeant aliuſmodi medicamenta magis proprie cardiaca, quibus omni ſpirituum exolutioni immediate ſuccurratur. In hunc finem egregie convenit, elixir vitæ qu.

majus ; in deſtillatione ejuſdem elixiris, aqua ſecunda, quæ edulcorata ad cochlear. j. exhiberi poteſt, item aqua mirabilis, aqua bezoartica, aqua Gilberti temperata, theriacalis, cinamomi, quibus ſingulis, aut inter ſe compoſitis, adjiciatur confectio alchermes, confectio de hyacintho, pulv. margaritar. aut magiſterium corallii, ſyrupus caryophyllor. vel e coralliis, ecorticibus citri, e cinamomo : ex his, aliiſque hujus farinæ medicamentorum formulæ diverſimodæ præſcribi ſolent. E. G.

'℞. Aq. theriacalis, mirabilis an. ℥iij. me'liſſæ ℥iiij ſyrupi caryophyllor. ℥j. ß. confe'ctionis alchermes ʒj. miſce. Doſis cochlearia iij. 'vel iiij.

'Vel ℞. Aq. mirabilis ℥vj. limacum, jugla̅'dum, an. ℥ij. margarit. pulv. ℈j. confect. de hya'cintho ʒj. ſyrupi caryophyllor. ℥j. miſce.

Cum mulieres ſcorbuticæ, affectibus hyſtericis, ac viri convulſivis, tentari ſolent. ℞. Aq. meliſſæ, 'pulegii an. ℥iij. aq. bryoniæ compoſit. ℥iiij. tin'cturæ caſtorei ℥ß. tincturæ croci ʒj. ſyr. caryophyl'lor. ʒj. ß. caſtorei nodulo ligat. & in vitro ſuſpenſi 'ʒj. Doſis cochlearia iij. vel iiij.

Quibus remedia cardiaca in forma ſolida potius expetuntur, electuaria vel tabulæ præſcribantur.

'℞. Conſervæ flor. tunicæ ℥iij. confectionis al'chermes ℥ß. margaritar. pulv. ʒj. cum ſ. q. ſyru'pi e coralliis. f. electuarium.

'℞. Specier. diamargarit. frigid. diarrhod. ab'batis an. ʒj ß. margaritar. pulv. ʒj. ſacchari 'albiſſimi ſolut. in aq. theriacali, & ad tabulat. 'coct. ℥iiij. olei cinamomi gut. 6. ſ. a. f. tabu'læ.

Quod ſpectat ad opiata & medicamenta anodyna, in quibuſdam ſcorbuticorum affectionibus, mallem quovis præterea medicamentorum genere, quam illorum uſu deſtitui : nec enim ſolummodo contra dolores & vigilias pertinaces, verum in paroxyſmis aſthmaticis, in vomitu, diarrhœa, quin etiam in vertigine & pathematis convulſivis, quoties natura ſupra modum irritata, in-

inordinationes immaniores concipit, nullam præſtantius remedium ſæpius expertus ſum, quam ut narcotico tuto adhibito, ſomnus concilietur: interim maxima opus eſt cautione, ne ſumantur, ſi quando aliquid in ægrotantis conſtitutione, aut in morbi conditione, vel tempore, talis medicamenti exhibitionem prohibeat.

Præter hypnotica in pharmacopoliis uſitata, ſc. laudanum opiatum, nepenthen, philonia, diacodium & ſyrupum papaveris erratici, duæ inſuper opii præparationes mihi innoteſcunt, quas in forma tincturæ, ſive extracti liquidioris a gut. 10. ad 20. cum alio quovis liquore appropriato exhibere ſoleo,

Diæta, ſive victus ratio a ſcorbuticis obſervanda, in methodo therapeutica, haud minimi momenti eſt; qua ſcil neglecta, aut perperam inſtituta, reliqua medicinæ præſcripta parum, aut nihil verſus ſanitatem proficiunt. Regimen diæteticum, cum ad varia extenditur, præcipue circa aerem & habitaculi ſitum, cibum, ac potum, atque corporis motum, vel quietem verſatur,

Quoad prius, cujuſmodi, reſpectu cæli ac ſoli, manſiones & commorandi loca, ſcorbutum pariunt, ac proinde vitari debent, e ſupradictis abunde conſtat: qui hunc morbum aut cavere, aut curare ſtudent, aerem moderate calidum & ſiccum, qui etiam tenuis & purus, & ſatis eventilatus fuerit, eligere ſatagant.

Cibi tantum εὔχυμοι & εὔπεπτοι conveniunt; craſſi, viſcidi, ac fumo indurati, mucidi, ac rancidi, porro alimenta infermentata, aut valde compoſita, legumina, lacticinia, fructus immaturi evitentur. Saccharo condita, aut plurimum imbuta, in tantum vitupero, ut illius inventionem, ac uſum immodicum, ſcorbuti in nupero hoc ſeculo immani augmento, plurimum contribuiſſe exiſtimem: Enimvero concretum iſtud, ſale ſatis acri & corroſivo, cum ſulphure tamen delinito conſtat, prout ex analyſi ejus ſpagyrice facta liquido patet. Quippe ſaccharum

charum (prout ſupra innuimus) per ſe deſtillatum, exhibet liquorem aqua ſtygia vix inferiorem: quod ſi ipſum, in veſica plurima aqua fontana perfuſum, deſtillaveris; quamvis ſal fixus non adeo aſcendit, prodibit tamen liquor, inſtar aquæ vitæ acerrimæ, urens, ac ſumme pungitivus: cum itaque ſaccharum quibuſvis fere alimentis commixtum, ita copioſe a nobis aſſumitur, quam veriſimile eſt, ab ejus uſu quotidiano, ſanguinem & humores ſalſos, & acres, proindeque ſcorbuticos reddi? Author quidam inſignis, tabis Anglicæ cauſam, in immoderatum ſacchari apud noſtrates uſum, retulit; neſcio an non potius etiam hinc ſcorbuti increbreſcentis fomes derivetur.

Potus ſit cereviſia mediocris, mitis, ac bene defæcata, quin & ingredientibus antiſcorbuticis, citra ingratum ſaporem alterata; non ſit craſſa & dulcis, nec etiam vetuſta nimis & aceſcens: hæc in modica quantitate, ac fere tantum ſtatis prandii ac cœnæ temporibus, ſumatur: Quæ apud multos invaluit conſuetudo, nempe ut quamprimum lecto excitantur, ſtatim hauſtui matutino (uti vulgo dicitur) largiori indulgeant, perniciosa admodum videtur. Etenim hac ratione, ſiquidem vaſa ſanguifera, chyli recentis penu, fere perpetim ſuffuſo, nimis replentur, & cruditates & fæculentiæ morbificæ in ſanguine gignuntur, & hæmatoſeos munus valde debilitatur, præſtat ſane pleroſque homines (niſi quibus ventriculus, quam diu ſit vacuus, moleſte contrahi & corrugari ſolet) uſque ad prandium jejunos manere. Nec minus ſanitati adverſatur mos iſte vulgaris, ſtatim a victu poculis plenioribus ſeſe ingurgitare. Vina ac pomacea, modo ſint mollia, ſincera ac minime adulterata, modice ſumpta non nocent; iiſdem vero fucatis, rancidis, auſteris, aut aceſcentibus, nihil magis noxium, ac ſanitati noſtræ injurium.

Exercitia, ac labores pro ſcorbuto tum ſanando, tum præcavendo, ſunt commodi adeo in-

ſignis, ut multi hoc ſolo remedio integram valetudinem, aut tuentur aut recuperant: etenim otioſis, & vitam ſedentariam agentibus ſanguis & liquor nervoſus, tanquam aquæ ſtagnantes, quaſi lentorem & ſitum contrahunt: a motu vero corporis aſſiduo & multo, humores & ſpiritus inclareſcunt & vigorantur, particulæ excrementitiæ, & heterogeneæ evaporant, viſcerum infarctiones expediuntur, eorumque tonus corroboratur.

# CAPUT XI.

## *Scorbuticorum hiſtoriæ quædam & caſus rariores.*

1. *Obſervatio.* QUæ circa ſcorbuti & theoriam, & therapeiam hactenus protulimus, ægrotantium exemplis, ſive hiſtoriis in medium productis, & juxta hypotheſin prædictam explicatis, adhuc clarius eluceſcent. Cum vero ab hoc morbo laborantium, caſus multiplices, ac diverſimodi exiſtant, libet hic quoſdam rariores, propter labem cerebro ac nervoſo generi, non minus quam ſanguini affixam, excitatos proponere.

Fœmina illuſtris, procera & venuſta, in ætate 25. circiter annorum, propter varios errores in victu labem ſcorbuticam contraxerat: Cujus indicia fuerunt laſſitudo ſpontanea, reſpiratio difficilis, tibiarum dolores & maculæ, atque gingivæ inſuper tumidæ & ſanguinolentæ, verno tempore, poſt abortum. in febrem tertianam incidens, cito languida, & imbecillis evaſit, a quo tamen morbo primum methodice curata, brevi convaluerat, niſi quod carnium, aliorumque incongruorum appetens, cito recidivam pateretur. Tunc autem, medicinæ pertæſa, remedia tantum empirica cepit, quibus interdum paroxyſmi febriles abigebantur, mox ſubinde redituri, interim ægrotans pallida ad motum impotens, & anhela, juxta ventriculum, & hy-

pochon-

pochondria tumida, & inflata manebat. Circa tertium ægrotationis menſem, in ventre tormina, & cruciatus acerrimos pati cœpit; quibus modo ad dorſum, modo ad ventriculum excurrentibus, dies & noctes fere continuo affligebatur. Inſuper crebra vertigine, ac interdum paroxyſmis quaſi hyſtericis afficiebatur, item vomitu frequenti moleſtata, pituitam viſcidam & ſpumeam quotidie rejiciebat: Intra menſis ſpatium morbus hic fines ſuos explicans, dolores in dorſo, ac lumbis, dein poſtea in ſingulis corporis partibus excitabat. Cæterum hoc tempore, de ſumma pectoris anguſtia, & magna viſcerum contractione conqueſta erat. Interim habitus corporis plurimum emaciabatur, ut oſſa carne deſtituta, vix cuti cohærerent. Urina fuit pauca & rubicunda, in cujus ſuperficie, pellicula, inſtar caudæ pavonis variegata, accreſcebat. Brevi poſthæc, ſtupor & formicationis ſenſus, modo in ventre, modo in artubus ſentiebantur, & deinceps tormina & dolores remitti cœperunt; attamen illorum vice, paralyſis ſucceſſit, quæ intra hebdomadæ ſpatium, ſingula totius corporis membra ita pervadebat, vt nec manum, aut pedem, aut etiam quamvis partem flectere, aut latum unguem loco movere potuerit.

Quoad prædicti caſus Ætiologiam, hic obvium eſt, ſymptomata iſtæc graviora, omnino a radice ſcorbutica pullulaſſe; namque ob labem ſanguini imprimis affixam, laſſitudo ſpontanea, reſpiratio difficilis, quin & febris intermittens, vaga & ſæpius recurrens, aliorumque ſymptomatum velitationes, quaſi præviæ, ac leviores inducebantur: porro urina lixivialis, & coloris variegati, ſanguinem dyſcraſia ſulphureo-ſalina correptum plane indicabat: cujuſmodi lotium, eo ritu inſignitum, in pluribus aliis, ſimili morbo affectis, annotavi. Cæterum in hac domina ægrotante, quando ſeminium morbidum, copia adauctum, & in maſſam ſanguineam exundans, in cerebri & nervoſi generis confinia explicare- *Ætiologia.*

 tur,

tur, affectus adhuc graviores ſubnaſcebantur; nempe materies ἰοσερὴ particulis heterogeneis & irritativis conſtans, intra cerebrum depoſita, vertiginem & ſcotomiam, cum diatheſi ſpaſmodica intulit; dein portio ejus in nervos paris vagi, & intercoſtalis illapſa, eorumque ductu ad plexus meſentericos detruſa, colicam ſcorbuticam excitavit; cumque eadem materies, in immenſum aucta, pleroſque alios nervos ſubiret, affectus dolorifici fere in ſingulas corporis partes propagabantur; in quantum ſcilicet recrementa acida, ſtagmatis vitriolici æmula, paſſim e ſucco nervoſo depoſita, cum ſalſamentis lixivialibus, ubique etiam a ſanguine ſuffuſis, congrederentur; ultimo dein cum nervi omnes, a materia morbifica ſenſim oppleti & infarcti, in tantum obſtruerentur, ut ſpirituum irradiatio, & commercia inhiberentur, paralyſis in toto corpore ſucceſſit.

*Curatio.* Hæc domina procul hinc degens, ex Medici vicini conſilio, cepit medicamenta, contra affectionem colicam uſitata; quibus non obſtantibus cum morbus ingraveſceret, patiens Oxonium adducta, remedia quam plurima tum antiſcorbutica, tum antiparalytica, cujuſque fere generis ac formæ, ſine quovis tamen fructu, tentavit. Poſtquam igitur ordinaria quæpiam medendi methodus huic morbo impar videretur, ad remedia magna, & quidem periculo haud prorſus libera, pervenire viſum erat. Quare huic ægrotanti, utut debili & emarcidæ, pharmacum mercuriale, ſalivationis excitandi gratia, exhibebamus. Cujuſmodi effectus ex voto ſucceſſit: namque fluor oris intra biduum exortus, & ſine malo quovis ſymptomate per plures dies blande perſiſtens, illuſtriſſimæ Dominæ plurimum levaminis conferebat. Doloribus enim mitigatis, membra aliquatenus movere, alimenta melius appetere & concoquere, quin & ſomno quieto frui cœpit: ſalivatione finita, cepit decoctum e ſarſa & China, cum ingredientibus antiparalyticis, perpaucos dies; dein Bathoniam adducta, ibidemque

thermis

thermis temperatis aliquamdiu uſa, mediocrem valetudinis ſtatum recuperabat. Tota hyeme medicamenta contra ſcorbutum, & paralyſin conſtanter ſumebat; cumque anno ſequenti thermarum uſum repeteret, perfecte convaluit; & poſtea plurium liberorum læta mater evaſit.

*Obſervatio.* Vir quadragenarius, temperamenti melancholici, a multis annis ſcorbuto laborans, multiplicia & diverſimoda ejus ſymptomata, variis anni temporibus experiri ſolet. Circa crura maculæ, & ſtigmata nigra latiora, tanquam vibices apparent, ventris dolores, cum alvo ſoluta, crebro infeſtant, urina ut plurimum lixivialis apparet, laſſitudo ſpontanea, languor virium, inappetentia fere conſtanter adſunt: Præter hæc mala ordinaria. & velut aſſueta, inſuper ægrotationis paroxyſmis atrocioribus, iiſque varii generis, obnoxius degit. Ante biennium, quando hunc primo inviſebam, de reſpiratione difficili, tanquam ſuffocari periclitaretur, cum tremore cordis, ſpirituum deliquiis, & crebro leipothymias metu, graviſſime conqueſtus erat: inſuper ſiquid horum in præcordiis pathematum paulo remitteret, ut plurimum ſcotomia gravis, & vertigo eum inceſſebant. Ab his affectibus, poſtquam remedia antiſpaſmodica, cum antiſcorbuticis complicata aliquandiu ceperat, perfecte convaluiſſe viſus erat: deinceps vero intra paucas ſeptimanas nauſea & cardialgia, cum hypochondriorum inflatione afficiebatur; urina erat pauca, & valde lixivialis; brevi abdomen intumeſcebat, dein pedes, & crura ſumme œdematoſa hydropis ingruentis indicium præbuere: poſtea femora, nec non dorſi, & brachiorum carnes ejuſmodi tumor inceſſit; qui tamen affectus, licet deploratus videretur, remediis antiſcorbuticis cum catharticis & diureticis adjectis, facile curabatur. Attamen vir egregius, licet valetudini reſtitutus, non ita diu perſtitit: etenim binis anni quadris vix elapſis, de cephalalgia gravi, cum vertigi-

ne, & vigilia pertinaci queri cœpit; deinde, ſine cauſa evidenti, vomitu horrendo corripiebatur: brevi poſtea paroxyſmi aſthmatici, cum tremore cordis & ſpirituum deliquiis, redibant. Hoc etiam tempore, cum pene deploratus videretur, rurſus medicamentorum antiſcorbuticorum uſu brevi convaluit. Ex hoc caſu liquido conſtat, quantum malorum miaſma ſcorbuticum, fermenti inſtar, tum in ſanguine, tum in ſucco nervoſo latitans, & pro data occaſione virus ſuum explicans, inferre poteſt. Cujuſmodi tamen affectus, utut horrendi ac terribiles videntur, dummodo ab humoribus tantum in craſi vitiatis, ac minime a viſceribus in tono, aut conformatione læſis dependent, plerumque facili negotio, ſc. methodo antiſcorbutica, juxta patientis, æque ac morbi conditionem apte deſignata curari ſolent.

*Obſervatio.* Clariſſima Domina 25. circiter annos nata, temperamenti ſanguinei, gracilis corporis habitus, εὔχροος & venuſta, affectione ſcorbutica dudum laborarat: nam præter maculas latas, & eryſipelata in diverſis corporis partibus erumpentia, dolores & cruciatus acerrimos noctu potiſſimum ingraveſcentes, modo in tibiis, modo in brachiis, a longo tempore pati ſolebat; medicinam, curationis gratia ſæpius inceptam, quia prægnans fuerat, ſtatim omittere cogebatur. Poſt noviſſimum puerperium, ſiquidem lochia copioſius effluxerant, per plures dies languida, & imbecillis, cum reſpiratione difficili, & ad motum quemvis anhela permanſit: Poſt exactum a puerperio menſem lecto excitata, & ambulare aggreſſa, in dyſpnœam graviſſimam, cum tremore cordis, & crebro ſpirituum deliquio, incidit: e veſtigio lecto commiſſa adhuc tremens, & creberrime palpitans, per integrum fere diem perſtitit: porro membra inferiora, tanquam inſtante letho, prorſus algida, nullis frictionum, aut pannorum excalefactorum applicationibus intepeſcebant: tandem nycthemero pene elapſo, a

cardiacis

cardiacis fortioribus frequenter exhibitis, circa præcordia melius habuit; ſuccedebat tamen juxta inguen ſiniſtrum in ſummitate femoris dolor valde acutus, uſque in ſuram protenſus, atque intra paucas horas tumor ſubdurus tactui reſiſtens totum illud ſpatium occupabat. Hoc tempore accerſitus, cum ægrotans adhuc δύσπνοος & anhela fuerit, ſtatim enemate mox injiciendo præſcripto, exhibui ſp. C. cervi gut. 12. in cochleari julapii ſequentis, ejuſdem ℥ij. poſtea ebibitis. '℞. Aq. limacum ℥vj. hyſtericæ ℥iiij. 'jugland. ſimp. pulegii an. ℥iij. ſacchari ℥j. ca'ſtorei petia ligat. & in vitro ſuſpenſ. ʒj. Hæc medicamenta ſexta qualibet hora iterabantur. Veſicatorium amplum internæ parti femoris applicandum curavi: dein veſperi, ſiquidem toto hoc paroxyſmo adhuc inſomnis perſtiterat, exhibui laudani gr. j, margarit. pulv. g. vj. confect. alchermes ſine moſcho ʒß. Placide dormivit, & mane ſequenti plurimum alleviebatur: dolor, & tumor femoris aliquantulum remiſerunt; etiam dummodo in lecto quieta jacuit circa præcordia recte habuit, verum erecta, aut in latus converſa, illico præ dyſpnœa fere expirare viſa erat: Uſum ſp. C. cervi & julapii ſexta qualibet hora iterandum per plures dies continuavit. Cæterum quoniam ſiti moleſta premebatur, atque urinam uſque parcam, rubicundam & contentis ſaturatam reddebat, apozematis ſequentis doſin ad ʒ vj. bis in die capiebat. '℞. Rad. graminis, cherefo'lii eryngii condit. an. ʒvj. raſur. eboris. C. cer'vi an. ʒij. C. cervi uſti ʒj. ß. paſſular. ℥ij. 'pomum j. inciſum, liquiritiæ ʒij. ß. Inciſ. & 'contuſ. coquantur in aq. fontan. ℔iij. ad tertiæ 'partis conſumptionem; dein additis vini albi '℥iiij. coletur in lagenam, cui imponantur foliorum 'cochleariæ, beccabungæ an. M. j. ſalis abſynthii 'ʒij. f. infuſio clauſa, & calida per horas tres: 'Colatura ſervetur in vaſis occluſis. Diebus modo ſingulis, modo alternis enema injiciebatur. Horum uſu indies melius habere videbatur, ut

intra hebdomadæ ſpatium lecto excitata per duas aut tres horas juxta focum in cathedra ſedere potuerit: Si tamen paulo magis, quam par erat, aut lecto abſtineret aut movendi niſum exereret, illico in dyſpnœam, ſive paroxyſmum aſthmaticum incidere ſolebat: ita ut quodam die extra lectum diutius morata, morbi inſultum graviorem perpeſſa, reſpiratione difficili, totius corporis tremore, ac crebris ſpirituum deliquiis afficeretur: Propter hanc dominæ ægrotantis recidivam, denuo accerſitus, ſp. C. cervi ad gut. 20. cum julapio ſupra præſcripto, atque veſperi laudani noſtri doſin exhibui; cum exinde circa præcordia melius haberet, dolores & tumores in femore, & tibia dextra, quales antea in ſiniſtra evenerant, ſuccedebant: Veſicatoria etiam iſti femori applicanda præcepi, atque præter remedia hactenus citata, cepit bis in die vini noſtri e ſucco cochleariæ ℥iiij. cum aq. magiſtralis antiſcorbutici ℥ij. Inſuper purgationem ex ſyrupo noſtro ſolutivo ſuperius præſcripto inſtitui; quæ cum bene ſucceſſit, intra tres, aut quatuor dies iterandam præcepi. His remediis intra menſem convaluit.

*Ætiologia,* Quod ſpectat ad ſymptomatum rationes in prædicto caſu obſervandas, imprimis obvium eſt, a maculis, & artuum doloribus, & ſanguinem & ſuccum nervoſum labe ſcorbutica dudum fuiſſe tactos; quæ tamen intra prædictos humores, quouſque ſpiritu vitali ac animali pollebant, velut ſubjugata, abſque malo inſigni latebat: poſt ingentem vero hæmorrhagiam, cum ſanguis & liquor nervoſus in craſi fatiſcerent, morbidi ſeminii particulæ, inſtar fermenti commotæ affectus terribiles excitabant: dyſpnæa graviſſima propter duplicem cauſam ſive gemini mali concurſum exoriri videbatur; nempe & quia ſanguis depauperatus in corde ſtagnaret, & quia nervi quidam pneumonici materia ſcorbutica obſeſſi circa reſpirationis munus inhiberentur: Hinc etenim neceſſe erat, pulmones,

pulmones, ut ſanguinem e corde haurirent, citiſſime moveri, atque reſpirationis actus a nervis impeditis, debiliores, proindeque crebriores & valde laborioſos fieri. Urgente dyſpnœas paroxyſmo, cum ſanguis circa præcordia plurimum exaggeraretur, partes extremæ (ubi tum pene defecerat) propter ejus abſentiam algebant, poſtea cum pulmonum ſpaſmi remitterent, atque ſanguis materia morbifica, quam ibidem reſorbuerat, valde imbutus, a ſtagnatione ſua ſolutus, circulationi redderetur, iſte in femora, ſcil. modo dextrum, modo ſiniſtrum prius deſertum, impetuoſe irruens, proindeque canales ſuos exundans, una cum ſeroſa colluvie extravaſatus, tumorem ſubitum, cum phlogoſi inducebat. Attamen propter hanc materiæ morbificæ in partes ignobiliores metaſtaſin ſemel iterumque factam, morbus licet valde periculoſus videretur, remediis humorum dyſcraſias alterantibus, atque mineræ morbificæ reliquias blande auferentibus, facile cedebat.

Vir nobilis in ætate 33. circiter annor. temperamenti, uti videtur, ſanguinei, procerus & gracilis, ingenii maxime acuti, animique ſagacis, etſi a longo tempore ſtudiis immodicis ac intempeſtivis, una cum inordinata victus ratione, ſe plurimum exercuerat, uſque tamen vegetus ac vigore plenus, mente ſana in corpore ſano frui videbatur; paulo ante biennium, cum per noctem integram inter convivas tripudiando ſe valde delaſſaſſet, mane lecto frigido intra cameram nimis humidam commiſſus, & ſomno aliquanto potitus, ægrotare cœpit. Experrectus enim in maximas circa præcordia perturbationes, cum graviſſimis ſpirituum deliquiis, quaſi jam jam fuiſſet moribundus, incidit. Poſt vini hauſtum, & remedia quædam cardiaca aſſumpta, paulo melius habuit, ſubinde tamen recidivam paſſus, ut toto iſto die, tum ipſe, tum amici ejus, aut ſyncopen lethalem, aut appoplexiam imminentem *Obſervatio.*

vererentur.

vererentur. Cæterum poſtquam hic morbi inſultus præterierat, uſque tamen cordis paſſionibus quotidie obnoxius degebat, & propter graviorem quemvis in victu errorem, rurſus paroxyſmo immaniori affligi ſolebat. Non obſtante remediorum uſu, morbus ingraveſcens intra paucos menſes non tantum præcordia infeſtabat, verum in toto corporis habitu modo frigoris, modo caloris ſuffuſiones, porro in artubus aut ſtupor, aut formicationis ſenſus, aut leviores ſpaſmi, ac ſubitæ contracturæ excitabantur. Nuper autem, præter ſymptomata hactenus citata, quæ etiamnum Dominum Illuſtriſſimum valde moleſtant, inſuper crebra vertigine, & ſpirituum cerebri anterioris incolarum diſtractionibus & deliquiis, gravi modo afficitur, in tantum ut ſtudiis & negotiis (quibus ſemper addictus fuit) politicis, immo & ſeveriori quavis mentis intentione abſtinere cogatur: ſecus namque tum in capite, tum in nervoſo genere ejuſmodi perturbationes perſentit, ut vel morbi attoniti inſultum, vel affectiones ſpaſmodicas horrendas pertimeſcat: Urgente hujuſce ægritudinis paroxyſmo majori, plerumque etiam ventriculus perturbatur: Cæterum a vomitu aut ſponte naturæ, aut medicamenti emetici ope ſuſcitato, ſæpius levamen percepit. Hinc nonnulli morbi cauſam omnino circa ſtomachum aut hypochondria ſubſiſtere arbitrati ſunt: Attamen huic medicamina cathartica, emetica, digeſtiva, cephalica, antiſcorbutica, chalybeata, aliaque cujuſque fere generis, a Medicis celeberrimis, quinetian ab empiricis & agyrtis, per biennium præſcripta pro morbi curatione minus profuerunt. Nuper acidulas aſtropenſes expertus, ab earum uſu, ſiquidem deterius habuit, ſtatim deſiſtens, jam proxime conſulitur ut aquas ſulphureas apud Knaresborough in agro Eboracenſi potaret: quo tamen ſucceſſu dum hæc ſcriberem mihi nondum conſtitit.

*Ætiologia.* Hic caſus, quia propter variorum ſymptomatum

natum ſyndromen, ad nullum præterea peculiare morbi genus ſpectat, non immerrito ad ſcorbutum refertur. Enimvero ſuſpicari licet, ægrotationis iſtius procatarxin jamdudum in vitioſa ſanguinis dyſcraſia poſitam fuiſſe, nempe quod liquor ejus a dulci, balſamico & ſpirituoſo, in acrem, ſive ſulphureoſalinum, propter elementa iſthæc ſupra modum evecta, degeneraſſet: quod equidem accidiſſe videtur, partim ob errata in victu; quippe vir inſigniſſimus poſt negotia, & ſtudia ſeveriora ad μεσονύκτιον ſæpe protracta, tunc temporis cœnare, & ſtatim lecto commiſſus obdormire ſolebat: Porro hic morbus partim oriebatur, a lienis, aliorumque forſan viſcerum, fermenta morbida ſanguini ſuppeditantium, diatheſi valetudinaria: nec enim prorſus ſine ratione fuiſſe cenſemus quod lien accuſaretur.

Sanguis dyſcraſia prædicta laborans, proindeque recrementa heterogenea congerens, a cauſa evidenti adjutus, eadem capiti facile ſuffundit: quare cum cerebrum propter ſtudia immodica & intempeſtiva nonnihil debilitatum injuriis minus reſiſtere valeret; cumque propter occaſionem ſuperius citatam, maſſa ſanguinea in majorem ebullitionem evecta, totius corporis poris mox conſtrictis, ſatis eventilari nequiret, ejus magna in caput ſuffuſio primam ægrotationem manifeſtam inferebat: nempe a cruore circa capitis regionem nimis aggeſto imprimis faciei intumeſcentia, & phlogoſis evenerunt: porro ab eodem, tunc temporis τοῦ ἐγκεφάλου confinia impetuoſius irruente, ac ibidem ſtagnante, particulæ heterogeneæ, partim narcoticæ, partim exploſivæ, in nervorum origines decumbebant: quibus ita materia incongrua obſeſſis, perturbationes iſtæ circa præcordia excitatæ (propter rationes in pathologia ſpaſmodica oſtenſas) ſucceſſerunt. Porro in quantum eadem materies verſus occiput delata, nervos a ſpiniali medulla oriundos ſubiens, totos

eorum

eorum ductus, ac proceſſus extremos pervaderet, in toto corpore ſtupor, formicatio, atque ſpaſmi leviores ciebantur. Porro quia nervi eorumque propagines vaſa ſanguifera circum ambientes,ſpaſmis affecti,varie contrahebantur, ob ſanguinem quaſi frænis & ſtimulis modo coercitum, modo exagitatum, ſubitæ iſtæ frigoris & caloris diffuſiones in toto corpore exoriebantur.

Circa morbi initia, quia materies νοσερὴ e maſſa ſanguinea ſuggeſta, aut in cerebelli regionem primo irrumpens, aut intra cerebrum licet admiſſa, illinc denuo ſtatim amandata, circa nervorum origines potiſſimum defigeretur; idcirco ſine vertigine, aut ſcotomia præviis, aut principibus animæ potentiis inſigniter læſis, præcipua labes in appendice nervoſa, atque circa exteriores ejuſdem proceſſus apparebat: poſtea vero ob ſanguinis dyſcraſiam indies auctam, atque τοῦ ἐγκεφάλου conſtitutionem magis labefactam, particulæ heterogeneæ etiam cerebrum anterius, ſive regale animæ palatium, perrumpentes, ſpiritibus ibidem incolis, & deliquia & diſtractiones intulere. Adeo morbus hic, poſt radices alicubi intra ἐγκέφαλον ſemel actas, non obſtante remediorum uſu, fines ſuos quotidie explicabat, ut cum primo tantum origines nervoſæ paris vagi, ac intercoſtalis afficerentur, deinde mox horum, aliorumque totius corporis nervorum proceſſus, & ductus interiores, materies morbifica ſubiret: quibus oppletis, demum, illa e ſanguine adhuc impuro in cerebrum ipſum ſuggeſta, nobiliora ejus clauſtra occupabat: Cujuſmodi affectionum cephalicarum ſimiles progreſſus in multis aliis obſervavi; ita ut plane conſtet ſymptomata iſtæc, tali ſerie excitata, ob cauſas prædictas, ac minime propter vapores, a viſceribus elevari ſuppoſitos, oriri.

Quod autem paroxyſmo urgente, ſæpenumero ventriculus perturbatur, item quod a vomitione levamen ſubito conferri ſolet, non difficile erit,

ſalva

ſalva hac hypotheſi, rationes oſtendere. Quoad prius, nihil magis obvium eſt, quam ventriculum ſubverti, atque nauſeam aut vomitum ſuccedere, propter moleſtiam circa nervorum origines inflictam, prout in ſuperioribus fuſe oſtendimus; dein plures ſunt rationes, ob quas vomitio juvamen præſtet: Primo namque, ſiquidem nervi paris vagi, & intercoſtalis hoc modo plurimum ſuccutiuntur (uti partium nervoſarum mos eſt) ἀταξίας ſuas, a cauſa interna excitatas, ſtatim remittunt, ſc. membrum pruriens, aut dolens, ſi fricatur aut ſcalpitur, a moleſtia liberatur. Cæterum prædicti nervi, inter vomendum valde ſucculſi, & contracti, materiam morbificam, in principiis eorum, aut extremitatibus infixam, facile excutiunt; quibus accedit, quod ſæpe materies acida, vel acris aut alio modo infeſta, intra primas vias aggeſta, ibidemque aut ſanguinem fermento noxio inficiens, aut corpora nervoſa in ſpaſmos irritans, per vomitum educitur, proindeque morbi fons, aut irritamentum evocatur.

Quoad methodum therapeuticam, in hoc caſu, aliiſque ſimilibus uſurpandam, duæ ſunt intentiones, quibus præcipue inſiſtendum erit: ſc. primo ſanguinis maſſam depurare, ejuſque fermenta noxia a ventriculo, liene, aliiſque forſan viſceribus ſuggeſtam, ſubducere oporret. Secundo cerebrum & nervoſum genus, ne particulas extraneas admittant, corroborari: quin & ſuccus nervoſus iſtarum partium irriguus, a recta craſi in acetoſam, aliaſque morbidam degenerans, reſtitui & rectificari debet. Prior harum catharticis, emeticis, phlebotomia, ac imprimis medicamentis ſpecificis, cruoris labem ſcorbuticam corrigentibus, aut penitus auferentibus perficitur: Quoad autem acidulæ ferratæ ſive vitriolicæ, celeberrimum ſanguinis καθάρσιον, huic Domino obfuerunt potius quam opem præſtiterunt, in cauſa eſſe videtur, tum quod cerebrum, propter affectiones cephalicas imbecillius factum, aquæ colluviem ſanguini immiſſam ægre excludit; quin ab ea conſi-

nia

nia ſua impetuoſius adpellente, inundari periclitatur; tum inſuper quia cum liquor nervoſus a craſi ſua degener, in acetoſam vergit, ab acidularum ſale fluido magis perverti ſolet. Quare paſſim obſervamus, in rheumatiſmo & arthritide, ab ejuſmodi aquarum potu diatheſin morbidam augeri. Secunda intentio per remedia cephalica, ac imprimis ſale volatili prædita, cujuſmodi ſunt ſp. & ſal ſanguinis, fuliginis, C. cervi, radicis & ſem. pæoniæ, folia viſci qu. &c. quibus antiſcorbutica commiſcentur, optime inſtituitur.

---

FINIS.

# ELENCHUS RERUM
# IN TRACTATU
## DE
# MORBIS CONVULSIVIS.

CAPUT I. De ſpaſmis ſive motibus convulſivis in genere. Pag. 1

*Quo ritu motus regularis peragitur.* 1
*Ejus duplex principium.* ibid.
*Duplex item ſubjectum.* ibid.
*Muſculi motus a ſpirituum exploſione dependet.* 3
*Spaſmi non fiunt ab inanitione aut repletione.* 6
*Horum duæ ſpecies propter duplicem cauſam, ſc. irritationem, & copulam exploſivam præternaturalem.* 7
*Copula exploſiva ſpaſmodicæ a cerebro cum ſucco nervoſo ut plurimum deſcendit.* 10
*Aliquando a nervorum extremitatibus ſuſcipitur.* ib.
*Particulæ ſpaſmodica intra cerebrum admittuntur tum ſanguinis, tum cerebri vitio.* 11
*Intra caput admiſſæ, quos affectus producunt.* 13
*In nervoſum genus delapſæ, quæ ſymptomata inferunt.* 14
*In pueris in nervos proximos ad oris ac faciei partes ſæpius incurrunt, ſecus ac in adultis* ibid.
*Motus convulſivi in ſpirituum exploſione conſiſtunt.* 15
*Spiritus exploſiones ineunt ob plenitudinem, aut irritationem.* ibid.

*Convulſiones*

*Convulſiones ſunt vel periodicæ, vel continuæ.* 16
*Earum cauſæ evidentes.* ibid.
*Inſultus ſpaſmodici a mera irritatione producti, variis in locis, variiſque ex rebus contingunt.* 18
*Illos inferunt venena, qualitatum tangibilium exceſſus, varia ſanguinis & ſucci nervoſi recrementa, humores præternaturales, lumbrici, calculi.* ibid.
*Loca affecta ſunt vel ſyſtematis nervoſi principia, vel extremitates, vel medii nervorum proceſſus, ac præcipue eorum plexus.* 19, 20
*Spaſmorum differentiæ recenſentur.* 20
*Reſpectu ſc. originis, materia morbifica vel in nervorum principia, vel in eorum extremitates irrepente.* ibid.
*Reſpectu cauſarum, quod a cauſa evidenti ſolitaria, aut procatarctica dependent.* 21
*Quoad extenſionem, quod univerſales ſint, aut particulares.* ibid.
*Univerſales vel primarii, vel ſecundarii.* ibid.
*Secundum inſultus durationem, in quantum continui, aut intermittentes ſint.* 22

## CAP. II. De Epilepſia. 23

*Epilepſiæ deſcriptio, ejuſque phænomena recenſius.* 24, 25
*Morbi ſubjectum ſive ſedes inquiritur.* 26
*Hoc neque meningas, nec cerebri meditullium eſſe.* 27
*Sed ſpiritus animales intra cerebri meditullium conſitos.* 28
*Paroxyſmus epilepticus a ſpirituum animalium cerebri incolarum ſubita exploſione concitatur.* ibid.

*Cauſa*

*Cauſa morbi conjuncta,non aqua in cerebri ventriculis congeſta, non humor viſcidus.* 29
*Sed copula heterogenea ſpiritibus affixa.* ibid.

CAP. III. Epilepſiæ differentiæ & ſymptomatum quorundam rationes explicantur; nec non ejus methodus therapeutica adumbratur. 31

*Epilepſiæ differentiæ a ſubjecto,ſc.cerebro,quod vel primario & idiopathetice, vel ſecundario & per conſenſum afficitur.* ibid.
*Illius,quæ per conſenſum excitari dicitur,ratio.* ibid.
*Spiritus cerebri incolæ ad exploſionem irritati epilepticos inſultus inducunt.* 32
*Præliminaria ſymptomata extra cerebrum obſervata,cauſæ evidentis,vel ſigni rationem habent.* 32,33
*Morbi commitialis propter varias circumſtantias differentiæ.* 33
*Cur epileptici cum impetu proſternuntur.* ibid
*Unde ſpuma ex ore effluit.* 34
*Quare pectora contundunt.* ibid.
*Morbi prognoſis.* 35
*Difficillimæ curationis exiſtit,tum quia cerebrum inficitur,tum quia ſingulis paroxyſmis plurimum debilitatur:* 35
*Nonnunquam ſponte ſua,interdum remediorum ope ſanatur.* ibid.
*Circa pubertatem morbus aliquando ſolvitur,in quantum eo tempore duplex alteratio corpori contingit.* ibid.
*Non raro in mortem terminatur , vel in alium morbum commutatur.* 36
*Epilepſiæ Therapeuſis.* 37

*Indi-*

*Indicationes ſunt vel curatoriæ, vel prophylacticæ.* 37,38
*Specificorum virtus explicatur.* 39
*Hiſtoria aliquot epilepſia affectorum.* 40,41,42
*Methodus therapeutica in morbo commitiali obſervanda.* 43 ad 48

CAP. IV. De cæteris convulſionum ſpeciebus, ac imprimis de motibus convulſivis puerorum. 49

*Multiplices ſpaſmorum ideæ.* ibid.
*Infantes circa duo potiſſimum tempora convulſionibus præcipue obnoxii, ſc. intra primum a partu menſem, & circa dentium eruptiones.* ibid.
*Propter duplicem item cauſam, tum quia cerebrum obtinent debilius, tum ob mala ab utero contracta.* 50
*Cauſæ evidentes in puerulis motus convulſivos inducentes.* 51,52
*Quo ritu inſultus epileptici in illis præcurrentur.* 53
*Quamobrem febris & convulſiones dentitioni ſuperveniunt.* 54
*Atrocitatis doloris dentium ratio.* ibid.
*Infantum a ſpaſmis præſervatio,* 56
*Methodus medendi nutricibus adhibenda* 57
*Puerorum convulſionibus laborantium curatio* 58,59
*Quomodo tractandi, qui propter dentitionem dolorificam in ſpaſmos incidunt.* 57
*Eorum, qui ob alias cauſas convulſivi evadunt, medicatio.* ibid.
*Propter lumbricos aut acres humores.* 60

CAP. V. De morbis convulſivis adultiorum, propter originem nervoſam præcipue affectam, oriundis. 61

*Spaſmorum adultioribus accidentium tres ſpecies, ſecundum multiplicem cauſæ morbificæ ſedem in, quantum hæc vel nervorum principia aut extremitates, vel medios proceſſus occupat.* ibid.
*Convulſiones a nervorum origine affecta oriundæ explicantur & diſtinguntur, tum juxta varios nervos affectos, tum juxta eorundem nervorum varia loca affecta.* 61,62
*Quo ritu materies ſpaſmodica in nervos defertur.* 63,64
*Hiſtoriæ quædam rariores hujuſmodi convulſionibus affectorum.* 65 ad 77
*Affectio hyſtericæ æmula in viro.* 73
*Sanguis emiſſus ſtatim congelans.* 74
*Paroxyſmus inchoatus a molis cujuſdam ab imo ventre aſcenſu.* ib.
*Aſcenſus hic molis, a ſpiritibus intra plexus meſentericos in exploſiones adactis proceſſit.* 75
*Paroxyſmo convulſivo juxta nervorum origines incipiente, ſpiritus extime degentes exploſiones interdum primo ineunt.* 75
*Quod duplici de cauſa contingit.* 76
*In affectibus convulſivis ſubitaneæ ſanguinis congelationis ratio aſſignatur.* 77
*A paroxyſmo producitur.* ibid.
*Methodus therapeutica in curandis hujuſmodi convulſionibus.* 78 ad 81
*Medicamenta in temperamento calidiori.* 79
*In frigidiori.* 80

CAP. VI. De motibus convulſivis, quorum cauſa circa nervorum extremitates, aut intra plexus nerveos ſubſiſtit. 82

*Affectiones ſpaſmodicæ non ſemper a capitis vitio procedunt.* ibid.

*Sed interdum a pharmacis ventriculi tunicas vellicantibus, a lumbricis, a lapide ureteri infixo.* ibid.

*Nonnunquam propter noxam nervorum apicibus illatam incipiunt.* 83

*Vel ob irritationem, vel ob copulam exploſivam accidunt.* ibid

*Hiſtoriæ & exempla illuſtriora ſpaſmorum a nervorum extremitatibus oriundorum.* 84 ad 90.

*De ſpaſmis plexus nerveos præcipue occupantibus.* 88

*Circa meſenterii plexus in paſſionibus vulgo dictis hyſtericis.* ibid.

*Intra plexus nerveos lienares, & ſtomachicos in inflationibus lienis, ac ventriculi.* ibid.

*Ad plexus cardiacos in cordis tremoribus & inſultibus.* 89

*Intra pneumonicos, aut cervicales, in aſthmatis paroxyſmis.* ibid.

*Præfocationis ſenſus in gutture propter materiam ſpaſmodicam intra plexus ganglioformes aggeſtam, & exploſam excitatur.* 90

CAP. VII. De motibus convulſivis, a liquore corpora nervoſa irrigante, toſque eorum proceſſus in ſpaſmos irritante, oriundis. 91

*Spaſ-*

*Spaſmi univerſales per totum genus nervoſum oberrantes, ad tria præcipue referuntur.* ib.
*A tribus cauſarum generibus potiſſimum dependent* ibid.
*Scil. vel a venenis aut veneficiis, a febre maligna, aut male judicata, vel a liquore nervoſo propter affectionem ſcorbuticam, aut alias vitioſam degenerante.* 91
*Spaſmi a venenis.* 92
*Venena ſpaſmos inducentia multiplicia, a vegetabilium claſſe petita, a cane rabido, a tarantula.* ibid.
*Quo ritu affectiones ſpaſmodicas inducunt.* 93
*Symptomata, quæ tarantulæ morſui ſuccedunt, explicantur.* 93,94
*In eorum ſedatione muſicæ efficacia.* 94
*Unde muſica demorſos in ſaltationem excitat.* ibid.
*Choreæ S. Viti deſcriptio.* 95
*Symptomata explicantur.* 95,96
*Spaſmi univerſales a veneficio.* 95
*Non omnes a diaboli præſtigiis excitantur, ſed ut plurimum a cauſis naturalibus incipiunt ac deſinunt.* 96,97
*Quod robur ſupra humanum aliquamdo exeri videmus, a copula exploſiva immaniori dependet.* ibid.

CAP. VIII. De ſpaſmis univerſalibus, qui in febribus malignis, male judicatis, & quibuſdam anomalis, excitari ſolent. 98

*Symptomatum febribus ſupervenientium cenſus ac Ætiologia.* ibid.
*Morbi convulſivi & maligni Haſſiæ, Weſtphaliæ,*

*liæ,& in locis vicinis olim epidemici ex Greg. Horſtio deſcriptio.* 99
*Symptomatum rationes explicantur.* 100

Febris Epidemicæ cerebro & nervoſo generi potiſſimum infeſtæ, anno 1661 increbreſcentis deſcriptio. 101

*Cauſæ procatarcticæ; qualis anni conſtitutio præceſſit.* ibid.
*Symptomata recenſentur.* ibid.
*Inter illa, debilitas magna, ſpirituum languor, functionis animalis torpedo, eſculentorum faſtidium, ad motum ineptitudo, vertigo, aurium tinnitus, cerebri tumultus, tuſſis immanis, febris lenta ac velut hectica, atrophia.* ib.
*Circa morbi incrementum ſymptomata ingraveſcebant, hinc aperta phreneſis, altus ſtupor, ἀναισθησία, loquelæ defectus, involuntarium excrementorum profluvium, ſcotomiæ, motus convulſivi, alvi fluxus fœtidus & decolor, urina intenſe rubicunda, tuſſis moleſta cum ſputo copioſo ac craſſo, tumores in glandulis cervicalibus, ulcera cava, maculæ exiguæ & petechiales.* 102,103,104
*Febris hæc contagioſa erat.* 104
*Curatio ejus difficilis.* ibid.
*Symptomatum rationes aſſignantur.* ibid.
*Qualem ſanguini & liquori nervoſo diatheſin malam anni conſtitutio impreſſerat.* 106,107
*Cur in pueros, fœminas, & viros phlegmaticos præcipue deſæviebat?* ibid.
*Atrophiæ, febri huic ſupervenientis, ratio.* ibid.
*Succi nervoſi vitio contigit.* ibid.
*Unde febris hæc difficulter curari ſolebat.* 108
*Tuſſis immanis & glandularum tumores, a materi-*

*teria morbifica in illas partes depoſita.* 109
*Ægrotantium hiſtoriæ & exempla.* 109 ad 114
*Morbi diagnoſis e diſſecto cadavere inveſtigata.* 113
*Methodus therapeutica.* 115 ad 119
*Morbi, febris intermittentis typum referentis, atque in ſucco nervoſo radicati, hiſtoria oppido rara.* 119
*Tincturæ Antimonii vis egregia in nimio urinæ profluvio.* 120

CAP. IX. De ſpaſmis univerſalibus, qui propter ſucci nervoſi diatheſin ſcorbuticam excitati ſolent. 121

*Convulſionum univerſalium duæ ſpecies, ſc. diſcretæ vel connexæ.* ibid.
*Diſcretæ ſeu interciſæ natura explicatur.* 122
*Et ſpaſmo, & paralyſi complicatur.* ibid.
*Spiritus animales in hoc affectu particulis tum exploſivis, tum narcoticis, tum etiam aliquatenus irritativis, imbuuntur.* ibid.
*Hujuſmodi interciſæ convulſionis exemplum illuſtrius.* 123, 124, 125
*Symptomatum præcipue urgentium rationes explicantur.* 125
*Obſervationibus anatomicis confirmantur.* 128
*Affectionis convulſivæ continuæ natura & fiendi modus.* 131
*Exemplis & hiſtoriis inſignioribus illuſtratur una cum methodo therapeutica in illis caſibus obſervata.* 132 ad 153

CAP. X. De paſſionibus, quæ vulgo dicuntur, hyſtericæ.

*In paſſionibus hyſtericis uterus falſo accuſatur.* ibid.
*Earum deſcriptio.* ibid.
*Symptomatum cauſæ inquiruntur.* 155
*Nec ab vteri aſcenſu, neque a vaporibus exinde elevatis procedunt.* ibid
*D.D.Highmori opinio examinatur.* ibid
*Affectio, dicta uterina, convulſiva eſt, a cerebro & nervoſo genere affectis potiſſimum dependet.* 157
*A ſpirituum animalium exploſionibus producitur.* 158
*Materia morbifica ſæpe nervorum principia occupat.* 159
*Dein in totos eorum ductus diſponitur.* ibid.
*Symptomatum hyſtericorum rationes explicantur.* 160
*Eorum diſtinctio inſtituitur, prout materies morbifica hos aut illos plexus nerveos occupat.* 161,162
*Copula exploſiva circa nervorum principium ſpiritibus accreſcens, a ſanguine ſuffunditur.* 162
*Duplici de cauſa accretio hæc contingit.* ibid:
*Paſſiones dictæ hyſtericæ, aliquando a cauſa morbifica extra cerebrum deliteſcente producuntur.* 163
*Hæ duplici modo accidunt, vel ob ſolutionem continui, vel ob ſucci nervoſi obſtructionem.* 164
*Convulſio a glandulis inguinalibus compreſſis.* 165
*Objectiones contra noſtram hypotheſin proponuntur & ſolvuntur.* 165,166,167
*Cur fœminæ crebrius, quam viri, affectibus his convulſivis tentantur.* 166
*Unde*

Unde remedia circa abdomen applicata, levamen conferre ſolent. 167
Quamobrem ſuavia paroxyſmum accerſunt, fœtida eundem abigunt. 168
Hypotheſis noſtra anatomicis obſervationibus confirmatur. 168 ad 176
Medendi methodus inſtituitur, remedia antiſpaſmodica indicantur, ſed cum uterum reſpicientibus aliquando complicanda. 176
Indicatio curatoria. ibid.
Præſervatoria, quæ tres præcipuæ intentiones complectitur. 177 ad 181
Uteri diſlocatio in puerperis mox a partu. 180

CAP. XI. De affectibus, vulgo dictis hypochondriacis, quos, oſtenditur, maxima ex parte eſſe convulſivos, obiter item de medicamentis chalybeatis. 182

Affectus hypochondriaci deſcriptio. ibid.
Ad genus nervoſum ſpectat. 184
In ejus cauſas inquiritur. ibid.
D.D. Highmori hypotheſis ventilatur. 185
Quali officio lien defungitur. 186
Non, ut ventriculi calorem foveat, conditus. ib.
Sanguinem in fermentum evehit. 187
Viſcus hoc triplici vaſorum genere inſtruitur, ſc. arteriis & venis, ac inſuper inſigniori-bus nervorum plexibus fibriſque nerveis. 188
Per arterias in lienem delatus ſanguis digeſtione in ſuccum fermentativum exaltatur 188, 189
Hic per venas ſanguini communicatus, aſperitatem & vigorem illi conciliat. 189
Cruoris interventu, cerebrum & genus nervoſum inſpirat. ibid.

*Succus lienaris inſuper ad cerebrum defertur per nervos.* ibid.
*Hic ſpiritus animales exacuit.* ibid.
*Lienis influentia in producendis paſſionibus hypochondriacis.* 190
*Liene obſtructo, ſanguis in arteriæ cœliacæ ramos regurgitat, unde ventriculo, omento, meſenterio male affectis, dolores ſpaſmi, flatus, pulſatio ſubtus ventriculum contingunt.* ibid.
*Quo ritu lien ſanguinem in fermentum evehendum pervertit.* ibid.
*A ſanguine lienis culpa depravato, labes cerebro & nervoſo generi imprimitur.* 191
*Succus lienaris degener factus, cerebro per nervos expeditius ſuffunditur.* 192
*Hiſtoriæ & exempla variora paſſione dicta hypochondriaca affectorum.* 193, 194, 195
*Methodus therapeutica inſtituitur, quæ quatuor indicationes reſpicit, ſc. curationis impedimenta removenda ſunt:* 196, 197
*Lienis vitia emendanda.* 197
*Sanguinis dyſcraſia lienis vitio contracta tollenda.* 198, 199
*Cerebri & nervoſi generis, nec non humoris irrigui, ac ſpirituum enormitates abolendæ* 199, 200
*Medicamentorum chalybeatorum præparationes & effectus explicantur.* 200
*Limatura.* 201
*Calcinatio cum ſulphure.* 202
*Præparatio cum aceto.* 203
*Ferri rubigo.* ibid.
*Præparatio noſtra.* ibid.
*Vitriolum Martis.* 204
*Crocus Martis aſtringens.* 205
CAP.

CAP. XII. De tuſſi ac aſthmate convulſivis. 207

*Tuſſis mere convulſivæ exemplum.* ibid.
*Pueros ut plurimum, raro adultiores infeſtat.* ib.
*A materia ſpaſmodica nervos pneumonicos ſubeunte excitatur.* 208
*Aſthma quandoque pulmonum vitio accidit.* 209
*Interdum mere convulſivum a nervis ſolummodo affectis procedit.* 210
*Hiſtoriis & exemplis confirmatur.* 210 ad 214
*Tuſſis convulſivæ curatio.* 214
*Aſthmatis ſpaſmodici medicatio.* 215

# IN TRACTATU. E E SCORBUTO.

CAPUT. I. Scorburi deſcriptio, ejus cauſa interna, & proxima potiſſimum in ſanguine; dein aliquatenus in liquore nervoſo radicata. 219

*IN veteri medicina rara ſcorbuti mentio.* ib.
*Præcipuorum ſymptomatum cenſus inſtituituitur.* 220
*Cauſæ evidentes, quæ morbum inducunt, aeris inſalubritas & ſanguinis craſis vitiata.* 221
*Non raro per contagium excitatur, quandoque hæreditarius exiſtit.* ibid.
*Miaſma ſcorbuticum vel in ſanguine, vel in ſucco nervoſo, aut ſimul in utriſque continetur.* 222
*Sanguinis & vinorum dyſcraſiæ comparantur.* ibid.
*Uti vinum, ita ſanguis ob duas præcipue cauſas ægrotare ſolet.* ibid.
*Scil. propter aliquid extraneum & non rite miſcibile huic aut iſti confuſum, vel quoniam liquoris craſis pervertitur.* 222, 223
*Vinum & ſanguis ob multas cauſas a recta temperie deſciſcunt.* 223
*Cum maturitatem non attingunt, unde vinum in vappam degenerat, ſanguis crudus fit.* ibid.
*Quandoque pars ſulphurea nimium exaltatur; hinc vina immodice ebulliunt, ſanguis febrilem intemperiem contrahit.* 224
*Interdum pars ſalina in fluorem evehitur, liquor inde in acetum tranſit, melancholia inducitur.* ibid.

*Nonnunquam ſpiritu depreſſo particulæ ſulphureæ & ſalinæ ſimul combinatæ exaltantur, hinc vina rancida aut pendula evadunt.* ibid.

*Vina rancida fiunt propter ſulphuris cum ſale combinati prædominium.* 225

*Pendula, ob ſalem evectum & fluore potitum ſulphuris minori licet copia, intime adunitum.* ibid.

*Sanguinis dyſcraſia, pariter ac vini duplex, nempe ſulphureoſalina, ac ſalinoſulphurea.* ibid.

*Utraque ſcorbuti parens.* ibid.

*In ſcorbutica ſanguinis ranciditate, ſulphure prædominio potito, ſanguis nimium ebullit* ibid.

*Remedia temperata conveniunt.* ibid.

*In mucilaginoſa ejus conſtitutione ſale prædominante, vini inſtar penduli, craſſior evadit.* 226

*Quo ritu labes ſcorbutica liquori nervoſo imprimitur.* ibid.

*Labes hæc in tribus potiſſimum conſiſtit.* 227

*Vid. quod liquor pauperior evadit, quod a craſi ſpirituoſalina verſus acetoſam degenerat, quod particulis heterogeneis refercitur.* ibid.

CAP. II. De ſcorbuti cauſis remotioribus, a quibus nimirum maſſæ ſanguineæ, & per conſequens liquori nervoſo, labes affigitur. 228

*In cauſas dyſcraſiæ ſanguinis ſcorbuticæ tum ſulphureoſalinæ tum ſalinoſulphureæ inquiritur.* ibid.

*Aliorum ſententiæ de origine ſcorbuti recenſentur.* 228, 229

*Non ſemper lienis aut primarum viarum vitio contrahitur.* 230
*De variis occaſionibus & procatarxeos modis, a quibus ſcorbutus originem ſuam ducere videtur.* 231
*Quam ob rationem aer inſalubris ſcorbutum parit.* ibid.
*Quare febribus diuturnis & aliis morbis ſupervenit.* 232
*Quomodo hæreditario contrahitur.* 233
*Unde per contagium ſerpit.* 234
*Quomodo viſcerum & primarum viarum culpa imprimitur.* 234,235
*Quare triſtitia & ſtudia immodica ſcorbutum inducunt.* 236
*Labes ſcorbutica e ſanguine in cerebrum & genus nervoſum derivatur.* 237
CAP. III. De ſcorbuti differentiis, item de morbi hujus ſignis, ſymptomatis, cauſis, imprimiſque de illis quæ propter labem ſanguini impreſſam oriuntur. 238
*Scorbuti diſtinctio juxta duplicem cauſæ regionem, ſc. quod ſanguine vel liquore nervoſo potiores radices egerit.* ibid.
*Secundum duplicem ſanguinis affecti labem, quæ vel ſulphureoſalina vel ſalinoſulphurea, unde ſcorbutus iiſdem nominibus inſigniatur.* ib.
*Quoad morbi originem, quatenus vel per contagium vel per internam procatarxin oritur.* ib.
*Juxta morbi ſtatum, in quantum inchoatus vel perfectus fuerit.* ibid.
*Signa & ſymptomata, eorum variæ diſtinctiones.* 238,239
*Oriuntur vel propter labem ſanguini præcipue*

*affixam, vel propter ſucci nervoſi vitia, vel propter utriuſque humoris enormis facti, congreſſus.* 239
*Symptomata propter ſanguinis dyſcraſiam ſcorbuticam recenſentur una cum illorum fiendi modis & rationibus.* 240
*Cujuſmodi ſunt laſſitudo ſpontanea, reſpiratio difficilis.* 241, 242
*Pectoris anguſtia.* 243
*Pulſus inordinatus.* 245
*Paſſiones cordis, febres vagæ.* ibid.
*Sudores nocturni, urina lixivialis.* 246
*Sputatio copioſa, gingivarum ſanguinolentia & putrefactio, dentium eroſio, vacillatio, aut caſus, oris fœtor.* 247
*Maculæ & exanthemata varia.* 249
*Alvi fluxus, vomitus, nauſea, cardialgia, rugitus, dyſenteria, crebræ hæmorrhagiæ.* 250, 251

CAP. IV. Symptomata & accidentia, quæ in ſcorbuto, propter labem cerebro & nervoſo generi impreſſam, exoriri ſolent. 252

*Puſillanimitas & totius corporis languor, melancholia.* ibid.
*Paralyſis.* 253
*Dolores.* 254
*Horum variæ ſpecies, alii leviores & cito tranſeuntes, alii graviores & difficulter mobiles.* ibid.
*Poſteriores vel fixi vel vagi.* ibid.
*Dolores fixiores in variis partibus excitantur ſc. in ventre.* ibid.
*In variis abdominis partibus.* 256
*In lumbis & dorſo.* 257
*In pectore & pleura, in capite.* ibid.

*In cruribus.* 258
*Vertigo ſcorbutica.* 259
*Somnolentia & torpor, vigilia.* 260

CAP. V. De ſcorbuti ſymptomatis, quæ propter conjunctas ſanguinis & ſucci nervoſi dyſcraſias oriuntnr. 261

*In hoc cenſu ſunt atrophia ſcorbutica, arthritis vaga.* 261, 262
*Rheumatiſmus.* 263
*Quo ritu differunt morbi per ſe excitati & ſcorbuto ſupervenientes.* 264

CAP. VI. Scorbuti prognoſtica. 265

*Plures pro deſperatis habiti convaluerunt.* ibid.
*Scorbutus ab intemperie ſanguinis ſulphureo-ſalina ægrius curatur, quam qui a ſalinoſul-ſulphurea.* 266
*Febribus diuturnis, aliiſque morbis chronicis ſuperveniens difficilioris curationis habetur* ibid.
*Morbus adhuc recens non raro ſanationem perfectam admittit; radices altiores agens, vix unquam extirpatur.* 267
*Remedia non unius generis adhibenda, ſed ſæpius mutanda.* ibid.
*Scorbutus ingraveſcens tandem hydropem vel phthiſin inducit.* 268

CAP. VII. De ſcorbuti curatione. ibid.

*Indicatio triplex, præſervatoria, curatoria & vitalis.* ibid.
*Indicatio præſervatoria abſolvitur catharticis &*

*& per vomitum & per ſeceſſum.* 270 ad 273
*Phlebotomia.* 273
*Digeſtivis.* 275
*Specificis, quorum variæ extant ſpecies.* ibid.
*Electuaria, confectiones.* 276, 277
*Pulveres, pilulæ.* 278
*Tabulæ, decocta.* 278, 279
*Infuſiones.* 280
*Succi, ſyrupi.* 281
*Aquæ deſtillatæ.* 282
*Vina & cereviſiæ.* 283

CAP. VIII. De medicamentis cujuſque Prædictarum formularum generis, ſcorbutum, in conſtitutione calidiori, & ſanguinis dyſcraſia ſulphureoſalina, excitatum reſpicientibus. 284

*In dyſcraſia ſanguinis ſulphureoſalina remedia acria & ſale volatili prædita multum nocent.* ibid.
*In his caſibus medicamenta temperata indicantur.* ibid.
*Horum formulæ variæ, ſc. electuaria.* 285
*Confectiones, pulveres, pilulæ, tabulæ.* 285, 286
*Decocta, infuſiones.* 286, 287
*Succi expreſſi, ſyrupi, aquæ deſtillatæ.* 287, 288
*Vina, & cereviſiæ.* 289

CAP. IX. De ſcorbuti curatione, qua ipſi morbo & ſymptomatis præcipue urgentibus occurritur. 290

*De curandis difficili reſpiratione & paroxyſmis aſthmaticis.* 291
*De ventriculi affectibus ſcorbuto accidere ſolitis.* 292

De

*De dolore ventris & colica ſcorbutica.* 293
*De diarrhœa & affectibus dyſentericis.* ibid.
*De vertigine, ac leipothymia aliiſque affectibus eidem in affectione ſcorbutica adjungi ſolitis* 294
*De hæmorrhagiis.* 295
*De vitiis oris, propter ſcorbutum oriundis.* 297
*De doloribus, crura, ac alios interdum artus, noctu potiſſimum infeſtare ſolitis.* 299
*De arthritide vaga ſcorbutica.* 300
*De affectibus convulſivis & paralyticis, ſcorbuto ſupervenire ſolitis.* 302
*De atrophia, item de febre ſcorbutica, quæ ſæpe illius aut cauſa eſt aut effectus.* 303
*De rheumatiſmo.* 305
*De hydrope.* 306
*De crepitu oſſium.* 307

CAP. X. De indicatione vitali, qua includuntur medicamenta cardiaca, opiata & diæta, ſive victus ratio in ſcorbuto rerequiſita. 310

*Cardiacorum formulæ.* 311
*Opiatorum inſignis uſus.* 312
*Opii præparata in forma liquida.* ibid.
*Regimen diæticum.* 312, 313
*Præcipue circa aerem & habitaculi ſitum, cibum ac potum, atque corporis motum & quietem verſatur.* ibid.

CAP. XI. Scorbuticorum hiſtoriæ quædam & caſus rariores. 314

FINIS.

℞ Pracul Bryon
Asa fœtid castor a ʒi
Sal ~~corallij~~ Succ coral
Jov a ʒß Galban Sol
in Aq Hyster q S m ft
massa

℞ Aq Bacc Sambuc
Aq ceras nig a ℥vi
Aq Brion compos ℥i
in istis extinguere ad
totalem consumptionem
camph ℈iv ~~add tinct castor~~
~~ʒi~~ adde Syrup e corallijs
℥i m/

Tinctura

℞ Decoct Senne Geron ℥ij
Syrup e Ros solut ℥ß Aq mir ʒij
cremor tart ℈i m ft

Incubo

℞ Sp vini rectif tartaris ℥vi
Ol ma Succ aa ℥iij
mixta stent p tempus donec
Spiritus Salis Armon ℥iij
Ex Phiala oblonga distilla ex
arena & serva ad usum

℞ Hujus Spirit oleos ʒss
Aq cinnam ℥iss
Apoplect ʒi
Spr de cinnam ℥ss
m & ad vitrum cocleatim

detur
vel ℞ Cons flor paeon
Rorismarin ā ʒi
Sal cc volat gr vi
magis Succin gr iij
m ft Bolus horis matutinis
& vespertinis usurpandus
Decoctum lignorum in qd instille
=tur Spirit Sal Armon
Aq Cinamomi addita ambra
particula
Sperma Ceti